ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTER SECVNDVS.

BELLA

Sueticum, Tranſyluanicum, Moſchouiticum, aliaſq; res geſtas ab Anno 1655. ad Annum 1661. incluſiuè continens.

SCRIPTORE
VESPASIANO
à KOCHOW
KOCHOWSKI
EQVITE POLONO.

CRACOVIÆ
In Officina Typographica
NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S.R.M. Typ. *Ordinarij.*
ANNO Regis Regum. M. DC. LXXXVIII.

MIra ô MATER, MATER ô NVMINIS
Et caſta VIRGO experſq; criminis
Poſcenti adſis Famulo

Mearum labor exilis virium
VIRGO Tuum ſub it patrocinium
Accipe precor ſedulò.

Approbatio.

EGo *M.* FRANCISCVS PRZEWOSKI, *S. Th: Doctor, & in Vniuerſitate Cracouienſi Profeſſor, Eccleſiarum, Collegiatarum, Cracouiæ SS. Omnium Præpoſitus, S. Annæ Decanus, Scholaſticus Curelouienſis, per Diœceſim Cracouien: Ordinarius, Librorum Cenſor, Opus inſigne Hiſtoricum, cui Titulus,* ANNALIVM POLONIÆ CLIMACTER SECVNDVS, *Bella Sueticum, Tranſyluanicum, Moſchouiticum, aliaſq; res geſtas ab Anno 1655. ad Annum 1661. incluſiuè libris ſeptem continens, Auctore Generoſo & Magnifico Dño:* VESPASIANO *à Kochow* KOCHOWSKI *EquitePolono deſcriptum, diligenter legi. Quòd cùm nihil Fidei Orthodoxæ & Hiſtoriæ, boniſq; moribus contrarium habeat, immò Patriæ Ciuibus & gloriæ Gentis Polonæ reſpondeat, illud imprimi, & in lucem edi concedo facultatem. Datum Cracouiæ in Collegio Maiori, die 11. Ianuarij Anno Dñi: 1688.*

Idem qui ſupra *mpp:*

Proœmium.

AMice Lector, cui hæc opella noſtra in manus venerit, vt benè valeas multùm ſalue. Fauori dein tuo & beneuolentiæ poſtulata nonnulla inſinuo: nam monita vocare ambitioſum, petitiones moleſtum aut humile cenſui. Ac primò, quod Climacter iſte Annalium, ſine ſolenni dedicatione prodeat? id cauſæ eſt, nimirùm hac præliminari pompa diſtinere te nolebam, cumq; anteriorem Climacterem Sereniſſimo IOANNI III. Regi ac Domino meo Clementiſſimo dedicaſsem, hunc ſequentem, vti partem ad Caput referri par erat, tanquam cœpti operis continuationem. Ioannis Caſimiri Reg: geſta, nonniſi IOANNI III. debentur; nam, vt cuncta ab antecedaneis Regibus præclarè acta, ad iſtum iure mèrito ſpectant; ſic, quidquid ante ſecùs euenit, neceſsariò à ſucceſsore corrigendum eſt. II. Cum verò Ioannis Caſimiri regimen XXI. Anni componant, illud in tres Climacteres diſtinxi; primo ſeptennio Vkraynenſe bellum complexus, ante edidi; altero bella cum Suecis, Moſchis, Tranſyluanis &c. nunc exhibeo: Tertium ſub manu eſt, Ciuiles motus & interna Reip: noſtræ diſsidia ad punctum Abdicationis continens; quod tamen in lucem dare nec promitto nec abnuo, cum & graueſcens ætas tædioſam ſcriptionem refugiat, & irrepræmiatum ſtudium, ingratum reddat laborem. III. Quod filum dictionis meæ ſtyluſq; aridior exiſtat, ac infra Liuianam facundiam ieiuna ſerpat oratio, excuſare auſim; nimirùm, quod Arator non Orator ſcribam, ac legenti magis ex veritate fidem, quàm ex lenocinio verborum voluptatem facere maluerim. IV. Externis narrationibus ſtudio abſtinui, nonniſi intra ſphæram Patriæ Hiſtoriæ calamum euagari paſsus; etſi diuerſarum gentium, rebus noſtris ſe hoſtilitèr aut amicè immiſcentium geſta contexuerim, quatenus in, aut pro Polonia egêre: non carent illi vernaculis præconibus, qui tamen pro innata philautia in encomijs ſuorum nimij, aliena vel ſupprimunt vel allatrant, ſuntq; iuxta Martialis iocum. Nec mali Ciues, nec boni Hiſtorici. *V. Autores, qui me ex hoc implicato præteriti temporis triuio, in viam genuinæ veritatis duxêre, duplices habui. Alios quidem publici Iuris, nimirùm, qui de bellis anteactis libros typis euulgarânt; alios priuatos, qui tranſactiones diuerſas manuſcriptis inſerendo, pro ſe tantùm conſeruare voluerunt rerum geſtarum memoriam; Ex prioribus* Ioachimus Paſtorius, *cuius, ſub Titulo Florus Poloniæ; Hiſtoriam Gentis noſtræ ad finem Belli Suetici per epitomen deductam habemus,* Anonymus alter Ludouicæ Reginæ haud vulgari ſtylo encomiaſtes; Ad cauſas præliminares Belli Suetici reſponſio; A: O: Vindiciæ pro Polonia &c: *externos etiam inſpexi* Adolphum Tuldenum Imperialem, Ioannem Loccenium Suecum: *etſi is ex Ariſtarchi Schola Mythologus, gentem noſtram pluribus reſpergat calumnijs, ac mordaci calamo non veritati ſolùm præiudicet, verùm & initæ paci. Ex priuatis autoribus peculiariter adiuuit operam meam,* G. Adami Biskupski Terrigenæ Wielunenſis *manuſcriptorum farrago, mihi ſubminiſtrata; Commentarii item, quos non otioſus rerum ſpectator* G. Paulus

Konoiadzki Nobilis Borussus, *sub Bello Suetico compilarat; ac præter alios* Martini Golinski Consulis ad Crac: Casimirien: *grandis diuersarum relationum liber, plurima ad Historiam pertinentia continens, cum præcipua rerum, personarum, ac temporum designatione: tum aliorum &c: &c; quibus ob publici boni iuuamen, gratias dico habeoq;. VI. Orationes diuersorum, in contextu Historiæ positas, vt ab authoribus dictæ, ex vernaculo sermone in latinum translatas, sensu genuino me apposuiße ex fide testor: pleraq; etiam omisi, breuitat i operis, aut verecundiæ Oratorum consulendo. Discursus tamen nonnullos à me efformatos non inficior, vti inter continua belli mala, aliqua ineßet, recreando Lectoris animo mistura. VII. Nobilitatis Polonæ cognomina, quæ maiori parte in* ski *terminantur, eadem nomenclatura in latino posui; satius ducens stylo meo euphoniam pronuntiandi deeße, quam ea vocum ad Romanam incudem detorsione, Patriam dialectûm obscuritate sensus inuoluere: exempli causa Boratinium ponam, quem sibi vendicabit & Boratyni & Boratyrski, Opatouium, & Opatouius & Opatowski &c: malim itaq; videri in pronuntiatione asper, quàm in narratione obscurus. VIII. In contextu operis laudes cum modo, vituperia vix vnquam admiscui, vitans scilicet scopulum, ne præiudicio autoris iudicium lectoris obruerem: tum ne non rogatus sententiam ferre videar: si tamen alicubi, insigni virtuti gratulari, vel manifesto delicto irasci contigit, iuxta dosim, vt Medici solent, & perparcè admodũ ex lege Historiæ licere putaui; vt sic probis prauisuè factis, suum cuiq; decus rependat posteritas, etiam metus infamiæ inde deterreat, quo virtutis amor ducere nequit. Proin, vt quemq; in anteceßum deprecor, ignoscat Historicæ libertati; si cui bilis feruet, Vespasianum me non Apianum sciat. IX. Ac quia Critici de omni verbo reddi rationem exigunt, paucis moneo, non vsq; me ad periphrasim Latinam strictim illigari, vt non magis facilis intellectu, & perspicuus videri satagerem, scapham pro scapha, & lintrem pro lintre ponendo. Titulo Maiestatis supremã potestatem designo; Proceres Regni Senatum voco, etsi nec malè Patres Conscriptos nominauerim; Nobilitati, Equestrium titulus, ex antiquo & vocatione competit; Fati ac Fortunæ vocabula Christiano sensu accipi velim; illud quidem vti voluntatis Diuinæ effatum ac Canonem infallibilem: istam, cæcum & erraticum Numen, ad opinionem humanam apto, vt prospera ad Autorem Deum referant, si quid aduersi acciderit habeant, de quâ sine Superûm iniuriâ querantur. X. Errata Typi, Lector vel corrige vel condona, illud sedulitatis erit, hoc beneuolentiæ. Certè non vacabat vt recenserem ipse, pluribus distractus; & biennium propè euoluitur, ex quo sub prælo sudat hæc opella nostra, hinc non licuit cum Epimenide tanto temporis spatio in æstuario dormitare, ne, dum Typographus lineam ducit, mihi in sulcos male subactus ager futuram meßem perderet: ad calcem tamẽ operis elenchum corrigendorum vide. Quẽ si Annalium librum parare vis, in Officina Schedeliana vtrumq; Climacterem quære, is namq; adeo lucubrationibus meis fauet, vt pluribus ex empto (sanè misera scriptorũ sors, venundari) communicabiles faciat. Iam verò manum de Tabula. Quæ scripta Amice Lector æqui boniq; consule, mitis Iudex lege, & sequentia, si Deus vtriq; vitam, fauenter præstolare. Ac vt longeuiter sis saluus, benè VALE.*

Scripsi Goleniouijs, rure meo Paterno

Ipso Annuntiatæ V*IRGINIS* M*ATRIS sacro die*

Anno Christi 1688.

A N-

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECVNDI, REGNANTE IOANNE CASIMIRO, LIBER PRIMVS.

Elenchus Contentorum.

An. CH. M.DC.LV.

S*Vb regimine JOANNIS CASIMIRI alter annorum septenarius, funestam calamitatum auxesim tulit, Suecis hostium Poloniæ cumulo accedentibus. Breuis eius gentis mentio: tum, vnde infestæ hostilitatis antehac origo, vel causæ; sancitis aliquoties Inducijs sopitæ. Capita Induciarum; quibus durantibus Carolus Rex in Suecia rerum potitus, primò amicum se Polonis, dein subitò hostem ostendit. Eius Regni legitima succeßio, lineæ Sigismundianæ debita. Carolus Ferdinandus Princeps Poloniæ moritur. Comitia Varsauiæ incæpta & conclusa. Rex Suecus amicas ad*

Polonum

Polonum literas ſcribit; Polonus in Sueciam internuncios ablegat; quò dein Legati mittuntur, ſed irrito Legationis ſucceſsu redeuntes. Electio Pont: Max. Alexandri VII. Leopoldi item in Regem Hungariæ Coronatio. Wittembergus cum copijs Poloniam intrat; dein Carolus Rex Wittembergum conſequitur; quem apud Kolo cõuenit Przyemſcius, Caſimiri Legatus pro pace ſolicitans; ſed fruſtra. Nobilitas ad Wolboriam conuocata, etiam Quartiani cum hoſte apud Straßowa Wola congrediuntur, Suecis campo potitis; vnde noſtri retro mouent, Cracouiam versùs. Secus inclinatis rebus Cracouiâ Caſimirus abit, Vrbis tuendæ cura Czarnıecio commiſsa; qui ſuburbia igne ſubiecto exurit. Eodem tempore Lithuaniam quatit Moſchus, altero item exercitu, Coſaci, Leopoli obſeſsâ, Ruſsiam. Caſimiro finibus Regni decedente, Opolienſis Ducatus pro domicilio eſt, Glogouiæ minori ſubſiſtenti. Wittembergus Cracouiam obſidet, Rex ipſe cum equitatu aduersùs Quartianos tendit, ijſq; ad Woynicium diſsipatis, Cracouiam reuertitur; eius Vrbis graphica deſcriptio, & obſidium; donec ſub conditionibus dederetur. Brochouius tertio pro pace agit. Fortalitia diuerſa hoſtes occupant. Demum Exercitus Regni, Protectionem Sueticam ſuſcipit: ſed conditionatè. Deſtinat mox Carolus in Pruſsiam iter. Situs Prouinciarum Regni deſcriptio, Douglaſsius apud Sandomiriam luſtrat Polonas Legiones. Millerus Clarum montem Czeſtochouienſem obſidet & oppugnat, irritò demum conatu abſcedens. In Pruſsia Carolus binis exercitibus ſuccinctus, hoſpitatur; cui ſe Thorunium dedit; ſimiliter & Elbinga. Aſt Mariæburgum propugnantibus Weyheris portas clauſit; præ cunctis, Gedanenſium integerrima fide, qui non pollicitis, non minis, induci quiuêre, vt Protectionem acceptarent. In Ducalem tandem Pruſsiam verſa arma; apud Bartenſteynum Sueco & Electore congreſsis, mox pacatis medijs dirempta.

Anno Chriſti 1655. EMenſus Vkrainenſis belli Climacterem, ad nodum rerum, eoq; melioris ſortis reuolutionem, deueniſſe me arbitrarer; quod tamen myſticum ſeptennij tempus, etſi pro numero perfectionis audit, magis nouorum malorum acceſsionem, quam veterum leuamentum attulit. Nupera in Vkrainam expeditio, irritauerat magis quàm domuerat Coſacos, inueteratæ rebellionis concitore Moſcho: mox ab Aquilonari Orbis angulo, ipſa marium interpoſitione diſcretæ gentes, contra ſacroſanctè pactas Inducias, hoſtium Po-

lum Poloniæ auxêre numerum Sueci: nempe vt Coſacos 1655. Scythæ, ita hos Moſchus, Moſchum deinde Suecus, iſtum Tranſyluani exciperent; caſuſne is, an malignitas fortunæ fuit? vt quo loco poſituq; regionum, vicinæ gentes nos contingebant, eodem ordine & ſerie, ab ijs armorum coronâ inuolueremur. Quo magis ſpes fractæ, ſalus deſperata, caſus turbidi; eo magis, velut poſtliminio redditâ lucis vſurâ, reſurgere à lapſu fuit glorioſum. Quæ verò Suecorum gens, qui belli repentini & iniqui prætextus ac circumſtantiæ, non incõgruens arbitror attingere: ſimul omnia quæcunq; alterutri parti geſta, ex fide tradere, idq; (annuant modò, boni Superi) Polona libertate.

Sueci, Arctoi Orbis portio, à Gottis vocabulum & originem habent (ipſis peruincentibus:) ad mores, linguam, & inſtituta Germanorum propiùs accedendo. Cura armorum, ac gloriæ non diſpar vtriſq; ſtudium, cum vicinis vario Marte exercita virtute: verùm etiam iure belli, aut per fortunæ conniuentiam, amplificata Suetici Regni peripheria. Id, ſeptemtrionale Europæ latus claudit, Daniam à meridie, ac varios Imperij circulos habens; ab ortu æſtiuo Moſchouiæ oppoſitum; Mari Balthico à fronte pulſatur. His terminis ex antiquo contenti, auorum memoria mare enauigantes, Æſtoniam ex Polonis, Bremæ ac Wiſmariæ territoria ex Germanis Pomeraniſq;, armis, aut pactionibus, etiam per teſtamenta cœpêre. Ingentis auſûs fuit, gentem hæreditario iure regnari ſuetam, SIGISMVNDO III. legitimo Rege & hærede abdicato, ſpeciem Electionis hactenus nunquam vſurpatam, prætuliſſe; admoto regimini Carolo Sudermaniæ Duce, Sigiſmundi Patruo. Hinc prima diſſenſus occaſio, mox & bello cum Suecana gente; Polonis pro Sigiſmundo Rege, eiuſq; iure; Suecis contra annitentibus. Ita poſſeſsione auiti Regni veri hæredes depulſi, appellationem tamen & inſignia haud omiſêre, tuendo in quemcunq; caſum Iuri; vnde dum inanibus titulorũ chartæ aut ſtemmatum celatura poſtes tumeſcunt

1655. meſcunt, viuida inter æmulatrices decorũ gentes odia enaſcebantur: Sigiſmundo genitis hæreditáris titulũ vſurpantibus; Poſſeſſore Sueciæ Regni, non haberi modò aliũ, ſed nè dici quenquam ſuſtinente. Multos hoc ſæculo ſcriptores ea cura aduertit, hæreditatenè Sigiſmundi linea? an Caroli Sudermanni populi adoptione, (nam hìc Electio nulla) potior fuerit diſceptantes; quibus, & lectori, de re tota iudicium eſto: ego ad noſtra & recentia veniens, nemini infenſus aut obnoxius, calamos expedio, veritatis ſtudio ac poſteritatis curâ; hic mihi ſcopus. Poſt Carolum Patrem, Guſtauus Adolphus Sueciæ Rex, ancipiti in Pruſsia fortuna nobiſcum belligerauit; aliquoties collatis ſignis fuſus, bis plumbea glande ſaucius, bis pænè captus, (nam Heroibus gloria periculis emitur) pertædere tandem hoſtilitatis oſtendit, quinquennalibus Inducijs arma Polona diſtinens; fortè quòd bello Germanico, & facilioribus illuc triumphis abſtraheretur: Hic dum Orbem metu, & Imperium armis quatit, apud Lutſenam in Saxonia pugnans, occumbit: magni animi bellator Rex, & priſcis Imperatoribus æquiparandus. Subſtituta dehinc in regimen Chriſtina Filia, etſi minorennis, non inferiorem ſe Parente oſtendit, fragore armorum valida, nec ſtudium pacis infraponens; Stabilitis nobiſcum viginti vnius Annorum Inducijs, Sztumdorfij. Creditum tunc externorum ſuaſu in armiſtitium impulſos Suecos, Gallo Rege per Claud: Memmium; Anglo per Duglaſsium annitentibus: etſi mox patuit non pacis Chriſtianæ cura aut Poloniæ; ſed altius tendentibus conſilijs Mediatorum: vt ferè ſemper magnus eſt conſiliorum cardo, ſua cuique vtilitas.

Non extra rem fuerit, quibus tum legibus Induciæ cum Suecis, Sztumdorfij coalitæ, per ſynopſim tradere; ex Piaſecio fidei probatæ Præſule & Hiſtorico, vel ipſis Suecis autori plurimum tribuentibus. Tenor is. Piaſeci. fol. 575.

Pax ſub fide Induciarum inter Polonos ac Suecos eſto, quæ à die

à die

à die 12. Menſis Septembris Anni 1635. incipiens, pro die 11. Menſis Iulij in Anno 1661. incluſiuè finiretur. 1655.

Amneſtiâ vniuerſali inſtitutâ, hoſtilia ceſſarent; Regnorum limites Exercitus nè infeſtarent; Claſſes portubus non nocerent: mercatura aliaq; commerciorum rationes reſumerentur.

Pro Vladiſlao Rege, ac Fratribus eius Inducias ratas habituris, Regni Pol: ac M. D. Lith. Ordines, fide iuberent; Pruſſiæ item Dux, ac ciuitas Gedanenſis: idem præſtabit Regnum Sueciæ, viciſſim pro Chriſtina Regina ſpondendo.

Elbinga, Mariæburgum, Dirſauia, Bransberga, aliaq; à Sueticis occupata loca, reſtituentur Polono, cum omni Eccleſiarum Romano Cathol: ſuppellectile, re tormentaria, archiuijs, ac Actis publicis.

In Liuonia, quidquid vtraq; pars ſub anteactis quinquennalibus inducijs poſſedit, præſentium vigore retineat.

Partes vtriuſq; Regum ſecutis, alio tranſmigrare volentibus, liber abitus conceditur; Elbingenſi item Ciuitati liberum religionis exercitium erit, excepto Parochiali templo, ac Iure præſentandi Sereniſſimo competente.

Sub armiſtitio pax perpetua tractaretur, congreſſu partium Lubecæ inſtituendo. Qui Tractatus ſi ſemel atq; iterum non ſucceſſerint, induciæ nihilominus ſacroſanctæ & inuiolabiles manebunt.

Iniurijs aut litibus inter conterminas gentes dirimendis, vtrinq; arbitri dabuntur.

Præſentia pacta Decreto Comitiorum Generalium Poloniæ firmentur, tàm à Vladiſlao quàm à Chriſtina, Ordinibuſq; vtriuſq; Regni approbandâ, ac Exemplaria vtriuſq; partis ſubſcriptione obſignata, tranſmittentur. Actum Sztumdorfij Die duodecima Menſis Septembris, Anno Chriſti 1635.

IACOBVS ZADŹIK, *Procancellarius, cum Collegis, nomine Regni Poloniæ ſubſcripſère.*

PETRVS BIELKE, *Senator Regni Sueciæ, &c.*
IOANNES WRANGEL, *Præfectus Militum, &c.*
OXENSTIRNA IVNIOR, *m. p.*
VDENHOFFIVS CALMARIÆ, *Præſes, &c.*

1655. Alta pax sub inducijs Christina potiente rerum, seu fragilitate sexûs, seu prudentia Regentium: alia mox rerum facies, vbi successorem sibi Carolum Gustáuum, & nobis hostem adsciuit. Is Patre Ioanne Casimiro è Palatina familia, Biponti Duce, ac Catharinâ Suecâ Caroli Sudermani Filiâ genitus, collapsæ Rhenanæ Domus fortunam instauraturus, etiam sanguinis ac gloriæ impulsu, non otiosam iuuentam Sueticis sub signis traducens, quoad abdicantis Christinæ voto Rex fieret, coronatus Vbsaliæ Anno Christi 1654. Primæ noui Regnantis curæ ordinando vitæ statui datæ, ductâ in consortium tori, Heduige Eleonora Slesuici Ducissâ, ad nuptialem actum inuitatis per officiorum imitamenta, vicinis Principibus. Ast suspecta in mari malacia est, & repentina àëris tranquillitas, nimbos tempestatemq; minatur. Subiêre mox curæ profundiores Carolum, vt qui nihil minus ferè posset, quàm Tituli Sueciæ Regis à Casimiro vsurpatione, imminui Maiestatem suam; hucq; meditamenta vertit, vt quod nullis tractatibus sperabat, vi & bello consequeretur. Mouit bilem primò Canazilius Internuntius, à Casimiro in Sueciam missus, qui circa Coronationem, inaugurationi tanquam in præiudicium legitimi hæredis institutæ, tuendo Iuri reclamauerat. Hinc indignatio, & in bellum fomes. Dein non pigrior actu quàm affectu Carolus, traducto in sensum suum Regni Senatu, tributa ac delectus indixit, largitiones in belli Duces instituit, indigenas armauit, externos conciuit, classem, armamentarium, annonam instruxit, & quæ alia bello faciunt. Mirum interim quò apparatus verterentur silentium, alebaturq; grauior ira, inscrutabili in tempus arcano palliata. Suspectauêre Cæsar & Danus, ille molitiones Galli cuius instrumentum & velut brachium Suecus haberetur considerans; hic Protectori Angliæ malê conueniens, subordinatam per vicinum procellam supponentes. At in quos fulmen illud cudebatur Poloni, securi nimiùm egêre. Fiduciam pacis augebat, Induciarum adhuc dum in septennium

nium duratio; Regnum commiseratione quàm impetitione dignius; nulla in bellum causa aut prouocatio, etiam inter Regnantes propinqui sanguinis nexus. Fama vero non absimilis fuit, abiturientem è Suecia Christinam, Carolum ac Regni Primores seriò monuisse, vt florentibus Sueciæ rebus, bello longinquo ac difficili abstinerent, inuiolabiliter seruatis Inducijs. Sed iam Christina tantùm suadere; Carolus summo iure quidquid vellet facere poterat. Tum quo futuri belli commodius tegeretur arcanum, auleo simulationis intenta obtegere visum: (ea Tiberianæ indolis appendix, in aulis Regum, non nomen modò virtutis, sed & vsum, sæculo quo viuimus inuenit.) Dedit siquidem Carolus ad Casimirum literas, quibus pro vinculo necessitudinis, sed quod magis, ex mutuo vicinorum Regnorum commodo, sinceram amicitiam & perpetuæ pacis studium pollicebatur, Textus eiusmodi. 1655.

CAROLVS GVSTAVVS, D. G. Suec: Gott. Vand. REX, &c. IOANNI CASIMIRO REGI Pol. M. D. Lith. &c. Fratri, consanguineo, amico Nostro carissimo, salutem & omnia prospera.

Cum illius motu qui cuncta mortalium disponit, Regesq; Regnis dat, visum sit Serenissimæ Christinæ Suecorum Reginæ &c. Matri nostræ omni filiali cultu prosequendæ, plusquam maternâ curâ amoreq; erga nos, atq; certis de causis gubernaculis hæreditarij Imperij se abdicare, summamq; rerum ad nos accedente omnium Ordinum consensu transferre; confestim sequentibus Coronationis nostræ solennibus, alienum ab officio animoq; nostro fore iudicauimus, nisi exordio Regiminis nostri, Deum T. Max. precaremur, vt hoc Orbi Christiano, Nobis, Regnoq; nostro, tum & Serenitati Vestræ communibusq; amicis, felix ac faustum esse vellet; Et Serenitatem Vestram, considerantes scilicet illum propinqui sanguinis nexum, qui nos cum eadem iungit, atque antiquam inter vtraq; hæc Regna necessitudinem, per complures annos Induciarum pactis restauratam continuatamque; de hisce Imperij nostri auspicijs edoceremus, atq; omnia prospera S.V. Poloniaq;

1655. *loniæq; Regno ac Populo comprecaremur: deniq; officia noſtra paratiſſima, & quæcunq; ab amico & tam propinquo ſanguine procedere poſſunt, fidem optimo affectu deferemus. Proinde ſi qua in re gratam S. V. operam præſtare poterimus, eſt quod nobis indicet, ita de nobis diſpoſitura, quemadmodum vtriq; noſtrum conducere arbitrabitur. Prout nos etiam confidimus S. V. hunc affectum noſtrum, pari erga nos Regnumq; Sueciæ voluntate penſaturum, &c. His finientes Deum veneramur, vt Ser. Veſtram tueatur florentem & incolumem, lætiſq; & ſecundis rebus ſemper gaudere ſinat. Dabantur in Regia noſtra Stokholmenſi die 3. Iulij Anno 1654.*

Serenitatis Veſtræ Bonus Frater, Carolus Guſtauus Rex.

Lator literarum erat Ioannes Koch, dudum in emporio, Dantiſcano Commerciorum Regni Sueciæ procurator, (agentem vocant) pro contentis ſcripti æque humaniter acceptus ac tractatus, nihilq; prorſum retaliando officio intermiſſum; iam feſtiua gratulatione nouo regimini Caroli applaudente Caſimiro, & quò conſtans pro perpetua pace eniteret ſtudium, procurandæ ei, miſſurum Legatos in Sueciam pollicente. Id quippè per Canazilium poſcere eius Regni Ordines videbantur, ea in reſcripto adiecta clauſula. *Cæterum, neq; conducere vllius noſtrum honori, neq; ad finiendas lites prodeſſe, priorum Tractuum more, varijs tantum rumoribus præbere materiam, Mediatorumq; officio creare Regibus Principibusq; alijs moleſtiam, tandem ſpecioſo apparatu in conſpectu Orbis acturos conuenire, ac iterum leui prætextu diſcedere: vnde vicinis nationibus ludibrium, nobis verò in mutua odia ſuſpiciones moueantur; vt ſic animis ad conciliationem minus aptis, ab inuicem recedamus, quam ſicuti congreſſi fuimus. Hoc pretio nullos pacis tractatus placere, neq; ijs ſemel iterumq; in vanum tentatis, vi Pactorum nos adſtringi: ſpem duntaxat ſolidam in eo ſupereſſe, ſi Ser. Rex & Reſp. Veſtra, loco tot Internuntiorum, quemquam ſufficienti in eam rem poteſtate inſtructum, ad S. R. Maieſtatem deſtinarent. Diſſidia noſtra alias gentes non attingere, ipſo annorum decurſu magna ſui parte obliteran-*

teranda merito eſſe debere, ac quò compendioſius, eò aptius componi poſſe, &c. Tali reſponſo Canazilius in Poloniam rediens, quem ſecutus in breui Kochius, facilè perſuaſerant credulo Regi, vt rem ſincera mente agi exiſtimaret; vt ferè qui alijs nocere non ſolent, omni ſpiritui credunt. 1655.

Ex eo motiuo, Caſimirus protinùs in Sueciam ablegauit Andream Morſztyn, virum per natales nobilem, & intimæ admiſsionis Cubicularium, Dapiferum tunc Sandomirienſem, ſincero pacis teſtando deſiderio, & qui è veſtigio Legatos cum abſoluta poteſtate tractandæ pacis ſubſequi nuntiaret. Planè in procinctu erant iſti; cùm Zbigneus Gorayſki, Caſtellanus Kijouienſis, raræ eruditionis & facundiæ, apoplexiâ moritur, cui primas legationis partes deferri Reſp. voluit. In ſubſtituendo dehinc ſubiecto mora, donec Ioannes Leſzczyńſki Palatinus Lencicienſis, in locum defuncti ſubrogaretur: multis inconueniens, imò indecorum genti noſtræ cenſentibus, Lubecam, tractatui pacis aſsignatum locum mutare, tum & nouitij Regis ſufflaminare typhum, vbi á veterano & amplioris Regni Monarcha, conuenitur: non tamen ſcrupulis locus dabatur, annitente vt palam faceret Caſimiro, magis ſtudere publico Chriſtianitatis bono, eum, qui peregrè pacem & vltra maria quæreret, quàm qui quæſitam ambitioſè domi præſtolaretur. Aſt, ex facili componendæ eius, in primo limine fefellit opinio; vbi Internuntius Morſztyn minùs condignè, nulla characteris quem mittentis perſona miſſo imprimit veneratione, accipitur; imò quod procuratam contumeliam conuincebat, in conſpectum Sueci, (audientiam dicunt) vix ſalutando Regi admiſſus. Quæ tandem illa charybdis, ad quam ſalutis publicæ geminorum Regnorum allidit oneraria? quis aſtrorum influxus aut ſideratio, ex conſanguineo Rege indigna metamorphoſi inimicum repentè fecit? imò quæ tam ſubitæ mutationis cauſa? In titulo Sueciæ Regis, tertium &c. omiſſum: nec minus illud lethale, quod in calce vt ſolet literarum fidei, ſeu Credentialium,

1655. lium, appoſitum eſſet, Regnorum Poloniæ & Sueciæ. Hæc naufragæ pacis Acroceraunia, ac valituræ in bellum cauſæ ſufficiunt, excæterationem omiſiſſe, ac in plurali Regna, incuriâ Scribæ poſuiſſe. Corrigendo errori, aderat promptiſsimus celoce curſor, qui maritimo itinere iuxta Suecorum placitum, alias literas ex Polonia ferret; ſed apud præoccupatos minùs ſubmiſsio valuit, omne ius faſq; libidini belli poſtponentes. Nec diu quo ſpecies rationabilis actus maneret, Sueci Proceres, cum Senatu Poloniæ per epiſtolam contulêre: perplexi & quaſiuerò frigidam in noſtris tractandi curam arguentes, quominus nondum in aduerſa paci conſilia proſiluiſſe oſtenderent. Iſtis pari humanitate reſponſum à Primate Leſzczynio, qui propiores ad ſe inuitarat è Senatu Louicium, quominus lapſantem gentis vicinæ amicitiam, mutua vtriuſq; Regni Senatus interpoſitione ſuſtentaret illæſam.

Breuis dehinc mora, cum prodeunt typis impreſſæ belli in Polonos mouendi cauſæ, ſed iniquæ, recenſentur iniuriæ, ſed confictæ; violatio Induciarum objjcitur, ſpecioſè magis quàm verè; & omnia, ad iuſtitiâ nihil, ſub titulo, Cauſæ præliminares. Eas ſummatim cum breui apologetico Lectori exhibeo. Objjciebant I. *Tribunum Cæſaris Bothiũ, ſciente nec prohibente* VLADISLAO IV. *in Liuoniam; mox Krockouium eiuſdem Polemarchum in Pomeraniam, vtroſq; per Poloniam, hoſtiliter incurſaſſe ditiones Suecorum.* ℞. *Factum id quidem, ſed inſcio Rege ac inuitis Polonis, nec ſubitum incurſum reprimere valentibus. Similiter Sueticas Bannieri copias, per maiorem Poloniam in Sileſiam irrupiſſe, non ideo tamen à Cæſare bellum Polonis illatum. Quid ſi latro per fundum meum tranſiens vicinum deprædatur, num ideo complex damni & pænæ exiſto?* II. *Idem Vladiſlaus Oëſiliæ Inſulæ, in ius Suecorum Pactis cum Dano tranſcriptæ, incolas, datis per Bergium Cubicularium literis, in defectionem ſolicitauit.* ℞. *Oëſiliam Liuonicæ ditionis, ac proinde Iuris Polonici fuiſſe; quam dum Rex Danus hypotecarius poſſeſſor, velut rem indubitatæ hæreditatis in Ius Suecorum tranſcribit, Ordines Inſulæ commoneri, ac nomine Reip: Polonæ, citra pactorum præiudicium, proteſtari licebat.* III. *Ab eodem ſolicitatam Liuonum fidem, quâ Suecis ſub inducijs obſtricti, &c.* ℞. *Futilis ſine probatione aſſertio.* IV. *Similes eiuſdem molitiones cum Rege Daniæ, Arnheymio, & Baudizio, Cæſari militantibus.* ℞. *ſimilis priori. Hæc in anteactum, mox præſentia incuſabantur.* Imo *Chriſtinæ Reginæ in Caſimirum inſigne amoris documentũ, quem vt in Regem eligeretur, peculiari curâ commendauerat Ordinibus, ſumma ingratitudine autori repenſum.* ℞. *Polonis Reges præordinat Deus, ipſi eligunt Regnaturos; externorum commendatio, eſt actus ſuperficialis, Cerimoniam dicimus.* 2do *Literas ad Chriſtinam non latine ab eo, vt aſſolet, ſed Gallicè ſcriptas, quo per idiomatis peregrini compendia, Maieſtas eius, debitis titulis fruſtraretur.* ℞. *Inter cognatos Principes confidentius actum, imò cum ſexu iſto ludere Gallici ſermonis leporibus, pars humanitatis cenſebatur. Etiam aliquis ſuggeſſit, Nempe ideo Romanis verbis adorari voluit, quia nunc & ipſa Romam adorauit.* 3tio. *Rigæ intercipiendæ conſilia, tum & Coſacorum in Liuoniam irruptionem agitata.* ℞. *Da probandi? ſubtices, vtiq; actor es, debuiſti eſſe paratus.* 4to *Illuſum Suecis oſtentatione pacis, binos Lubecæ congreſſus in irritum inſtituentibus.* ℞. *Ergo quia pax perpetua compaginari nequijt, licitum diſſoluere Inducias Suecis? Nonne procuratio pacis, erat actus voluntatis? Induciarum conſeruatio, actus neceſſitatis? vt indicant ipſa Pactorum verba.* Licet tractatus Pacis perpetuæ ſemel atq; iterum non ſucceſſerint, firmas tamen & inuiolabiles manere debere Inducias, vſq; ad exitum Pactorum. *Quæ tamen Conuentus Lubecani abrumpendi cauſa? Quod Titulum Regni Sueciæ ſibi arrogauerit Caſimirus.* ℞. *Rem acu tetigiſti. Quod vſurpare potuerit imò debuerit, probatur ex legitima ſucceſſione in hæreditario Regno continua praxi obſeruata. Quod vt luculentius pateat, exhibeo Guſtauianæ Stirpis Tabulam Genealogicam.*

Guſta-

1655.

GVSTAVVS ERICI, REX Sueciæ, Anno Chriſti 1528.

Ex CATHARINA Saxonica. | Ex Secunda MARGARETA Comitis de Loholm Filia.
Coniugibus. &

ERICVM XIV. Suec. Reg.	IOANNEM Sueciæ Regem.	CAROLVM Sudermanniæ Ducem.
Qui	*Qui*	*Qui*
Ex CAROLI V. Imper. Sorore.	Ex CATHARINA SIGISMVNDI I. Reg. Pol. Fil.	Ex MARIA Palatina.
GVSTAVVM Suec. Princ.	SIGISMVNDVM III. Reg. Pol. Hæreditarium Sueciæ.	CATHARINAM IOANNIS CASIMIRI Ducis Biponti Vxorem.
Extinctum.	Ex GVNILLA Axelij BIELKE Fil.	Ex CHRISTINA Holſatiæ Duc. Fil.
	IOANNEM Hæredit. Suec. Princ.	GVSTAVVM ADOLPHVM Suec. Reg.
	SIGISMVNDVS III. Pol. & Suec. Rex.	Et CAROLVM PHILIPPVM.
	Ex ANNA Auſtriaca.	GVSTAVVS ADOLPHVS Suec. Rex.
	VLADISLAVM IV. Pol. & Suec. Reg.	Ex LEONORA Brandeburgica.
	CATHARINAM Duci Neoburgico nuptam.	CHRISTINAM Reginam Suec: Patri Succeſtricem.
	Ex CONSTANTIA altera Auſtriaca.	Quæ celebs adoptauit ſucceſſorem.
	IOANNEM CASIMIRVM Poloniæ Electum, Hæred. Sueciæ Regem.	CAROLVM GVSTAVVM Ducis Biponti & CATHERINÆ Suecæ Fil.
	IOANNEM ALBERTVM Cardinal.	Qui
	ALEXANDRVM & CAROLVM FERDINANDVM Poloniæ & Sueciæ Principes.	Ex HEDVIGE Sleſuicenſe.
		CAROLVM Nonum modernum Suec. Regem.

1655.

Progenuêre.

Hinc patet vim naturali ſucceſsioni illatam, & iniquè abdicatũ à Suecis prærogatiuâ naſcendi legitimũ Regem. Quinimo religio quia Romana Catholica, Sigiſmundo etiam Vladiſlao & alijs ſucceſſoribus obfuit. Atqui Ioannes Sigiſmundi III. Frater, eiuſdem Auguſtanæ religionis? minus eſt, transfertur ad Sudermannum regimen Lincopienſibus Comitijs, contra omne fas veris ſucceſſoribus ablatum. Ergo cauſa non erat Conuentus Lubecenſis ob titulum Regni diſſoluendi, cùm Polonus de Iure haberet Regnum Sueciæ, etſi poſſeſsio alterius eſſet. Nec nouum Titulos Regnorum à pluribus vſurpari. Nauarrâ Hiſpano ſubiacet, Titulum Rex Gallus habet: Hieroſolymorum Reges Lotaringici ſe ferunt, Turca poſsidet: Danus Vandalorum ſe Regem ſcribit, ſcribit & Suecus: qui idem Gottorum vocabulum vſurpat, quorum nè veſtigium in Suecia compareat. Secundus Lubecæ Conuentus diffluxit, quòd Regni Suetici ſtemma, in ſigillo Reg. Pol. cerneretur. &c. Ergo Regi Polono vt ereptum Regnum auitum, ita etiam ceras & inſignia Maiorum eripi oportuit? quid ſi eradere permiſiſſet, nonne ſe veram Regum Sueciæ progeniem eo facto abnegaſſet. Quippe ſtemmata ac teſſeræ gentilitiæ, genuinæ ſtirpis documenta ſunt, decus generis, natalium ſignatura. De claſſe apud Gedanum inſtructa, Orbem teſtem appellamus, & conterminos mari Principes, nihil horum factitatum. Hæc de cauſis belli. Iam verò ſi Lubeca infauſtus tractandæ paci locus diſplicet, aſt pax ipſa adeo Polonis cordi eſt, vt eius cauſa, vel Stokholmiam Legatos ſe miſſuros obtulerint, redintegrando ac conſummando negotio paciſcendi. It primò Canazilius, vt dixi; it deinde Morſtinius, in cuius literis hoc culpatum, quod ad cal-

1655. ad calcem Folij inſcriptum eſſet, Regnorum noſtrorum, & tertium &c. omiſſum. Veniale peccatum vbi apices literarum in crimen trahuntur, ſi factorum immunes ſimus. Sed vtiq; Poloniarum Rex aliquot Regnorum Rex eſt, cùm habeat Polonum Electione, Sueticum Iure naturali & ſucceſsione. Interim in Poloniam regredior.

Ipſo belli Suetici procinctu, interuenit mors Caroli Ferdinandi Poloniæ Sueciæq; Principis, Plocenſis ac Vratiſlauienſis Epiſcopatuûm Adminiſtratoris: qui Sigiſmundo III. & Conſtantiâ Auſtriacâ genitus, ſolus cum Caſimiro Rege, quatuor præmortuis fratribus in ea tempora ſuperſtes manſerat. Natus VII. Octobris An. Ch 1613. Poſtremum diem habuit 25. Maij Anni præſentis 1655. Pars ſanè non iniuſti doloris erat, optimo Fratre Regem orbari, niſi aliqui opportunè mortuum dixiſſent, vt congeſtos theſauros in ſubſidium irrepenti bello relinqueret; ſi prouixiſſet pro ſe retenturus. Sub Interregno poſt Vladiſlaum, in competitione Regni æmulus ſtetit Caſimiro, mox fratrem oſtendit; ac inter magna adipiſcendi diadematis inuitamenta, manſiſſe contentum priuato patuit, nec vltra quàm concordiam & tranquilitatem vitæ concupijſſe. Quod cum Regno quæreretur, felicitatis, quod recederet à competitione, moderationis fuiſſe; ſemper affectuum potens, fratrem natu maiorem cōſtanti veneratione proſecutus. Probus ingenio Princeps, moribus placidæ pietatis, prudentiæ ac induſtriæ tantùm, quantùm cura Domus ſtatuſq; poſceret. Familia pro neceſsitate ampla, ſed ex moribus Domini caſta, vt qui ſi non charactere, at ſaltem titulo Paſtorem ageret. Vitia, ſi quæ vti homini inerant, texit vita regulata, ac multiplices aliæ virtutes: non illæ quidem quas ſæculum æſtimat, ſed quales cælum merentur. Parſimonia ac congerendarum opum ſtudium, pluſquam in viro Principe decet; cui non facile alium nævum obieceris. Quod ſi coaceruatio pecuniæ vitium dici poſsit, certè ſub hoc vitio virtus latet, quæ demùm in vſu nummi noſcitur. Ægritudo contra-

contra-

contracta illi, ex fortiori imminentium apprehenſione, vnde hypocondria ac lethargo vexatus, extremū diem admodum Catholicè Wiſcouiæ obijt, loco dudum ob amœnitatem ſibi dilecto. Corpus exenteratum ſepelitur Varſauiæ, Cor apud Patres Societatis IESV, nam huic Religioni addictus, ſe, conſcientiamq; moderandam tradiderat. Fratrem Caſimirum, hæredem ex aſſe & Executorem Teſtamenti ſcripſit, cui præter non temnendam opum vim, Iura in Opolienſem ac Ratiborienſem in Sileſia Ducatus ceſsêre. 1655.

A Principali funere ad publica conſilia itum: Indictis ad diem 19. Maij Varſauiæ *Comitijs, in quibus non vltra bimeſtre* producendis, ad defenſionem tantùm Reip: diſſertationibus locus eſſet. Terrarum Nuntijs præſidebat Caſimirus Vmiaſtowſki Breſtiæ Lithuanorum Iudex, quem autor Germanus in ſua Hiſtoria Vnbaſſutium vocat. Actus cæpit à iacturâ Smolenſcij, quod Philippus Obuchowicz loci Palatinus, Moſcho nuper dediderat; ſimul criminis complices, Nobilitati aut præſidiarijs Præfecti, in ius rei vocabantur. Publico iſti odio laborabant, ſed præcipuè autor deditionis Palatinus; qui licet conſcientiâ & metu anxius, attamen defenſionem agitare oſtendit. Expediebat certè non impunitam habere ignauiam, imminentium reſpectu; cum ratio bellorum ex bellis diſcatur, & exemplo præmij aut pœnæ, *ſtrenuitas militaris proficiat. Aſt* tunc reus, pœnam iuris colore vitauit, ſcilicet deducendi ſcrutinij dilatione vſus; quo demum interſtitio mortuus, Deo iudicandus relinquitur. Multa præterea his in Comitijs ſancita ſunt Nempe, Publica Expeditio; Delectus peditum per oppida villaſque; Diſciplina militaris inſtaurata; armamentarijs prouiſum; ſancitæ contributiones; Exercitui ſtipendia condicta; Teloniorum ac Portoriorū vectigal auctum; ſingula benè, omnia ſerò. Coronis ſancitorum erat, Lex ſumptuaria durante bello inſtituta: nam, ſi quando inexplebilem opum Regni Syrtim, tunc certè deprehendere datum: cùm non aliud malum, immoderato luxu, in gente noſtra damna-

damna-

damnabitur ſemper, & tolerabitur. In Italia olim, Manlius
1655. Conſ: cum triumpho de Gallogræcis, ſimul magnificos con-
uiuiorũ apparatus Romam inuexiſſe fertur: Nos æq; pace
ac bello, in luxum effuſi, vel ſtrepente ferro, aurum cõuiuijs
inſumimus, ſatiùs ad menſam deglutiendum cenſentes, nè
hoſtis potiatur. Culina fertiliſsimi Regni gurges eſt; &
plùs iam forte in coquos mercedis, quàm in militem ſtipen-
dij impenditur. A palato in dorſum ſerpit prodigalitas,
ſerica veſtis, Tyrius murex, Sydonis purpura faſtidio; niſi
tela aureo filo criſpata tegat: niſi argentum in ſtamina didu-
ctum, multiformes florum colores mentiatur, aut pictæ
phrygionum ingenio prætextæ, ramenta auri proijciant;
decor cultus abeſt, nec ſat conſpicuus ornatus cenſebitur.
Tranſeo plura, niſi quod acrior in vitijs æmulatio eſt. Si
opulentioribus conuiuia aut exquiſita veſtis placet, ſi ædi-
ficiorum ſplendor, circumpedum caterua, turba equorum
delectat; certant vitijs Patricij, horum Nobilitas æmularut
luxum: etiam in Ciuitates diffuſa licentiâ vbique peruadit.
Hinc tùm prouidè ſumptuaria lex lata, neſcio quomodo,
aut quamdiu duratura.

Sub hæc, pacis deſiderio aut metu belli anxias Ordinum
mentes verſante, de mittenda in Sueciam Legatione, ſeriò
actum, quam interea contingens importunè mors Gorav-
ſcij abruperat. Proin affatim iuère Ioannes Leſzczynſki
Palatinus Lancicienſis & Alexander Naruſzewicz Campe-
ſtris M. D. Lith. Notarius, viri illuſtres, & qui poſt ambo
Curæ ſigillorum vtriuſq; gentis admoti ſunt: quos in appa-
ratu longinqui itineris, ac ſequius tractati Morſzrynij expe-
ctandis reſponſis, neceſſe erat ſeriùs in Suecia ſiſti. Ineunte
tamen Iulio Stokholmia excepit venientes, ſub Comitiorũ
gentis finem, in quibus de bello Polonis inferendo, expedie-
batur deliberatio. Hos, dum publicum (audientiam) po-
ſcunt, adière humanitatis gratiâ Roſenhanes Cancellarius,
ac Bannierus Senatores Regni, poſt prima ſalutantium of-
ficia, in Regis ſui, pacem quaſi vero cupientis, effuſi laudes,
mox

mox vbi conſumpſerat ſimulatio verba, tandem hùc flexê-
re. Regiam Maieſtatem Sueciæ, à ſtudio pacis ineundæ 1655.
non recedere, niſi id negotium ſub armis & clypeo commo-
dius tractari arbitretur. Patuit inde falſam de pace opi-
nionem nobis, Suecis ſimulationem altiùs inhæſiſſe. De-
mum inſtituto aliquoties colloquio, vbi & claſſem arma-
tis, & onerarias ſupellectile Regia compleri, mox à littore
receſſuras aduertunt, tandem in conſpectum Regis Caroli
admiſsi, Naruſzeuicius delata dicendi copia talibus Re-
gem affatur. *Non te neſcire Ser. Rex arbitror, gentem Polo-
nam antemurale Chriſtianitatis dici haberique: ad quod tan-
quam firmum propugnaculum, auara infeſti Orientis Europam
ſubſidendi deſideria, allidantur. Patria noſtra iuxta poſita
Regna populoſque, aduersùs grauem Orbi Barbarorum potenti-
am tutando, ſtationem pro fide Chriſtiana retinet, & nè ſocia-
rum gentium iugulum rabies illa appetat, vigil excubat Sarma-
tia. Neq; iſte protectæ Europæ titulus, verbo tenus nobis ſte-
tit, pluriès actu & præſenti opere comprobatus. Septennium
eſt vt cum Scythis, & effrenata rebellis Coſacorum multitudinis
colluuie luctamur; annus præterijt ex quo cum vaſtiſſimo ſimul
Moſchouitici Imperij robore decertamus. Inter eos tamen bello-
rum turbines, ſumma nobis pacis, ſumma amicitiæ cum vicinis
ratio eſt, eo inuicti Regis noſtri, & Maieſt: Veſtræ conſanguinei
genio, vt in Crucis hoſtes tantũ pia arma vertere norit; & cum
Chriſtianis Principibus concordiâ, ac mutua charitate certare
connitatur. Ab eo, pro pace perpetua, pro ſtabilimento ami-
citiæ apud te Rex inclyte acturi venimus, & quem inuiolabili
Induciarum fœdere ſecuri hoſtem timere non poſſumus, eius
amicitiam, vltra maria, & remotum Aquilonis clima, bene
affecto Regi, & Reip: noſtræ, vltro quærimus. Aſt irriti
Lubecæ Conuentus exprobrantur? minus eſt. Illuc enim inter
Miniſtros de præliminaribus controuerſia fuit; Stokholmiæ pro
ſtabili inter gentes amicitia agitur: illuc æmulabamur inuicem
quiſq; pro gentis ſuæ excellentia ſatagentes; hîc Regibus pari ti-
tulo, honore, & poteſtate, pro bono Chriſtianitatis certamen*

erit.

1655. *erit. Eodem inclyte Carole Rex stemmate, eodem sanguine quo & Noster gloriaris, carnem verò tuam, sanguinem tuũ, quî odisse poteris, aut reijcere ambientis beneuolentiam, quam magnanimitas ista tua, & pronus in humanitatem animus vrgendo suadent. Quominus igitur pax perpetua inter gentes Polonam Suecanamq́; coalescat, deduci leges in stipulatum poscimus. Id gloriosum tibi atq́; nobis Rex, proficuum Christianitati, Ottomannis formidabile erit; vt qui ex Aquilone omne malum vnicè metuant, nè scilicet vnita Arctoi Orbis virtus, inuasorem Orbis Tyrannum, intra primæua Propontidis quandoq́; retrudat cubilia.* Alacris vt præseferebat Rex Legatum audiuit, verùm facilè intellectu erat dissentire vultum ab animo, cum iam in secretiori consilio decretum contra Polonos bellum, non citra famæ iacturam, aut leuitatis notam retractari valeret: nihilominus ad mutuum colloquium iterum deuentum, in quo Legatis Ericus Oxensterna Comes, Magnus della Garde Thesaurarius, Gustauus Bielke Senator, ac Laurentius Cantersteynius Secretari9 Status congressi, easdem causas bello, quæ sub titulo præliminariũ vulgatæ, prætexentes; modesta ac enucleata propositione, thesim colloquij, in præterita, præsentia, & futura, distinguebant. Simpliciter nostri pro iustitia causæ egêre, nè id quidem inficiantibus Succis; qui velut continuantes cæptum opus, (adeo operosa simulatio fuit) cuius causa venissent vt edisserent Legati, iterum districtè rogauêre. Responsum est, primo loco pacem perpetuam, dein societatem armorum in Moschum, nimiùm quàm successibus elatum, proponi velle. Quo super themate Carolus postridie cum suis consultauit, repertis in Senatu illo nonnullis, qui bellum quod dissuadere non poterant, morari intenderent; præcipuè Petrus Brahe Vpsaliensis Præsul Lutheranus, tum alij; reponente in concilio Rege, eius se demũ pacis cupidũ fore, ad quam belli via, vti securiorem duceret. Nec vltra simulatio obtentui, deproperante ad Classem Carolo, & Legatos vt in Pomeraniam sequerentur inuitante, cum

quibus

quibus enauigato mari, & Poloniam propè, capita pacificendi conferret. Verùm generosè reiecta conditio, Rege 1655. ad Bolgastum Pomeraniæ, Legatis Gedanum mare traijcientibus.

Romæ huius anni principio, post mortem INNOCENTII X. Pont Max. LIV. Cardinales conclaue ingressi sunt, deligendo successori. Tribus mensibus Electio durauit, Sacro Collegio illo, non omnino eius veteratoris subdolarum artium experte, qui nè Saluatori quidem tentabundus pepercit. Hispani, subinde Galli, sibi obstrictos volebant, idem studium Principibus Italiæ; etiam populus Vrbis diuturna expectatione anxius, hunc aut illum diuulgabant, solita animorum prurigine, donec vnus eligatur quoscunq́; destinandi. Res mira, prodit in antecessum emissarium scriptum, clam obelisco suffixum; quo concitati omnes de cognomine Cardinales, per desumptos ex Sacra Scriptura locos, ad fastigium Pontificale commendabantur, vel ex eadem reprobati fuêre, non maiori acumine quàm energiâ, ad cuiusq́; mores & affectus appositis sarcasmis alludendo. Ad Fabium Chisium Senensem vbi ventum, (formata interrogatione ex D. Paulo.) *Bonum certamen certaui, fidem seruaui, cursum consummaui*, cum cunctis negatiuè respondisset, huic non falsus Vates edixit. *Reposita tibi Corona Iustitiæ.* Etsi is vix post emissum scriptum XXXVII. die electus, Pontificiam sedem conscenderit. Perhibent præterea Malachiam Hyberniæ Episcopum, aliqua de futuris Pontificibus edisse vaticinia, adiectis ad impressa symbola varijs subscriptionibus. Locum qui cum ALEXANDRO VII. coincideret signauit emblemate montis, addita inscriptione CVSTOS MONTIVM: cum Familia Chisiorum triplici in fastigium montis exporrecto Saxo, pro gentilitio stemmate vteretur. Die septima Aprilis, promulgata Electio, summâ cunctorum lætitiâ, ipso sibi nomen ALEXANDRI septimi imponente. Quantis Vniuersalis Pastor Virtutibus radiaret, vel vno ostendit probissimæ demissio-

C 2 nis

——nis exemplo. Pictorem nobilem & cuiusuis effigiem ad
1655. viuum coloribus exprimere doctum, dum forte per transennam in lineamenta oris Pontificij intendit, ad se accersitum affatur. *Heus sodes nunquid ectypum mihi meditaris?* fatente Rondino (id pictori nomen) & dederat specimen artis, iam in aliquot expressis ad amussim Pontificibus: rursus Pontifex *parce labori & ingenio (inquit) in depingendo Chisio, cranium satius mortui hominis effinge, in quo me videam, ita citius & satius pretium operæ tuleris.*

FERDINANDO quoq; III. Cæsari, annus is iacturam nuper illatam ex morte Filij FERDINANDI IV. Romanorum Regis, resarcijsse visus: LEOPOLDO Iuniore in Regem Hungariæ substituto ac coronato; celebris solennitas transacta Posonij die 27. Iunij; quod Alba Regali ac Belgrado à Turca ereptis, pro sede Regni Austriacis habetur. Læta in præsens prima auspicia Hungaris, vt ferè mitissima sors est, Regnorum sub Rege nouo: sed erit tempus, inter raræ seueritatis exempla numerandū, quando Pannonicæ Nobilitatis capita in mortem, mortes in securitatem, fortunæ in fiscum deuoluentur: & deinceps Turca in patrocinium alterius tractus, vt vnam partem erigat, vtramque premet.

die 2da April. Crebrescente in dies belli Suetici rumore, accidit casus rarus magis quàm mirabilis, ac inter prodigia, quæ superiore libro retuli, ostenti loco acceptus. Gedano haud longè pagi sunt Zyczow & Zagorze, aperta circumquaq; planitie, inter quos prodigiosa à duabus aquilis pugna committitur. Vix visitatum eo loci id alitum genus, vbi syluæ rariores; tum quia is tractus haud abundat minorum gentium auibus, ex quibus rapaces istæ habeant prædam in esum. Prior à mari deuolauit Caroli Sueci typus; ab oriente altera Casimirum referens superuenit, clangentes inuicem, & infesto volatu non amicum congressum monstrantes: dein pennis per aëra circumactæ, mutuo alarum impulsu collidebant, vnguibus plumas vellebant, rostro artus

tus lacerabant, quoad inter se implicitæ in terram prouol- ——
uerentur. Neq; mitiùs in terra aëris incolæ egêre, perti- 1655.
naci odio altera alteri exitium intentando. Succumbebat vna strictissimè prioris vnguibus pressa, cum frequentes tunc per arua, seminibus solo mandandis agrestes, à spectaculo in auxilium versi, non aliter victam liberauêre, nisi contentiosam pugnam dirimendo, alitum alteram fuste contudissent. Colore plumarum erant cinericio, albicantibus alis, rostro & vnguibus crassioribus, eo loci vix alias cognitæ aues. Quæ victam se confessa, viua capitur; superior certamine occisâ, Gedanum deportatâ, spectaculum præbuit, imo præsagium: dum otiosa ingenia, fortuita in omen futurorum trahunt.

Quarto nonas Iulij, Arfridus Wittemberg Suetici Exercitus Dux, in Poloniam ingressus, destinatam expeditionem prosequitur: curta illi vix vi. Mill: acies, sed auxit numerum Konigsmarcus Pomeranicis delectibus, & circumquâq; confluentis Germani militis accursu. Præsto aderat Hieronymus Radzieiowski, Vicecancellariatu cum iniuria, Regno sine misericordia exactus; hinc, ob immeritum exilium in eos qui læserant peracerbus, ac quo magis Suecis se probaret, aduersùs æmulos implacabilis. Sed quid demum faceret? interpositione Reipub: haud profecerat, Pont: Max: Cæsaris, aliorumq; Principum interuentu nihil ad clementiam cooperante, nouissimæ necessitatis impulsu, coactus Suecis se adiunxit; nouus Poloniæ Coriolanus. Primâ procellâ in Maiorem Poloniam conuersâ, nimiùm quàm res ibi imparatas, vel satiùs confusas offendit. Quatuor Palatini in populares imperium partiebantur; Christophorus Opalinski Poznaniensis, Andreas Grudzinski Calissiensis, Iacobus Rozrażewski Inourocłauiensis, ac Petrus Opalinski Podlachiæ: præter hos Castellani ac Procerum permulti, quorum nominibus si quid egregiè gestum haud pepercero; sequior fama nè ab ipsis quidem desiderabitur. Isti euocatâ sub signa Nobilitate,

1655. apud Noteſſij fluminis ripam, propè Vſcie oppidum conſederant; diſcordes inter ſe, vt nè Caſtris quidem, nè dum animis iungi potuerint: auxit malum, obfirmata de aduentu hoſtium incredulitas; vnde velut vanis rumoribus terrerentur, per rura cohortes, nè iunctæ hoſti incommodarent, ſuis diſperſæ nocebant. Excuſsit dehinc dubium Podlachiæ Palatinus; magnanimus ille, & qui pro auito candore Heroicis actibus, quàm ſubtilitate ingenij clareſcere mallet, dum exploratum procurrens, nouem genuinos Suecos; ac poſt hunc Kłodźinſki veteranus militiæ, Centurionem Drahimi interceptū adducerent; haud fallentes imminentis hoſtilitatis nuntios. Tum demum ſubſidente incredulitate, metus oriebatur. Diuerſa agitantibus, ſuperuenit Tubicen à Wittembergio cum literis præmiſſus, breui ſed neruoſo epiſtolij contextu. Primùm ærumnas calamitoſæ Poloniæ exponebat, demum vbi hyperbolicè præſentia mala exaggeraſſet, ijs tamen de medicina à propitio cælo proſpectum aiebat, Potentiſsimi ac Optimi Regis Sueciæ Caroli interuentu; qui Religioni, Legibus, Libertati Polonorum, vindicias pararet, reprobis exitium; Eum affore mox Protectorem, cuius clementiam, quàm vires, ſecuriùs ſit afflicto Regno experiri. Id ſe conſulere & promittere, ſi annuunt Maiores Poloni, mox omnibus voti & conſilij ſui effectum probè conſtiturum. Datum ex Caſtris ad Wałecz die 14. Iulij, Anno 1655. Aduertit plurium animos epiſtola, vt tandem contractis in in vnum copijs de imminentibus ſeriò, etſi ſerò deliberarent. Penes Nobilitatem robur Equitatus erat, oppida ac pagi peditem ſubmiſerant, ſed diſciplinâ haud imbutum, ac per tyrocinium obſequij rudem. Erratum pleriq; cenſuêre, quod offerente ſuos in præſidium cuſtodiendi traiectus Electore Brandeburgico, ſubmiſſa Legio retrouerterat, ſpreta ob diffidentiam. Mox à Drahimo Exercitus Suecorum in conſpectum venit; noſtris apud Czaykowum metatis, inceſsitq; acie per prolixam planiciem ordinata, ac fulgentibus ſignis.

In prima fronte Prætoria Regis Caroli ſigna (Leib Guardia) monſtrabantur; dein machinæ 1655. ſuccedebant, quas pedes vtroq; latere texit; ponè exporrecto cornu alarum Equeſtrium. Equitem Pontus della Garde, Bretlachus ac Konigſmarcus &c. ducebant; Pediti Paulus Wirtius Generalis vigiliarum Præfectus, imperia diſtribuebat. Eo ordine progreſsi, ad datum pugnæ ſignum in ſtationes Grudźinij, inuehuntur, depelluntq; nihil auſum, numero & apparatu ſuperiores, niſi obiecto Vladiſlaus Skoraſzewſki peditatu, vim in ſerum noctis inhibuiſſet: quâ tandem ingruente, non neſcius Grudźinius quàm pauci ſecum in reſiſtendum manerent, reuocantibus Collegis paruit, traduxitq; ſuos, ipſis tenebris ſecurior, & imminenti periculo concors. Enimuerò reliqui, ſub noctem improuiſo periculo moti, circumcurſare cohortes, exquirere conſilia, inuicem ſibi errores obiectare; & quod perditis rebus ſolet, omnia damnabant, nihil quod conduceret afferentes. Id tandem conſilij occurrit, vt velut ad ante datas Wittembergij literas reſpondendo, ſciſcitarentur. *Quanam iſta vis immerita, & Prouinciarum Regni inuaſio? à Suecis, gente vicina, contra Inducias, nullo demerito intentata? cur quos amicos ſperauerant, hoſtes experirentur?* Ad ea Wittembergius à reſcribendo ſe excludi tempore dixit, mutuum colloquium ſi placet offerens, ibi à Delegatis ſuis plura reſcituros, moram interim vel minimam, nec ſibi, nec Polonis conducibilem. Data acceptaq; fide, vbi comparuêre vtrorumque Delegati, inter ambos Exercitus intermedij. Hic Wirtius. *Dij melius Poloniæ (inquit) quam vt ea impari Marte belli aleam tentet, inuictiſſimi Regis Sueciæ nunquam ſuperabitem potentiam laceſſendo. Propugnator ille non oppugnator adeſt præmiſſo in anteceſſum Illuſtriſſimo Generali Wittembergio, vt ſolem ſuum aurora præueniret. Non amplius Moſchus Lithuanis, non Coſaci Ruſſiæ graues erunt, à Protectore Rege coercendi: qui huc ea cauſa diuertit, vt ſibi gloriam, Polonis pacem, circumiectis populis ſecuritatem, opitulando*

1655. *lando adferret.* Finis colloquio fuit, Commiſſarijs ſe ad Nobilitatem referentibus, nec aliter rem concludendam, niſi iſti aſſenſu ſuo, more gentis firmarent, tranſacta. In id rei, ægrè à Wittembergo ad meridiem craſtini impetrata mora eſt: cùm interim noſtri vario animorum motu agerentur; quippè cenſebant aliqui Thorunium versùs recedere; vbi Nobilitati Pruſsiæ iungi, etiam auxilijs Electoris Brandeburgici erigi poſſent; arcere alij hoſtem luculenti fluminis traiectu volebant; plures ſuppreſſo palam quid ſentirent, de non deſerendis penatibus pignoribuſque, ſi Protectioni Sueticæ creduntur, clam conſilium ſuggerere auſi: cùm ſubinde adulta die compareret Wittembergus, traiecto Noteſſo ad Dziembouiam cum copijs, circumductam à tergo Polonis aciem oſtentando. Exegit demum metus aſſenſum, & omnium ſuffrāgia in Protectionem Sueci conſpirauēre. Proh amentiam! turpem à Pilawcijs fugam, atrocem ad Batavum lanienam, & quæ alia loca dedecore noſtro notata, ſuperauit infamis deditio; vel vt tum flagitio vocabulum fuit, accordatio. Ita fert ſæculum, vt mala bonorum, & flagitia honeſtatis nomine quandoq; veſtiantur. Eo modo citra ſanguinem potiti Sueci Maiore Polonia, ſubito metu ac fallaci Protectione faſcinatâ: (vel ſi propria rebus dare nomina licet, diſcordia & ambitione Procerum) Idq; non imperiti equiſonis modo, qui blandius manu generoſum animal tractat, & frænum melle delibat, vt facilius equum domet; nam quo procliuem in gentem Polonam, nouella Protectio affectum oſtenderet, mox veteranus & præacutus Dux, ad natiuam moris noſtri illecebram verſus, Primores, iuxta & quæ remanſerat Nobilitatem, celebribus excipit epulis, ſub dio tractans, exquiſitiſsimo ferculorum genere, ac omnigeni liquoris abundantiâ. Artis erat, intermedium armis actum dare, vt dum iſta territant, humanitatis interim miſtura terror mulceretur.

Quo Carolus Rex nuntio lætus, ingredi fines Poloniæ matura-

maturauit, ex primis ſuccesſibus in poſterum nimia animo deſtinans. VII. mill: (famam ſecutus trado) conduxerat è Suecia ſuæ gentis militum, Finnorum præcipuè ac Lapporum, ex quibus Exercitûs robur; auxēre numerum per maritimas Vrbes inſtituti delectus, tum & Liuonica præſidia, vt aggregato Wittembergo, in breui XVII. millia Bellatorū ſuperaret. Sic patentem vndiq; Regionem ingreſſus, ſalutationibus & donis, velut hoſpes non hoſtis adibatur; tantumq; fiduciæ ille ipſe oſtendit, vt in domum Grudźinij Palatini Caliſsienſis rogatus Złotouiam, ſeſe conuiuio & inuitantis fidei, nè CC. quidem ſtipatus commiſerit. Demum in intima Regni ducentem, apud Koło oppidum, Chriſtophorus Przyiemſki à Rege Caſimiro Legatus adijt: noti ambo, ſub ſignis olim Guſtaui-Adolphi ſimul militando noſcenteſq; erant; hinc comis in obuium Legatum Carolus; & Przyiemſcius fidenter veteris amicitiæ intuitu loquebatur; eo tenore in publico Regem allocutus. (cuius orationis etſi pro inſtituti mei ratione verba contraham, ſenſum perorantis in totum breuitati ſtudens expono.) *Mirari ſatis non potuit Sereniſſimus Ioannes Caſimirus, Rex & Dominus meus Clem: cum Senatu ſuo, vbi nuntium accepit, Wittembergium Suecorum Ducem, cum infeſtis copijs confinia Regni noſtri ingreſſum; ſed magis iuſtiſſimum dolorem mouit, vbi Maieſtatem Veſtram, cum alio Exercitu in meditullium Poloniæ tendere, compertum habet. Inſperatum id planè, nihil tale meritos armis adoriri, minus æquitati conſonum, ſtantibus Inducijs bello impetere, & qui ne cogitatione quidem armiſtitium iuratum violauimus, ſubitam hoſtilitatem experiri. Quid tandem rei eſt Ser. Rex, cur eo impetu & affectu in Polonos feraris? cauſam indignationi non dedimus, gratiam Legatione prenſauimus, quominus perpetua inter gentes Polonam Suecamq; pax coaleſceret, quantum humana ope datum inſiſtendo. In Germanicum contra Suecos bellum, multâ illecebrâ tractus, potior habita ratio datæ ſub Inducijs fidei, recuſauimus ſocietatem, vtilitatem poſtpoſuimus. Iam verò priuàtim multi ex Polonis Sueco militauēre, etiam ego & Frater* 1655.

D *meus*

1655. *meus Sigismundus, Gustaui-Adolphi Maiest: Vestræ Auunculi, signa secuti; quod itidem multi alij ex nostratibus præstitêre. Ast diminuti tituli lædunt? vtinam verò calami errores scriptorio atramento, non humani sanguinis profusione eluantur. Si te Rex Inclyte studium gloriæ agit? alibi quærenda ea, non ex gente immerita, nec cum existimationis virtutum tuarum dispendio. Quæ verò famæ ratio fuerit, dum Barbarorum colluuies armis nostris distinetur, pro communi Christianitatis bono pugnantes inuadere? id planè erit Crucis hostibus contra Orthodoxos auxiliari. Si victorias præsumis, iustam belli causam priùs habe; quodsi affectu raperis, Nemesim & fortunam vt mutabilis est respice. Supponeret aliquis opum cupiditate stimulari? sed vt ista nobis desunt; ita tibi animus inest, à vitijs priuatorum alienus, & purus. Amalthea pœnu, Midæ loculos, cornucopias, procul à Polonis remouit natura; aurifodinis caremus, fluuij nostri pretiosi metalli ramenta non euoluunt; si vberior Ceres horrea impleuit, in necessarios vsus fertilitas terræ vertitur, & rari auaras opes Mammertinâ custodiâ claudunt. Maior Polonia quam adijsti documento est. Quas hic reperisti diuitias? quam Vrbium opulentiam cernis? in Prouincia pace florente & hostilitate intacta. Opes nostræ concordant cum animo, tantùm quisq; possidet, quantùm necessitati satis. Ne tu quidem spoliorum causa belligeras. Iam verò septenni bello vexati, nouos Exercitus quotannis conscribendo, per immensas contributiones haurimur velut Eurippo; milesq; dum sanguinem prodigit, æra nostra exsugit. Itaq; si Protectoris nomine venis, auxilia nobis non hostilia exhibe: Moschi, Scythæ, Cosaci, materies gloriæ tuæ sint, Polonos illacessitos præsta: ita securius æternæ famæ litaueris, laceratum Barbarorum armis Regnum, consanguineo & innocenti Regi conseruando. Quod si vi subigere Poloniam paras, scias oportet violenta imperia diuturna esse non posse, nisi bonis artibus parentur. Ad hæc, Polonorum & Suecorum diuersa sunt ingenia; mari nos natura seiunxit, dissociauit institutis, moribus,*

bus, lingua, religione discordes, sola pax conciliat, ac mutuis 1655.
officijs & commercijs in amicitiam ducimur. Proinde armis subigere, aut vi retineri Sarmatiam, Maiestas Vestra non speret; interim oppressis acrior ex necessitate emerget virtus, & desperatio spei causa erit &c. Aliam ergo magnanime Princeps ingredere viam, & nobis parce; vim deprecamur, & induciarum fidem illæsam requirimus. ea verò iam violata, quibus medijs restaurari possit, Maiestatis Vestræ erit aperire &c. Talia audiuit læto vultu Carolus, ægro animo accipiebat, ingenuè dicta profunda simulatione obtegens, ac pacis studium tantùm ostentans, nè successum belli moraretur. Summa responsi per Cancellarium dati eiusmodi erat. *Pacem Regi suo cordi fuisse, si modo ea à parte Polonorum haberi potuisset, læsas Inducias, dissolutis Lubecæ Conuentibus testari; Legatos quin etiam Stokholmiæ id vnum egisse, quo Suecos bello cum Moschis committerent. Coactum proin Seren: Sueciæ Regem, in reparandam iniuriam ijs vti medijs, quæ Deus & iura gentium statuerint; neq; tamen alienum à pace, si modo æquæ conditiones proponantur.* Mox ipse Carolus propè Legatum accedens, Theutonicè infit. *Quia magno spatio loci, alter Regum ab altero distamus, liberabo fratrem meum Casimirum hac itineraria molestia; côueniam ipse natu grandiorem, amplectarque: ac vt quantò celeriùs eius congressus copia fiat, maturabo.* Hæc renidens, ac velut vrbanitati tribueret effatus, Przyiemscium perbenignè tractatum dimisit, magna spe iniecta, non vsq; auersi à pacis consilijs animi, nisi linguæ cum pectore discordiâ, magnificis in speciem promissis tegeretur. Insuper addidit literas, quas subiungo.

CAROLVS GVSTAVVS Suec: Rex &c. IOANNI CASIMIRO Polon: Regi &c. Salutem & Incolumitatem.

Si Serenitas Vestra pacis perpetuæ tam fuisset cupida, vtiq; tot occasionibus conficiendi negotij non defuisset, nec tantam semper præliminaribus obiecisset moram: eoq; non præter

1655. *opinionem Maiestati Vestræ accidere potuit, quod toties elusi, lacessiti, & male habiti, contra pacta, Seren: Vestræ bellum intulerimus, infestisq; Exercitibus ante decursum Induciarum ditiones eiusdem intrauerimus. Quippe cùm nec cessare institutum Ser: Vræ videremus, quin ostentatione pacis perpetuæ, Seren: V. tempus traheret, compluresq; interea aduersùm nos inimicos excitaret; indigna, contra honorem nostrum iure pactorum præscriptum, nobis obtruderet; necessum habuimus ad arma decurrere, eaq; mala quæ nobis ac Regno Sueciæ imminebant, modo omnibus gentibus, iureq; naturæ comprobato, ante finem Induciarum, etiam Seren: Vestra aliis bellis distenta, præuertere. Neque iustitiam causæ nostræ improbare videtur Seren: Vestræ conscientia, cum aliquando talem hostilitatem commeruisse, velut tacita consensione affirmet. Ceterùm cum Seren: Vestra testetur, perspectum se habere animum nostrum, persuaderetq; sibi nos vicissitudinis humanæ gnaros, casibus Seren: Vestræ indolituros, eoq; mitteret ad nos Generosum D. Przyiemski, Cameræ suæ familiarem, vt animum Seren: Vestræ pacis cupidum contestaretur, ad eamq; tractandam nos inuitaret; idcirco pro indole nostra ad tranquillitatem propensa, mentem nostram hisce duximus explicandam: videlicet non esse nos à pace alienos, si modo honesta, tuta, & decora sit, consentireq; vt cæpti Stokholmiæ tractatus, continuentur. Vnde, ad perficiendum breuiori temporis spatio, tam salutare negotium haud parum prodesse arbitramur, si Seren: Vestra Legatos ad nos mittat, sufficientibus Plenipotentiis instructos, cum quibus de loco & tempore conuenire, mox de pace agi tractariq; possit, &c. Quod reliquum est optaremus Seren: Vestram Remq; pub: Polonam meliori in statu esse, rectiusq; antehac rebus suis consuluisse, quominus ad hæc extrema non deueniretur. Ita, tum amore Regij sanguinis, tum humanitate tacti, & vicissitudinis rerum humanarum probè gnari, infortunio Seren: Vestræ dictæq; Reipub: ex animo indolemus. Dabantur in Castris ad Kolo, &c.* Neque satis depresso à Fortuna Regi talibus insultasse, prodibat insuper

1655. per scriptum latinè à Sueticis conceptum, orationis Przyiemscij contenta refutans, & viri militaris succinctam dictionem, scholasticis tropis & energijs remetiens. Quod breuitatis causa omitto.

Hæc Regi Casimiro quantò inopina, tantò maiora offundebantur; quàm ingens cunctos trepidatio, ex improuisa inuasione corripuerit, vix dici potest; vbi vbi venerant Sueci vincebant; nihil exerere ferrum opus, dum benignè habent per quos armati transeunt; reliquos Prouinciales exemplo non hostilis animi, in suscipiendam Protectionem pelliciente. Minoris Poloniæ Nobiles agminatim in Silesiam, aut Hungariam abibant; alij se intra montium iuga recipiebant, & tutiores visi qui primò hostem aspexêre. Aderant Casimiro Regi è Proceribus ad latus, Stanislaus Landzkoronski Campestris Exercituum Dux, ac Stephanus Czarnecki Castellanus Kijouiensis, (Potocio Generali in interiore Russia manente) cum III. mill: Quartianorum, qui euocatæ in publicam expeditionem Nobilitati, apud Louicium se iunxêre, futurum alioquin sperantes, si Suecus in Prussiam signa vertit, Maiorem Poloniam facilè noxiæ Protectioni ereptum iri. Primò itaq; Ludouica Regina Cracouiam diuertit, ægra animi, & nè à marito Rege auelleretur, diu obluctata, aduersùs suadentium rationes: dein Czarnecius exploratum cum leuioribus turmis digressus, cum Suecis apud Piatkum conflixit; mox apud Inowłodzum Quingentos plano campo nactus fuderat, primusq; ostendit esse Polonis ferrum, & non impromptas in hostem manus.

At Carolus, magnis itineribus Varsauiam contendit, quam, vacuam Rege (Volborium is concesserat) ac vix CC. præsidio infestam nactus, Benedicto Oxenstiernæ præmuniendam relinquens, isthic summa festinatione in occursum Casimiro deproperauit. Antegrediebatur Wittembergus cum Equitatu, (Caualleriam vocant) in octo alas seu grandiores phalanges, pro more militiæ distribu-

1655. to Exercitu, qui summo diluculo mouens, circa meridiem subsistebat; sequebatur Rex lento agmine cum machinis ac pedite, paratas stationes ac commeatus in Castris repeperiendo. Suleiouiæ aduentare hostem nuntiatum Casimiro, qui mox XII. cohortes præmittit, quatenus transitu fluminis Drzewica tantisper præcluso, hostem morarentur, donec ipse consilia & aciem expediret. Executi isti mandata sat promptè, & quia inobseruati in dextrum Suecorum cornu transcurrerant, apudq; ripam fluminis, quâ oppidum Opoczno prælabitur, nihil tale sperantes inuasêre, æstu ac lassitudine fessos, & qui equos demptis frænis solutos per consita segetibus arua dimiserant. Quod si subitario incursu confusis, plures pugnatores superuenissent, ingens strages dari potuit. Sed Casimirus præmeditato recessu, continuit suos, donec postera die apud Straszowa-Wola pagum, acies sibi mutuo occurrerent. Quo ruris hæres Franciscus Strasz Myszkouianæ cohortis commilito diuertens, & iam illùc allapsos Suecos comperiens, confestim visa Casimiro nuntiauit. Quippe frontem agminis ducens Wittembergius, dissimulatâ apud militem hesterni congressus iacturâ, ferociter instabat, velut fugientibus nostris, sed postquam instrui aciem ipsius Regis ordinatione vidit, Carolum per nuntios in accelerandum iter admonuit, vtq; is euidentius imminere periculum cognosceret, supposito igne villam incendit. Leuis interim armaturæ cohortes præludiũ certaminis adornabant, Vexillifero Regni Koniecpolski, cui dextra ala in acie obtigerat, acerrimè inuecto, vt pulsi primo impetu Sueci ad CC. suorum in arena reliquerint. Signum sub hæc receptui datum, subductæq; à conflictu cohortes, (error erat peior priore) nè tractus per proximam syluam difficilis & lutulentus, ab hoste præriperetur. Sanè perculsum Wittembergij agmen disijci iterum facile potuit, si vt à primis Ordinibus feruida signorum illatione itum, ita reliqui pari feruore in pugnam descendissent. Ast cum robore pedi-

tatus machinisque pulsum loco Equitem erigens Carolus, 1655.
mox pugnam instaurauit. Debilior eo genere militiæ Casimirus, cui vix Mille Quingenti Desultorij, ac sex omnino campestria tormenta erant; vnde Suecorum ictus, in inerme nec par pari referens, nostrorum agmen, maiore noxa emittebatur; quoad in recessum solueretur acies. Non sine tamen Suecorum iactura pugnatum, vt dixi, Forguelo ac Konigsmarco iuniore captis, ac quod non perfunctorij certaminis documentum erat, Wittembergio Generali acinace per brachium vulnerato. Casimirus ab ijs qui lateri adhærebant exoratus, sub vesperam inclinatâ pugnâ Włoszczouiam abiuit; Campiduci Landzkoronio reducendi Exercitus commisso negotio. Pedetentìm campo se nostri subducebant, etsi densior sylua recessum impediret, ac in tertium vsq; diem apud Predboriam substitêre, vsque adeo securi, vt Andreæ Gromadzki cohortis Regiæ Signiferi, morbo extincti, militari pompa ibidem funus ducere vacauerit. Cracouiam inde versis signis ab vtrisque processum, & Sueco & Polono caput rerum, vnde in cætera regimen, præoccupare destinante.

Regina Ludouica nuper in Vrbem prægressa, cuncta pro possibilitate tentauit, quidquid ad conseruationem loci pertinere arbitrata. Maximè conquisitio pecuniarum angebat: quippe rebus commotis exigere Contributiones haud promptum, contrahere nomina, aut in fænus sumere difficile; hinc ob defectum æris in muniendam Vrbem aut supplendum Præsidium, nulla efficacia: sanè enerue sine neruo Regnum, & facilis ægri corporis in agonem, dehinc in mortem declinatio, vbi spiritus vitales fatiscunt. Requisierat illa loci Antistitem Petrum Gembicki, quominus præsenti Vrbis necessitati, opibus Ecclesiarum subueniret; demonstrans satiùs in defensionem cultus diuini verti eas, quàm inuasori relinquere: aut negato primo, daret proprias in mutuum, mox possidenti graues, postquam hostis auaritiam irritassent: siue itaq; Ecclesiæ, siue suas opes crederet,

1655. deret, diſſoluendum mox debitum, vbi aræ ac foci in tuto ſunt. Ad hæc Gembicius, Stephano Wydzgæ Reginæ Cancellario reſpondit. Quæ poſtularentur, neq; præciſè negare, neq; apertè annuere; ſe quippe cuſtodem opum Eccleſiæ non Dominum eſſe; piaculum proin fore, eas in vſus profanos ſine permiſſu Pontificis, vel ſaltem aliorum Epiſcoporum aſſenſu vertere. Priuatim quantùm ſibi ad vſus neceſſarios peculij ſuppeteret, id omne in commodum Patriæ erogandum, & impendere; contractâ in defenſionem Vrbis Octingentorum peditum legione. Adfuit mox Rex, quem è veſtigio ſecuti Quartiani, ad Promnikum metati ſunt; raris iam Nobilitatis cohortibus, vt quemque curâ penatium abſtrahente.

Nè hic quidem tot aduerſis preſſo Regi, quidquam inclementia fortunæ indulſit: Quartianis cohortibus, facto ſeceſſu obſequium detrectantibus. Requirebant emerita ſtipendia, ſimul & donatiuum; quæ vtraq; vbi ex ratione temporis, imò rei nummariæ defectu negata; ſpreto Campiducis imperio, delegerant Mareſchallum quendam Tyrawſki, diu ante militari ſeruitio exercitum: ſubſtituto Alexandro Pracki, qui ambo ſub haſtata Landzkoronij Ducis cohorte merebant. His imperium in ſe miles tribuêre, cum poſtulatis ad Regem Senatumq; mittere, reſponſa excipere voluit: ab ijs indictæ excubiæ, teſſeræ militares, & quæ alia Ducum munia, in ſe nouus Magiſtratus traxerat. Pluries à Rege moniti vt reſipiſcerent, abnuebant; non ſine ſuſpicione à ſecretiore aliquo afflatu ignem latentē ſuſcitari. Demum Caſimirus adhibito Senatu conſultauit, eo themate. *Se vbi Diadema accepiſſet, iureiurando obſtrictum, non niſi illud cum vita depoſiturum; proin deliberatum ſibi, vbi illud recepiſſet Cracouiæ, ſubſiſtere ibidem velle, aut mori. In oculis eſſet Ciuium ſuorum non inglorium intra muros Fatum, qui pugnantem Regem, campo & acie reliquiſſent. Supereſſe Numen, vt humiliter exoratum auxilietur afflicto; quod ſi ita immobili eius Decreto, per quem Reges regnant, caſus imminet;*

in ſede Regni haud indecorè occumbendum. Similia non ſine lachrymis, & arguenti propior elocutus, Vniuerſi mox Senatus obſecrationibus petitur; nè omnia fortunæ tribuens, Rempub: in caſum daret; ſed potius ſubmittens vela aduerſitati, ſe illamq; ſeruaret melioribus. Aderat Primas Regni Andreas Leſzczyńſki, Leopolienſis Archiepiſcopus Tarnowſki, Cracouienſis ac Luceorienſis Gembiccij, Dux Czartoryſki Cuiauienſis, & quinq; alij Epiſcopi, omnes per ſacra & communis Patriæ amorem poſcentes, nè aperto diſcrimini, ſi expectat hoſtem, ſe committeret. Quin etiam xxx. ex ſæculari Senatu ad imas obteſtationes verſi, idem precabantur. Sanè illud tempus erat, quo, ſi Rex intra Vrbem manſiſſet, ipſe, ſacra, libertas, non vltra ab extremis, niſi quantùm muri Ciuilis craſsities intercederet, abeſſe viderentur. Sicq; gens illa, quæ nuper victrices aquilas per circumiectum Regno limitem tulit, in ipſo centro Regni, ac Metropoli Vrbe, ſolicita de Fato deliberauit; vel ex eo Orbis imperio digna, quòd in ipſo fortunæ præcipitio, de Repub: non deſperaſſet. Præualuit demum ignominiæ ſpes, & abruptæ deſperationi mitiora, viſumq; inuitis Superis ac contra cæleſtes iras, vltimum caſum non laceſſere: cognitum multiplici experimento Regi, quale ſit ſortis ingenium, ac plerumq; bellandi conſtare rationem, ſi ex obliquo hoſtem inuadas, nec magis in pugna, quàm in ipſa victoria periculi eſſe. Itaq; in abitum ægrè aſſenſus, deſtinata in reclinatorium Sileſia, vti Feudum obligatorium, Reginam Ludouicam in ante præmiſit: ipſe interim, raptim, quæ vſus & tempus poſcerent, diſpoſuit. Depoſitorium inſignium quem Theſaurum Regni vocant, curæ Mareſchalci Lubomirſcij committitur; Caſtellanus Kiiouienſis Czarnecius tuendæ Vrbi datus Gubernator: is verò, vbi præueniente hoſte, nulla poſsibilis ratio nouis operibus circumſita firmandi; ædificijs quâ ſacris quâ profanis inijci ignem iuſsit, maximè quæ muris iugiter cohærendo, defenſioni incommodarent. Ita 1655.

1655. Clepardia, Stradomia, Piasek, Biskupie, Garbarij, & quidquid sub nomine pomæriorum à Septemtrione circumpositum, Templa, Cænobia, Horti, ædificia, vel hosti tristi spectaculo in fauillam iere. Ardentis Vrbis fulgorem è Bielanensi Cameldulorũ monte aspexit, non sine suspirio Casimirus, in ijs, vnius horæ momento, Regiam fortunam, & quæsitam operibus Heroicis gloriam, ardere imaginatus.

Sed non est quòd de Fato queramur; extra ordinem, ac per mera miracula seruatam Poloniam Numen voluit, vt grauius corruens, mox altius assurgeret. Quasi parùm esset ominosâ transmarinæ tempestatis procellâ quati; eadē qua Suecus animi vehementia, eodem ipso tempore Alexius Moschouiæ Dux premebat Lithuaniam, admotis in obsidium Vilnæ Exercitibus: insuper Chmielnicius vastum Vkraynæ robur Moschicis copijs iungens, Leopolim obsidebat. Ita trium florentissimarum Prouinciarum Metropoles, simul vim immeritam passæ, ac succumbentibus duabus, tertia quæ debilior pertulit. Vndiq; tristes nuntij, cædes, deditiones, populatio concurrebant; ampla tristium Regi ærumnoso seges, & nihil vspiam lætum. Radiuillus quidem Lithuanicis armis Præfectus, aliquoties subitario certamine Moschis congressus, exhibuerat præteritis Comitijs signa de hoste rapta, sed ostentui tantùm, & quominus pugnacis animi gloria captaretur. Iam nunc librata Moschi potentia retrouertens, & collegæ Gasieuio malè concors, alias super alias curas, voluere incipiebat. Factumq; vt amoto obice passim Lithuania Moschorum incursioni pateret qui post captum Minsko aliaq; fortalitia, Vilnam abscessu legionum vacuam, die VIII. Augusti, nè exerto quidem ferro occupauêre. Interim de industria Magnus della Garde Thesaurarius Sueciæ, ab extimo Liuoniæ margine ostentabat Lithuanis arma, in speciem inimica; sed quæ Protectionis nomen & artes, tum in Moschum vindicias, blandas dedentibus se se illecebras,

cebras,

cebras, re ipsa suggererent. Vnde Radiuillo secedendi 1655. prætextus, velut Suecus Birzijs suis, & quæ alia Liuonico confinio adsita, minaretur: reuera suberat nouorum ambitus, & communis cum hoste religionis studium, vnde emanasse credita, deserendæ Vilnæ occasio: quippe vt in loco persisteret Dux, non famæ respectu, (cuius nunquam contemptor ille) non Nobilitatis ac Ciuium precibus, imò neq; militarium obtestationibus (deserendum esse, qui Patriam desereret) à proposito recessu dimoueri valuit.

Accessit impetendo Regno partium assertor Chmielnicius, cum Buturlino Moschorum per Vkraynam Ductore, in Potocium Generalem, ea parte Russiam tuentem ingruendo. Trahebant ambo Sexaginta Mill: bellatorum, machinas immensas, tum alia in vsum oppugnationis Vrbium, vt se occasio dedisset, aut tentare munita, aut in aperto prælium experiri. Hæc procella Leopolim respiciebat; nisi quòd prius necessum erat Potocium cum æquitatu depellere, nè labor & discrimina geminarentur. Itaq;, ante se agebat numerosus hostis exile nostrorum agmen, Quatuor vix Millia complens, etsi aliquoties subitarijs congressibus malè ab istis mulctatus, potissimè apud Borek oppidum, quingentos suorum amittendo. Sed, quid inter tantos? siquidem, impar potentiæ Potocius, præmissis impedimentis, retrocedere debuit, insultante à tergo hoste; cùm deterioris fortunæ videatur qui cedat, melioris, qui insequatur. Attamen, dextro latere præteruehens Leopolim, præsidio quantùm in tempus licuit firmatam reliquit: futurum fore iudicans, quin hostis in oppugnandam totis viribus nitetur; ipse interim ad Grodek concessit, experimentum pugnæ, si opportunitas daretur, facturus. Quorsum enim retrò tenderet, aut vnde opitulum speraret? cùm pulsum acie Regem, obsessam Cracouiam, turbatam Lithuaniam; & omnia desperata vndiq; nuntiarentur. Grodecum, quatuor milliaribus Leopoli distat, mediocre oppidum, nisi stagnum multorum torrentium aquas in

E2 latis-

simum spatium diffusas continens, aliquod nomen loco
1655. faciat. Hic Potocius, traducto vltra emissario stagni exercitu substitit; occupauitq; aggeris molem, arcere ingruentes destinans. Nihil in Chmielnicio moræ, quin fortuna & successu vteretur; ac primo dispallatis apud adiacentia arbusta excubitoribus, oppidum incendit, vitatoq; aggere, qui præsidio Polonorum tenebatur, Cosaci per interfluentem riuum, raptim lutulenta voragine aliquot tugurijs expleta, incredibili celeritate traiectum superarunt. Inopinum id nostris à fronte inualidis, à tergo circumueniri; qui tamen ad tres horas circa stagni emissarium egregiè vim sustinentes (vbi Demuſt Sclopigerorum Equitantium Protribunus, tum Paulus Lipnicki è Corsbocorum stirpe egregius iuuenis, cum permultis cæsi) tandem turbatis ordinibus & multitudine hostium inuolutis, mox acies dispersis cohortibus, retro pulsa est: expeditiorem illam, quòd præda distentus hostis consequi destitisset, factum fortasse metu, nè variabilis vt solet belli alea, ijsdem angustijs loci sequacem inuolueret.

A Grodeco hostis Leopoli incubuit, subito regressu terrorem augendo & ferociâ; quem tamen non imparata Vrbs egregiè sustinuit, milite, annonâ, alijsq; in antecessum prouisis necessitati, etiam in propugnandi curas accito Christophoro Grodzicki Armamentarijs Regni Præfecto. Perdurauêre integro mense, vis, minæ, impressiones, & grauior cunctis fames premebat; tolerata tamen omnia constanter, Gubernatoris virtute, & præsidiariorum ciuiumq; constantiâ. Vrbis sæpius memoratæ situm & amplitudinem, anteriore Climactere dedi, neq; nunc iterabo; sat laudis, quòd diuersos per casus tantùm fiduciæ ostenderit, vt inhonoræ tractationi gloriosum finem præponerent: Quippe pretio abscessum licitanti hosti, responderant obsessi. *Nihil sibi quod redimerent reliquum superesse, aërem vtiq, quem spirarent, & terram in qua sepeliâtur, eripi nō posse.* In alterum mensem protelata obsidio, tandem soluta; ea

Leo-

Leopolis sorte, vt nulla Vrbium Regni, aut acrius concussa, aut sæpius discriminibus obiecta fuerit. Grauissimè 1655.
interim populatorum Moschorum agmina circumsitas oras exercuêre, direptionibus adiuncta passim sæuiendi licentia, & ad vsq; ripas Vistulæ impunita. Sensit Lublinū & pertulit immanem feritatem, vbi ingenti lytro salutem redemisset: mox trucidati incolæ ac Vrbs direpta fuit, nè quidquam religiosè iurante Iwanowicio Moschorum Ductore, salua omnia & integra oppidanis fore. Manet in præsentem diem arx exusta, Moschicæ immanitatis monumentum. Sed quod nunc Moschis, etiam aliquando Polonis in ipsam Moschuam licuit; talio reponitur, ignoscendum est.

Casimirus, quin excederet finibus Regni, Senatus postulatis inductus, à Wiśnicio Sandecium, dehinc Czorstynum arcem ad Dunaiecium sitam abijt, quò in Silesiam expeditius ac securius per montana pergeret. Georgius Lubomirski Mareschallus Regni, Lubowniam Scepusiensem Polonicæ ditionis arcem inuitabat; indecorum censuit Rex vno angulo subsistere, qui toto Regno decessisset. Nemo per id temporis Lubomirio, aut Regi fidentiùs consilio, aut Regno gnauiùs operam præstitit euidentiorem, nempe Insignia Regni, quæ sub claue Senatus custodiuntur, nouissimo discrimini ex arce Cracouiensi subducta, in eandemq; Lubowniam, per Wolphium Regis Cubicularium deportata, securo Deposito recipiendo. Glogouia minor, Silesiæ oppidum, in domicilium exuli Regi versa: varijs statim externorum Principum Legationibus, tum exulum Patriæ Ciuium accursu frequentata est. Primus Ferdinandus Cæsar, ex dolendo consanguinei Principis casu, compassionem testatus: dein Eleonora Imperatrix Ludouicam Reginam ex Gonzagarum stirpe affinem sibi, similiter in eo infortunio solabatur. Aderat etiam citus equo Scytha, Zich Murza vocabulo, ex potioribus gentis; Hanum depressæ fortunæ Regis ita commisereri adferens,

E3 vt si-

1655. vt simul XX. Millia Equitatus in subsidium polliceretur: ac, quo impigrum opis ferendæ studium palam esset, enectos pertinaci itinere equos, Barbarus monstrabat. Dum Głogouiæ subsistitur, vt est aulæ familiaris næuus curiositas, incessit aliquos cupido, quis tandem malorum præsentium finis aut remedium, ex sideribus vanissima inquisitione cognoscere. Id sanè ariolandi genus, lege diuina prohibitum manet, nè astra pro fatidicis credita, debitam soli Deo latriam violent; nisi quod insitus animis mortalium pruritus, acerrimè curiosos trahat, (vt mos inueterata) imminentia ex Fato præsciendi. Erat inter asseclas aulæ Nicolaus Zoràwski, Medicæ artis tum & Matheseôs professione clarus, is, ex astrorum ordine & influxu, vt futura introspiceret inductus, (renuerat diu, donec mandatum, etiam minæ, ex Gynecæi penetrali in scheda mitterentur) postquam Planetarum domos & coniunctiones, benigniores aut contra, cum regia genesi contulisset, cæli imaginem ac constitutionem siderum, deprehenso themate in tabulam effinxit: (Quam ab illustri viro sub secreto communicatam, haud grauatim subiungerem, nisi pressam calamitate præsenti aulam, vanitatis apud posteros arguere nolim; & priuatis otiosi subiecti lucubrationibus, renuant paginæ historicæ impleri) Ex eo themate quid Dij boni promitterent expromere iussus, ne spei aut timori leges præscriberet, diu tergiuersatus, tandem quoad bellum respondit, ex secundi belli Punici, Liuiana locum citans oratione: *Exitus velut æquus iudex, vnde ius fasq; steterit, ei victoriam dabit.* Indifferentia hæc visa, ob quæ innocens cælum scrutinio vexasset; tandem vehementi iussione coactus, semel atq; iterum intentissimè astra speculatus retulit. Casimirum non ingloriè post tot casus & clades, Regnum recipere posse; non tamen illi vti Regi & in Polonia moriendum, ex fatali positu siderum conijcere. Ignarus horum Rex, postquam detecta minus probauit; sciens artem vanitatis plenam, quid acturi quid

passu-

passuri mortales sint, nunquam perfectè ac pro certo ex sideribus definiri posse; etiam Vranologos, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: ex Tacito probè intelligens. 1655.

Carolum interim Suecum sua fortuna deducebat Cracouiam. Ad diem XXVII Septembris præcursorum agmina ducente Marchione Sulcbacho, per adsitos montes, quà à Michałowice iter, conspici cœpere; dein vbi nulla in aduersos vis compareret, in subiecta Clepardiæ illapsi, noctem sub dio exegere, donec sequenti luce (dies Dominicus erat) cum tota virium mole Rex *ipse* adueniret, iuxtaq; Promnikum explicata longè lateq; signa, contra Vrbem, stetère ab vsq; Wola Palatio suburbano, ad vsq; Vistulæ ripas, quà sinistrorsùm Strzelnicam subtus decurrit, diductis aciei cornibus. Procurrere ab Vrbe è nostris aliqui, qui ad meridiem velitati, occupabant magis leui pugna hostem, quàm sistebant: qui tandem fumantia Clepardiæ busta suggressus, per plana metabatur. Vbi cōpertum Regem Polonum obliquo flexu intra montana abscessisse, secutos Proceres, etiam militem nondum sopitis turbis pacatum, in diuersa pergere; sedit mox consilium Carolo abeuntium insistere vestigijs, simul Vrbem obsidio premere; vtrumuis in manus veniret, seu persona seu locus, consummatum negotium censenti. *Etsi præuidebat* non citra iacturam Vrbe potiri posse, dum sub acerrimo Duce præsidium firmum, & Quartiani illacessitum hostem, mænia vrbis quatere, haud passuri à tergo viderentur. Itaque seu animus in pericula præceps, seu negotij accelerandi consilium vrget, abeuntem Casimirum consequi cum Equitatu decreuit, versûs Bochniam deproperans. Fomitem maturandæ profectioni addiderat, superueniens fortè Alexander Pracki Hastatæ cohortis miles, qui repudiato quem primis annis apud Prædicatores induerat cucullo, animo inquies, ac nuper concitandi militis fomes, metu pænæ, aut leuitate ingenij, spem fore iniecerat Ca-

rolo,

1655. rolo, si Quartianis retenta stipendia subministrentur, haud grauatim in partes liberalioris Regis transgressuros. Aduertit suggestio Regem semper extra dilationes positum, & quæ vellet, ocyùs quàm consultiùs agitantem; nihilq; moratus exoluenda Quartianis stipendia recipit, Donatiuum in præsens offert, plures insuper Regiæ munificentiæ scatebras, in emeritam militiam deriuandas, abundè pollicetur: modo adessent quibus verbo Regio promissa firmaret, ob euidentem præsens ipse certitudinem. Spondebat Praccius Delegatos Cohortium mox affore, quorum prænuntius veniret, ex ijs probè cogniturum Regem, quã vnanimi omnes consensu, victoris Caroli sequenda auspicia decreuissent. Equidem priuatone ausu? an ex commisso, talia attulerat Praccius, haud perinde affirmem: certè occulta quadam inclinatione, an fatali instinctu, tàm Præfectos inter, quàm turmales, Protectio Suecorum molliter accipi, clementia Caroli laudari, magnanimitas, victoriarum successus, largiendi promptitudo, aliaq; nimiùm æstimabantur: contra gliscente turbulenti dudum Dominatus odio, exacerbatisq; ob infructuosam militiam subsignanis, nouorum præmiorum accendebatur cupido; vt iam confusorerum statu, omnia licerent tam corruptis quã corruptoribus: qui vtriq; leui aura cohortes in partes trahendas nuntiantes, facili transitione spem Caroli impleuerant. Vnde festinus, & suæ nimiùm fortunæ fidens, vix CC. comitatu ante suorum agmen præcurrit, ex impulsu Praccij Delegatos, præsentiâ & alloquio dignaturus. Nobile quippe Quartianæ militiæ nomen apud Regem erat, & comperta aliquot congressibus virtute, ex merito æstimatum. Iam incitato aliquantùm equo progressus, apud Biezanow Pagum à suis sistitur, suggerente aliquo. Inconsulto cursu prouocari discrimen & errorem, dum Poloni hinc inde oberrant, & Rex incongruè quæreret eos, à quibus quæreretur; quare si pericula contemnit, saltem quo via ducat, coercito frænis equo scitari permitteret.

In con-

In contiguo Wielicia oppidum erat, ad quod multiplici vectorum salis concursu, diuortia viarum in varias orbitas secta, confusum reddebant Praccium, nè alio conuersis in quos ducebat, incerti itineris prodromus, Regem nolens falleret. Proin isto viæ perplexitatem obtendente, simul Suecis dehortantibus, continuit quidem gressum Rex; sed Comitem Witgensteynum cum Slipenbacho iuniore præmisit, quominus ad se in loco subsistentem, Delegatos cõducerent. Impigrè isti adstite Praccio prouolabant, cùm vix tetrantem milliaris prægressi, in trecentorum nostrorum agmen ab exploratione rediens incidunt; ac, quod metum & doli suspicionem auxerat, à tergo Poloñis comparentibus. Proin re crepera, aliquis ad Praccium infit, *Hem sodes ad quærendos amicos versi, à tergo hostibus circũfundimur? subduc periculo fidei tuæ commissos, aut saltem indica extremam necessitatem perituris.* Ad hæc ille animo ac vultu immotus, nihil periculi esse firmiter asseuerauit; alam quippe Equitum tendere Regiâ viâ, quo iussi essent; ipsis extra omne discrimen & metum insidiarum positis. Simul requirebat, quominus Sueci stringendo in manipulos fæno, cuius forte viam propè aceruus extabat, in speciem se darent pabulatorum: nimirum in ipso discriminis præcipitio solers, simulari volebat, quasi verò Casimiri miles pabulum equis in noctem pararet, promptiusq; equites incuriosos doli eluderet; ipse interim notus ad transeuntes aduolans, vt ad Landzkoronium Ducem quantocius deproperarent, velut ex commisso monebat. Pauere isti monenti, incitatisq; in cursum equis, explicitos ancipiti periculo Suecos, in tuto reliquêre. Qui, mox sub noctem ad Carolum regressi, dum suum ipsi discrimen exaggerant, plurimùm fidem & solertiam Praccij commendâuere; etsi vera narrari Rex ipse testis esset, propriamq; temeritatem intra semet damnaret; ad cænã nihilominus lætus, aliquoties inter Primores amicorum protulit. *Iam nunc abundè cognitum sibi fidei Polonæ specimen.* Certè ea 1655.

die

1655. die in vnius manu hominis, duorum Regum & Regnorũ fortunam positam fuisse, nemo dubitauit. Donis proin & Tribuni Equestris honore cumulatum Praccium, pro merito extulit, seu exemplum non vulgaris munificentiæ daturus, seu quod in se meritum & in Patriam autoris flagitium, magnitudine præmij obruendum censeret. Verùm Praccius, vt obiter adnotem, non diu insperatis fauoribus exotici Regis vsus, dum Krosnæ militem contrahit, hostium partes aucturus, interimitur. Is in vexillo cohortis suæ depingi fecerat tres cornices, militari hasta transfixas, cum inscriptione. *Deusuè, Casusuè*: quali epigraphe vsum Gotofredum Bullionæum, Terram Sanctam ex Saracenis recuperantem legimus Nec perperam sibi vaticinatus; casus enim erat, adeo repente increuisse, vt palmo tenus Regnorum fortunam versaret; arcanum Dei iudicium fuit, quòd infamis desertor, in ipso aspirantis fortunæ limine necaretur.

Sed vna Carolo cura, in remedium periculorum, ipsa pericula arcessere, & tanquam sola audacia armatus venisset, Casimirum insequi statuit, ad Wisnicium Lubomirsciorum Castellum circumducto agmine. Remanserat intrò Nobilitas, cum bis centum Nauoiouiensium peditatu, qui in subeuntes excussis aliquoties machinis, demum vbi cõstitit in persona Regem adesse, non vltra sustinuêre minas ostentatæ impressionis; præmisso Feciali, omnia salua, vbi se dedunt ingerente. Nec quidquam acriùs in dedititios tentatum, cùm in principio vtilis videretur clementiæ fama. Inde Signa Woynicium versa, vbi Landzkoronius, cum Quartianis cohortibus substiterat, militari in tempus restincta seditione: expedieratq; subinde Christophorum Modrzewski exploratum, cum selecta Sociorum militarium manu, quo se Suecus à Wisnicio reciperet intellecturus; cùm is nubiloso de manè cælo in præcursores incidens, ac conijciens Castra Polona remissis excubijs custodita, ingenti vbi subito inuaduntur inuo-

inuoluenda discrimine, aduentum hostium properè nuntiauit, ipse interim velitando ingruentes sustinens, quò spatium suorum armis & consilijs faceret. Vt nunciatum, mox agmina Suecorum comparuêre: etiam Poloni ad datum tubâ signum, sternere equos, armari, prorumpere, ac patenti planicie discurrentes, in aduersos, acriter ferebantur, multis à mensa & vino in certamen flagrantibus. Primam aciem ducebant Brerlachus ac Rosa Suecorum Tribuni; in hos Koniecpolius Sandomiriensis Palatinus generosè inuectus, vnum ex antesignanis adacto in caput acinace equo deijcit, nec minus feliciter Burzynski commilito, mirâ manus agilitate alterum decapitat; alij alios: etsi ex nostris quoq; aliquot cæsi; inter alios Szandarowski acer iuuenis, glande traiectus occumberet. Sic præcursores duriùs primo congressu accepti, donec approperans Carolus, ac crebro tubarum concentu classicum intonando, simulq; valida subsidia laborantibus submittens, prælium instaurasset. Non segniùs tamen cohortes Polonæ, subortum prælium continuabant: & quia leue aliquod agmen hostium venisse putarent, contemptu audaciores. Quippè haud verisimile iudicabant prudentes, Regem ipsum relictâ Cracouiâ huc moturum; ac in procursus exploratorios missi, cautè nimiùm agentibus Suecis, nihil certi afferebant. Tum verò, vt quisq; promptior; in hostem ruebant, cùm conspicuus ante suos Carolus, numerosam ab læua explicat aciem diducitq; , vt intercluso recessu, quem Protectionis titulo non poterat, eum belli iure ad se traheret Exercitum. Cognito demum impares resistendo vires, elanguit feruor; maximè quòd è machinis infesta explosione peteremur; dein, in receptum militarem cohortes se dedêre, maturè ante pugnam expeditâ cum impedimentis carragine, nè sua mole & festinatione, Dunaiecium flumen traijcientes, confunderet. Itaq; frustra reuocantibus Ductoribus, digressum cuncti maturant, nullâ probri aut impe-

1655. rij militaris curâ, ſparſim vt quemq; ſors tulit abeuntes. Campidux aliquantum ordine aciei retentato, ſubinde periculum vitæ ſubijt, à ſuis deſtitutus, & vix è manibus inſequentium hoſtium ſubductus, generoſo accurſu Stephani Bidźinſki (iam nunc poſt fortitudinis militaris documenta, curuli Senatoria gaudentis) etiam mea tunc militantis ope adiutus, quod conſcientiâ veri fretus profiteor. Proſtituerat ſiquidem Campiducem elaſſatus præſentiſsimo diſcrimini equus, quem tamen verbere curſûs admonitum, mox recentem de manu fugacis equiſonis ingerendo, iam manibus Suecorum planè hærentem prædam, ſubduximus. Abitus cohortium profectioni quàm fugæ ſimilior erat, nec hoſtes inſecutionem præcipitabant, ſuamet ſecuritate, & campi poſſeſſione victoriam æſtimantes. Apud Tarnouiam Landzkoronius ſibi & Exercitui redditus, ſparſim abeuntia ſigna reuocauit minore damno, ſi dedecus fugæ excipias; etiam curribus ac impedimentis militaribus integris, quia præiuêre. Enimuerò Suecus diſperſo Exercitu, quòd deſtinauerat ex animo proueniſſe lætus, victores ſuos in obſidium Cracouiæ reduxit: cuius expugnatio nouiſſimum operum edomandæ Poloniæ ei credita; cùm interea hanc Vrbem cum Peditatu Wittembergius circumuallatam excitatis vndiq; operibus ſtringeret; in præſens reducem cum victoria Regem, truci quà tubarum cantu, quà machinarum exploſione ſalutando. Ac, nè obſeſſi non neſcij rei tranſactæ forent, quomodo apud Woynicium Rex viciſſet Polonos, in Vrbem ſcripsêre collaterales, nimiſquàm atrocitatem cladis extendentes, tanquam nihil grauius Polonis accidere potuiſſet.

Cracouia, à Craco olim gentis Slauonicæ Principe, (nam de Gracho Romano fabuloſum) circiter ſub Annum Chriſti 1070. poſt Gneznam (vbi primitùs Monarcharum noſtrorum Sedes) condita, Caput ac Metropolis Poloniæ haberi cæpit. Alluit à meridie Viſtula altero brachio Caſimiriam complexus, cuius vtraq; ripa in paſtum pecoribus

ribus herbida eſt. Origo flumini ex vicina Sileſia, apud Skoczow pagum fonte ignobili, vt ferè magna exilibus principium debent; ſed qui perennibus amnibus auctus, & planè aquilonarium fluminum ſecundus, poſtquam meditullium Regni decurrit, fruges Cereris noſtræ, apud Gedanum Balthico mari importat, inde per tranſmarinas gentes diſtrahendas; hinc Pactolus Sarmatiæ cenſetur. Situm Vrbs obtinet planum, aërem temperatum, pingui ac vbere ſolo, & opimis circumquaq; paſcuis. Peripheriam Vrbis ſimilem Citharæ dicunt, cuius ſuperficies in orbicularem formam quâ forum extenditur, latitudo duarum platearum Caſtrenſis, & Canonicorum, in arctum definens, tanquam iugum inſtrumenti oſtendit. Arx in colle Vauelli rupe ſolida iacet, ſubter quam Viſtula prælabitur ab occaſu, proſpectu amœno in longinqua. Geminus murus ambit Ciuitatem veteri forma, munitionibus vt recens mos deſtitutam, fortè pro antiquo Sarmatarum genio, quibus mænijs Vrbium ſalutem credere inſolens, ſeu pacis fiducia. Stephano Czarniecki Kijouienſi Caſtellano Gubernium loci, cum imperio in militem detulerat Caſimirus, munus occaſione belli æſtimatum, quod tunc imminente periculo præſentauit nemo; conſentientibus in Czarnecium, iudicio Regis, & publicâ famâ: aderat Fromholdus à Ludingauzen Wolph Prætorianis Præfectus, ac Nicolaus Gnoinſki Legioni Peditum Palatinatus Sandomirienſis impoſitus, vt ad ter mille & ſexcentos præſidium reduci potuerit. Quin etiam in populoſa Vrbe, præter incolarum frequentiam, huc ſe ex agris Nobilitas contulerat, ſed plebs Vrbis maximè in defenſionem prompta, ob iaculandi peritiam. Suecus Rex, etſi plurimùm ſpei in virtute ſuorum poneret, multa nihilominus ſolicitudine agitauit, nè dum ipſe in muros vertitur, à tergo aut lateribus carperetur: quippe cohortes diſsipatæ tantùm, Rex ac Optimates in tempus ſubducti, Nobilitas vndiq; fremens & armata; ſparſo inſuper rumore XX Millia Scy- 1655.

1655. tharum in succursum Casimiro propediem venturire: etiam celebre bellatoris Czarnecij nomen, & militaribus studijs traducta ætas, haud quaquam facili negotio commissæ Vrbis portas aperturum persuadebant. Sed supra hæc, sors felicissimi Regum & animus, cui nihil arduum, nihil imperuium videbatur; si modò inconstans Dea vnũ prosperorum tenorem, in perpetuum seruasset.

A Casimiria, quæ Vrbi dirimente amne cohæret, adoriri Cracouia cæpit; dum quæ ædes nuper vsui habitatoribus portæ Castrensi vicinæ, iam nunc introgressum hostem, aut machinas supernè importatas tegerent: simul Stradomia nullo defendente inuasa, ac, è præoccupato Bernardinorum cænobio, quod Vauellem ex imo prospectat, haud imprompta fuit Suecis in Arcem iaculatio, dein impressio. Ad primum hostium incursum, non sine aliqua commotione Vrbs agere ostendit, augescente intro metu, dum iniecti suburbijs ignes, reflante vento intra mænia flãmam transmittunt, à qua demum insignis D. Francisci Basilica, cum amplissimo Monasterio in fauillam ijt; etiam Episcopali Palatio vix seuientibus flammis dum restinguũtur erepto. Triste si quod aliud visu, dum sacræ ædes, iam ab oppugnante hoste, iam à nostris nè suffugio aduersarijs essent, iniecto igne vrerentur. Sed vel maximè, monasterium Bernardinorum, artificialibus ignibus incendi primò, dein euerti debuit; iam quòd exinde in defensores arcis summo cum periculo ab hoste ictus darentur; tum stimulante indignatione militari, quòd ab latente isthic fistulatore Sueco, Czarnecius fortè vallo caput exerens, in dextra gena, plumbeo globo sauciaretur: vnde maior vulnere, & damnasior suborta fuit consternatio, plerisq; letalem ictum vulgantibus, & velut amoto obice resistendi, quantùm aduersùs pericula perseuerantiæ superesset, palam monstrantibus. Ast ille, sub vesperam læsus, summo manè mænia adequitans, militi, deinde in foro Ciuibus, saluum se accepto vulnere ostendit, ad strenuitatem cun-

cunctos, dum voce non potuit, exemplo hortatus. Inde 1655. euenit vt Quadringenti fermè iuuenes quâ studijs in Gymnasio Cracouiensi addicti, quâ ex tribubus artificum, partienda inter se arma ac pyrium poscerent, quicunq; casus Vrbem maneret, subire & misceri haud recusantes. Vsus feruore Gubernator, ipso Translationis Diui Stanislai Præsulis & Martyris die, additis stipendiarijs ferè totidem, eruptionem instituere permisit, Christophoro Wasowicz Desultoriorum Primipilo, ac Constantino Bylina è hastatorum Regis cohorte, ducentibus. Nec inferior alacritate effectus fuit; pars quippe in conuectores virgultorum apud pontem Regium illati, comminutis raptim curribus, quidquid Suetici præsidij hìc erat, vltra flumen propulêre: alij è regione S. Nicolai portæ, in stationes Wittembergianas ingruentes, dispersis quæ apud orificia cuniculorum compertæ operæ, tres machinas hostium de suggestu raptas, quia subduci non poterant, contusis ansis inutiles reddidêre. Ac eo vsq; inualuerat erumpentium feruor, clamoribus & promiscua explosione fremitum augente, vt Carolus Rex, qui tum Casimiriæ in Monasterio Sacratissimi Corporis Christi domicilium fixerat, relictâ mensâ equum inscendere, ac probrosum retrocessum Ductoribus Suecis exprobrare, necessum habuerit. Ad centum hostium interemptos, sunt qui affirment; cæso ex nostris Constantino Bylina, natalibus & militiâ claro, tum Cequart Pedestri Centurione, eodemq; militaris architectonicæ perito; nec sine aliqua studiosorum iactura, dum ignara vulnerum iuuentus, prouocare audet, quod dolere nescit.

Euanescente Exercitus Poloni in liberandam Vrbem regressu, securiùs vacauit Suecis mænia quatere tormentis, & circumquaq; Vrbem stringere operibus. Hinc via obsidionalis à noua Porta ad S. Nicolai, inæquali ductu prætensa, omnia circumiecta ad vsq; S. Florianum complectebatur: inde per Clepardiam ad vsq; Arenense Carmeli-

melitarum Monasterium promota; locum miraculis &
1655. deuotione Catholica celebrem, hostibus militari conamine profanantibus. Super semiambustum templum ergatis tractæ machinæ: dein, quia locus minus ex vsu erat, quas priùs incendium intactas reliquit Monasterij ædes, expilatas Sueci subiecto igne cremauêre. Vis inde in Portam Profanam seu Swiecka parabatur, cui obuiando, S. Casimiri cum Monasterio Reformatorum Ecclesia in ruinam data, vti proxima mænijs & situ suo incommodatura defendentibus: non tamen deiecto templo euitari potuit, quin intra macerias ac lapidum aceruos, hostis se insinuaret absconderetuè. Nihil interea ad diem primam Octobris omissum, quod oppugnandis Vrbibus facit, præcipua murorum strage ex continua verberatione machinarum, aut cuniculorum molimine. Notabile fuit, præsidiarios nostros cum primipilo transcenso iussu Gubernatoris muro, in vicinum molendino Regio munimentum irrupisse, & aliquot hostium medio diei, meraco obrutos marcentesq; trucidasse. Excitato tumultu, accurrunt Sueci opem suis laturi; perstant strenuè in vestigio Poloni, contra accurrentium multitudinem pugnaturi; cùm Suecus Centurio, alicuius ex restitantibus colloquium vrgens, ad prodeuntem infit. *Quæ vestra dementia Poloni, vt malitis suo demerito interire, quàm viuere clementiâ nostrâ? Annona vobis deest, præsidium minuitur, viris bellatoribus destituimini; eccur verò non anticipatis extrema? phanatico isti Czarnecio, ac altero trunca manu Wolphio conseruationem Vrbis ad exitium credentes.* Ad hæc noster. *Superesse annonam in Vrbe vt scias, bis hodie comedi; murorum firmitudinem trochleâ demissus, probè cognoui: Pugnacissimis verò militibus refertam Cracouiam experieris, si quem ex metu differtis assultum, quantocius exequimini.* Efferatus respõso Suecus, vt secum duello congrederetur, facilè Polonũ exorauit, qui mox explosione globi traiectum in terram prosternendo, etiam exarmare ense conatus; nisi accur-

su plu-

su plurium deterritus, victoriæ & saluti recessu consuluisset. 1655.

Die VII. Octobris, Carolus Rex, nè vltra deses tempus traheret, vel prodigus suorum sanguinis videretur, pro more militiæ Tubicinem misit, extremis quæ Vrbi imminerent, nisi se dederit, obnuntiandis. Quæ tunc nec inciuiliter spreta, nec vsq; quaq; acceptata, Regiæ clementiæ oblatio, eo Gubernatoris responso. *Bellis innutritum se, ac planè inter machinarum fragores insenuisse; neq; nunc illarum boatu percelli: imò quod aduerteret, nè pueros quidem qui intro in Vrbe existant, ijs terreri; cùm incidentes globos velut ludicro capiant, & ad se deferant, reciproco iactu emittendos.* In breui aderat alter ab Oxenstierna Cancellario, velut officij gratiâ præmonente literis, quas exhibitas Czarnecius medio foro, inter armatas Ciuium militumq; cateruas, legere iussit; eo sensu. *Hactenus ambidextram strenuitatem in Vrbe quam obtines Gubernator, luculenter monstrasti: vidêre te Sueci campo pugnacem; etiam vallo ac mœnibus clausum, eiusdem animi & vigoris experiuntur. Sed desine vltra quam sit necessum fortis esse, quia virtus in medio consistit. Ita nè Rege vestro subducto, Exercitu fuso, deditis aut fidem secutis Prouincijs, te solum hostem Sueci experiemur Czarneci? sat semel atq; iterum parcentibus opponi? sat gloriæ toties restitisse Inuictissimo Carolo? Vltra clementiam lacessere, temeritatis erit. Elude quantum vis ictus, reprime assultus, temne pyrotechnicas artes: interim fundes sanguinem, perdes Nobilitatem, exhauries milites Ciuesq;, deinde famem, postremò qui vinces fata; ac ita, quæ nunc virtus, iam pro illo tempore contumacia habebitur. Attende tẽpori, dum quos clementia optimi Regis vsus, seruare potes, nè in exitium peruicatiâ trahas. Quibus praes, seruandos tibi commisit Casimirus, non perdendos, defendendam Vrbem, non in exitium trahendam, & quæ armis asserere non vales, matura deditione incolumia præsta. Vt igitur Vrbem, & Regiam, & populum, tanquam fidei commissa de in-*

G tegro

1655. *tegro restituas Victori, ius est.* Ad ea Czarnecius nihil in præsens reposuit, Tubicinem confestim excedere iubens, quod scilicet vehementior è tormentis fragor ad minuta attentum, alio auocaret.

In alterum mensem protracta obsidio, vbi patuit triplici cuniculo subtergressum mænia hostem, vnde propediem ineuitabile discrimen Vrbi immineret, multi (vt solet) mitiora loquebantur; etiam aliqui monere Præfectum ausi. Præueniret extrema, neu in eos quos suscepit protegendos, Suecum clementiam offerentem, crudelem esse cogeret, aliter tot mortalium sanguinis Deo & orbi rationem redditurus. Aderant in Vrbe pleriq; à Czarnecio ad consilia arcana adhiberi soliti, nempe Simon Stárowolski Canonicus, & cui tunc Gembicius Præsul rei Ecclesiasticæ curam commiserat. Alexander Pľazá Rabsztinensis Præfectus, magnus arcis Procurator, seu Oeconomus; Ioannes Clemens Branicki Chencinensis Præfectus; Christophorus Rupniowski Tribunus Cracouiensis, ad quem tuitio Arcis cum duodecim Burgrauijs Castrensibus de lege veteri pertinet; insuper è Nobilitate complures, quibus pignorum securitas intra muros maior visa, quàm si priuata domo ruri degentes, prædabundi militis licentiæ exponerentur. His cum in conclaui deliberantem, à Magistratu vrbis Delegati adiêre, diutius sufferendæ obsidionis ab impossibili expositis rationibus, petentes; quominus offerente Sueco clementiam, circa Tractatus pacis, Vrbi Metropoli ex condigno Gubernator consuleret; quæ vt nunc eidem Defensori pro vita publicam gratiam debeat; ita, si ratio sui circa paciscendum habeatur, æuiternè patrocinium vti Conseruatoris agnituram. Adiecêre præterea quibus priuatim præmerentur, grauamina; victus & æris defectum, a præsidiario milite molestas exactiones, tum non ferêdam grassatorum ac prædonum licentiam, qui per nocturnos cætus, ædes Ciuium inuadant, fornices reuellant, merces varij generis

neris

generis ac facultates diripiant, & quæ non hostis de foris, id in omne nefas discincti nebulones, licere sibi arbitrentur. 1655.
Et euenerat fortè eo statu rerum, vt è Clero & claro sanguine aliquis, seu leuitate ingenij, seu iuuentâ temerarius, institorias aliquot pergulas excusisset, ausu tunc ob vacationem Consistorij Spiritualis impunito, quoad cohibendam brachio sæculari proteruiam quibus cura Ecclesiæ demandata permisissent. Præhensus itaq; (cuius nomini in gratiam Ordinis & meritissimæ Familiæ parco) & globus ille grassatorum dispersus fuit, duobus qui rapinarum conuicti supplicio reseruatis, ob exemplum & terrorem.

Exin inter nostros, quanquam gnauiter murorum ruinas sarcientes, invalescebat senium dedendæ Vrbis rumor, nullo certo autore enatus, & omnibus inclinantibus. Binas Czarnecius à Casimiro ferendi succursus acceperat literas; sed postquam Regem Opoliæ hærere ex Leszczynio Lanciciense Palatino, (is nuper legatus Stokholmiam, iam nunc ob resumendos tractatus Suecum ad Cracoviam conueniebat) compertum; etiam dissipato cum Exercitu Potocio, Quartianorum ablegatos in præsens apud Carolum comparere, requirendæ Protectioni constaret; tum annonæ penuriâ haud quaquam in diuturnum obsidium prouisa; inclinauêre ad mitiora animis; etiam Gubernator arrepta nuperæ epistolæ occasione, tanquam responsi vicem tribuens, Regi Carolo scripsit. *Alter iam à cæpta obsidione mensis euoluitur, ex quo admotis Metropoli Regni nostri copijs, quid fortuna tua, quid constantia nostra possit, Rex Serenissime experiris. Tibi pro gloria certamen est; nos Patriam defendimus, pro ea, qua omnium charitates complexa, vel extremum spiritum profusuri. Quid in hanc diem armis profecerit, Maiestati Vestræ liquet; nisi quod benignitas ex literis perspecta, multùm nos moueat; cùm generosa pectora ferro cedere nescia, potius quandoq; mansuetudinis ac clementiæ artes trahant, quàm minarum. His M: V: effecit gloriosè, vt eum fauentem quam hostem, quiuis habere*

 bere

——*bere malit. Verùm, quia probatio benignitatis, est exhibitio*
1655. *operis; tempus concedi petimus, consulendi Ser: Regis nostri Casimiri, quo demũ casum dispensante, submittemus necessitati vela, potieriſq; Cracouiâ Ser: Rex, non iam vt hostis, sed Regis nostri consanguineus &c.* Allata epistola lætum & attentum reperit lectorem Regem, quominus desiderato loco potiretur, nimiùm cupientem: Missi insuper qui negotium vltroneæ deditionis maturarent, differebant; Omnino exitiabilem obsessis moram, plus acquiri festinata pactione, quàm diuturnâ contumaciâ. Captiuos esse, quàm diu intra mænia clausi manent, nec nisi interuallo muri vitam eorum ab exitio distare. Dum licet & Rex obsessor vult, recipiendæ incolumitatis modos inirent; ac vnde benignitatis naturam cognoscerent, concedi exnunc octiduum consulendo super deditione Casimiro; etsi parùm pro Cracouia sollicito; vt qui vniuerso Regno excedens, integrum illud potentissimo æmulo reliquisset. Indicatum itaq; Primoribus necessitatem sequendam, si modò honorificam securamq; pactionem Carolus præstaret. Id tamen consilij in arcano habitum, nè deditionis rumor in vulgum promiscuè sparsus, à militaribus munijs improuidos abstraheret.

Anxia interim Ciuitas, non modo indies arctius cõstringi, verùm & spes rescindendi obsidij accidi dolebat. Iam quippe potiores Regni Prouinciæ, Sueci Regis haud respuebant auspicia; Casimiri reditus pro desperato habebatur; ac vnde in deteriora impulsus, cunctos speciosum Protectionis nomen, vt incolumes esse vellent, inuitabat. Proin vulgi murmura, & consensus, etiam prudentiorum suasus, perpulêre Czarnecium, vt vbi remedium malis extra spem esset, haud mora eluderet, quæ sine euidenti discrimine protelare non licebat. Is demum Præsidibus Cleri, Nobilium, ac è Magistratu præcipuis, militumq; Ductoribus in Arce congressis, quanquam alio inclinaret, alia tamen loquebatur; concordiam animorum expertus, aut

aut quod geminatis precibus adigi se in deditionem non——
infra gloriâ existimaret: demũ vnanimiter omnes transigi 165
de incolumitate Vrbis postulauêre, commissumq; negotiũ Spiritualibus, quominus à se perscriptis legibus, Religioni in primo capite cauerent. Vbi verò transmissæ à Carolo Rege sunt Publicæ Fidei literæ, in discutiendas conditiones itum, Fromholdo Wolphio Dynemburgense, Ioanne Branicki Chencinense Præfectis, Alexandro Płazâ Magno Arcis Procuratore, Delegatis: Apud Wittembergium tractari cæptum opus, in frequenti militarium cætu, ob expeditius linguæ Latinæ commertium, cuius vsus natiuis Suecis perquam rarus est. Igitur deditionis Leges vt conceptæ, mox approbatæ, nihil morante Rege, imò id gloriæ suæ, ac splendori Triumphorum cessurum affirmante, si confestim postulantibus, regio animo omnia, & sine exceptione concessisset. Quibus verò conditionibus, alienigenam procum virago nostra admisit, haud incongruens reor subijcere. *Religio Catholica Romana, eiusq; vsus & exercitium, prout ex antiquo in Regno Poloniæ viguit, etiam nunc viget, in eodem statu permanebit, Cracouiæ, & vbiq;. Ita tamen, vt qui eam profitentur, debita cum fide & obsequio, erga Ser: Regem Sueciæ se gerant. Ecclesiæ, Collegia, Monasteria, Scholæ, Xenodochia, quæue sacri Ordinis sunt bona tam mobilia, quam immobilia, ab omnibus militum grauaminibus existent immunia: nisi ad contributiones publicas ex more pendi solitas obligantor. Personæ vtriusq; sexus Spirituales & Regulares, dum modo pacatè ac obedienter viuant, immunitatibus, ac bonis suis vtentur, fruentur. Vrbi & Arci Præfectus, Tribuni, Ordinum Ductores, Milites, Burgrauij, ac tota Nobilitas, præsenti obsidione Cracouiæ manentes, liberè quo placitum abibunt; omnibus bonis suis saluis, etiam dignitatibus ac praeminentiis. Acta publica, Instrumenta, Tabulæ, Scripta, siue Castrensia, siue Terrestria, multo magis Ecclesiarum, integra ac illæsa conseruabuntur. Iudicia Iurisdictiones, Officia, cuiuscunq; subsellij*

1655. *ſellij ac gradus, pro veteri more ius dicent, indicta Iudiciorum reaſſumptione, per publicas (vt vocant) Innoteſcentias. Cui Vrbe, etiam Regno emigrare placuerit, ei bonorum tam mobilium quam immobilium, tranſlatio, venditio, alienatio, omnimoda, pro arbitrio manebit. Ciuitas Cracouia cum ſuo Magiſtratu, ac populo, & circumferentia, omnibus Priuilegijs ac immunitatibus, vt ante gaudebit. Vniuerſitas ſeu Academia, Regni gymnaſium, veteribus prærogatiuis, quæ publico Comitiorum Regni conſenſu firmatæ ſunt, bonis item prouentibuſq; ſinè noxa fruetur. Illuſtriſſimus Stephanus in Czárnca Czarniecki Caſtell: Kijouienſis, Arcis ac Vrbis Cracouiæ Gubernator, tum Fromboldus Wolph Capitaneus Dyneburgenſis, cum alijs Tribunis, ac Centurionibus, Turmalibus, Legionariis, vexillis explicatis, ſclopis inſtructis, funiculis ſcintillantibus, ad pulſum tympanorum, ex præſidio Vrbis decedent, cum XII. diuerſi modi tormentis. Iſtis in alimentum cedent bona quæ circa limitem Sileſiæ Regalia adiacent, idq; ad ſpatium bimeſtre; intra quod, contra S. R. M. Sueciæ arma neutiquam ferre debebunt. Ser: Regis Poloniæ Aulicis, Conſiliarijs, Miniſtris, ad Regem ſuum liber abitus, & tranſitus ſub fide publica conceditur: Quin etiam currus & impedimenta militaria, abſq; vlla vexa & incommodo, in locum ſecurum traducentur. Captiui Sueci quotquot in Vrbe ſunt, fide bona, ac ſine omni lytro dimittentur, quod idem Ser: Rex Suec: in ampliori numero præſtabit. Archiuum Regni ſiue illudrationes Theſauri, ſeu Oeconomicas calculationes prouentuum Regiorum contineat, fideliter nihil occultando, Delegatis à Ser: Rege Sueciæ extradetur. Machinæ bellicæ omnes, quotquot ad Arcem ac Vrbem pertinent; commeatus ac inſtrumentum belli, in loco ſuo remanebit; eo inſuper adiecto, vt præfatus illuſtris Gubernator, de omni dolo malo obſidibus caueat, ſe nihil cunicularij operis in nocumentum Suecorum ſubtus terram relicturum.*

Eas tradendæ Vrbis conditiones inter Delegatos ac Generalem Wittembergum condictas, die XVII. Octobris

1655.

1655. Carolus Rex Sueciæ ratas habuit, eaſq; publico diplomate firmauit, in omnibus punctis & clauſulis ſacroſanctè obſeruaturum promittens, quæ ſpopondiſſet. 1655. E veſtigiò adfuit ex intima Caroli admiſsione Slipenbachius iunior, vt fidenter Regem adiret Gubernator, pro obſide miſſus. Aſt, non egere vadimonio Czarnecius reſpondit, vt qui maximam ſecuritatis rationem verbum Regium habens, vltro ſiſti Maieſtati eius pro magnifico reputaret. Sequenti die, mox idem reuerſus in Arcem, viſitatis obiter Regiæ conclauibus, cuſtodi Theſauri Reuerendo Miaſkowſki, vt depoſitorium illud aperiretur, nomine Regis ſui mandauit; quod fieri nequijt, cum abſportatis inſignijs & quidquid pretioſum, etiam ſecum ſubduxiſſet claues Mareſchallus. Vnde ſeris ac clauſtris per ſerifabros refractis, repertum nihil, præter parapherna nonnulla antiquitatem redolentia, ac papyraceas farragines, cætera quæ cupiditatem irritarent, vacuum locum patefecêre. Die S. Lucæ, Caſtrenſis (Grodzka) Porta, ac altera Poboczna, quæ immediatè arci ſubeſt, à Suetico milite inſidentur, ſimul ad præfinitum tempus, euacuatur Vrbs veteri præſidio, ſolicitis nimiùm Ciuibus, quid tandem boni noua dominatio feret? Exceſsit primùm Wolphij ſignis expanſis agmen, ſclopetis ac haſtis in humeros reclinatis, fiſtularum tympanorumq; pro more militiæ concentu, greſſum ciente: ac quo ingenuum abſceſſum monſtrarent milites, iocis ſcommatibuſq; cum Suecis colludebant abeundo. Secuta Gnoinſcij Heyducorum Legio, è pellibus hiſtricum geſtans ſclopetorum tegmina, eoq; horridior. Ponè ibant ſub XIII. manipulis Deſultorij, vetus Czarnecij miles, Chriſtophoro Waſowicz ac Ioanne Tetwin ductantibus. Clauſit agmen ferè ſexcentorum ala, poſtquam demum Gubernator Vrbis Czarnecius Vrbe abijt, ſuo more coccinea Arabicum in morem veſte indutus, & generoſo equo in danda imperia verſatilis. In Caſtris ille Carolo valedixerat, quem inde ſecum in ſtationem carpento vectum,

ctum,

ctum, & comiter mensæ adhibitum, ex merito virtutis ho-
1655. norificè dimisit; iste mutuò rerum vicissitudinem, & insuperabilia Caroli arma, pro gloria aut solatio loquebatur. Tantundem apud suos, ex præstanti & heroico animo encomij vel fatente inuidia, meritus: reperti nihilominus qui priuatis sermonibus obstreperent, consummatam famam inclyti Bellatoris carpendo. Incusauit miles, parciùs distributam rem alimentariam, licet abundante publico pænu; hinc molesta fame rapere apud Ciues coactum, vnde viueret, dum annona & stipendium interuertitur. Magnam partem argenti ab Ecclesijs, in obsidionis necessitatem mutuati, ab eo receptam; quod mox in nummularia Zacherlæ officina in signatam pecuniam recusum, priuato vsui addixerit, iniurius eius assis vsurpator, pro quo miles sanguinem, imò vitam prodigeret. Nec Nobilitas, nec Ciues perpercêre, adscribendo Gubernatori, quod æquè militum, quàm grassatorum licentiâ, institorias pergulas, aut Iudæorum fornices diripiendo, peccauerat; vbi fænori data pignora, ad summam sesqui Millionis debitoribus periêre: neutiquam tolerabili rapina, nisi facti & spoliorum participatio, ad conniuendum reis induxisset. Ipse vnus non tantùm verbis, sed ingentibus donis à Rege Sueco cumulatus, quorum pretium decuplo redhibere incolatus Vrbis debuerit; enormi Ciuibus indicto ære in largitionem. Sed hæc solita mortalibus, in periculis pauescere, cuncta offerre vt euadant, demũ qui discrimen depulerant criminari: quasiverò, dare aut impendere omnia pro salute communi non satius fuerat, quàm hostium discretioni seruare.

Exeũtibus Polonis Vrbe, Wittembergius mox centurias Suecorum introduxit; idq; iam sero noctis, nè quãtitas curiosis pateret: in breui Carolus Rex raro admodum comitatu, ac propè priuati in speciem arcem ingressus, acceptusq vario animorum motu, adhuc dum inter binos Reges diuisis Polonorum studijs. Nemini tamen gratior aduen-

aduentus eius quàm Heterodoxis fuit, potissimè Arriana labe infectis; vt qui Euangelicis non benè, Catholicis pes- 1655.
simè, in fundamento Fidei conuenientes, vno in Rom: Ecclesiam odio Sectarijs socientur. Testandæ isti lætitiæ, solenni Panegyrico salutabant Carolum, ac quo latiùs serperet fama, typis Lesznensibus impresso. Titulus erat. CAROLO SVEC: GOTT: VAND: &c. REGI, incruento Sarmatiæ Victori, & quâ quâ venit Liberatori, Pio, Felici, Inuicto, afflictis in solatium, Regibus in exemplum nato &c: Non indignus alioquin audiri Orator, si non adularetur. Componebatur grex ille Arrianorum seu Anabaptistarum ex patritia Nobilitate, præcipuè submontano tractu (Podgorze) ea pestifera lue scatente. Nominibus parco ob Maiorum claritudinem, qui melius tunc à Synagoga sua dixerant, quàm crederent; quasiverò ignari, non magis dissentire Suecum in Religione cum Catholicis, quàm concordare cum Anabaptistis.

Memorari meretur quod à fide digno relatum accepi. Ingressus Arcem Cracouiensem Carolus, Basilicam quoq; D. Stanislai Cathedralem inuisit, vtiq; videndi curiositate ductus, non religione. Qui manu ducebat, Simon Starowolski erat, Canonicus tum Cracouiensis, probum & eruditum caput, spectatu digniora antiquitatis monumenta, Regi exquirenti ostendens, sed præcipuè sepulchra Regum Polonorum, cum breui cuiusq; elogio, historiarum ipse peritissimus. Sors an ordo fecit, vt ad monumentum Vladislai Loctici veniretur; *Hic Rex* (inquit Starovolscius) *ter regno pulsus, ter idẽ recuperauit*: cui Carolus. *At Casimirus vester, semel exactus, haud amplius recuperare amissum quibit*. Tum Senex seu fatidico spiritu, seu extremo iam senio liber. *Quis scit? nam & Deus potens est, & Fortuna variabilis?* Perstrictus responso Rex, curiositati suæ, & sermoni manu ducentis finem, alio diuertens, imposuit; donec peragrat templum capite intecto, & quidquid Starowolscius narraret attentissimè auscultans.

1655\. Sub hac oppugnatæ Metropolis interuenientia, aduenerat Adamus Brochowſki Sochaczovienſis Caſtellanus, Caſimiri Regis ablegatus, paci cum Sueco (quatenus requiſierat ipſe,) tertiò inſinuandæ. In conſpectum admiſſus, excuſauit primò tardiorem aduentum, ob itinerum inter arma ſtrepentia difficultatem. *Sat citò tamen ſe venire (dixit) ſi ſat bene &c. dein patheticè conficiebat. Ad quid vtiq; ſpes & deſideria extendimus, vt ſolitudo & vaſtitas finem bello faciant; ac gladiatores toto Orbe collecti, non ſine horrore ſpectantium, etiam cum victorum periculo, ad tumulum expirantis Poloniæ, Andabatarum more decertent. Errat, quisquis putat tam luculentam hæreditatem quietè ſibi obuenturam? ſcilicet tot competitores, æquis oculis alienam ſpectabunt felicitatem, & non magis quiuis finiti morum, ſcænam hanc ſuo commodo claudere volet? Reſpice ex aduerſo Ser: Rex duo Imperia, quibus Turcæ ac Germani gloriantur; accedit tertium horridi Septemtrionis, non minores ſpiritus, noſtris cladibus gerentis. Quid deinde maritimæ potentiæ æmuli facient? num permittent Maie: Veſtræ arma, tam ante formidata, in immenſum creſcere? & non magis vſitato Chriſtianis gentibus more, æquilibrij ſtatera contineri annitentur? Patiare moderationis Regiæ fiduciâ, vera tibi dici ô Rex: quantùm armorum ſtudio & gloria ſuperemines, tantùm inter conſpirantes æmulos diſcrimini magis expoſitus manebis. Si nos peribimus, tu viciſſim periclitaberis. Vtor beneficio audientis, & amplius dico; hæc victoria erit, quæ fructum victoriæ perdet, &c. Nec pro Maxima putaueris, inſignem famâ belli populum, ſi ita Fato viſum, attriuiſſe. Noſcent vtiq; ſæcula & poſteri, feſſis ac laceratis, & nihil minus quàm Suecorum incurſionem agitantibus, improuiſum ſuperueniſſe, &c. Nonnè Dominus Exercituum Deus eſt? Nonnè Dei noſtri eſt, tam in multis quàm in paucis ſaluare? Martem ambidextrum, fortunam mutabilem, rerum humanarum ludibria docent; nec niſi inter ſolium & aliena genua, exile momentum intereſſe. Vis fortunam propitiam tibi facere, moderatam effice; nam & magna nauigia citiùs mergas, quàm regas. Præterea, quos omnes ſeruos facere nequeas, cur non quæris, quomodo amicos facias? Noſti candidam & fraudis ignaram gentem Polonam, non erit dedecori ſi ſocij vocabimur, ſecundis rebus ornamentum, aduerſis præſidium. Æqua igitur & tolerabilia ab amicis fœdere ſociali pete, quæ neutiquam ab hoſtibus bello extorſeris. In id Legati Reip: præſto ſunt, quorum ego veſtigia antegredior. Libeat modo dum ciuiliter diſceptatur, breue armiſtitium indicere, Chriſtiano ſanguini parcendo, cuius ſemper apud bonos Principes laudabilis eſt parſimonia &c: Quod ſi hic ipſe locus Cracouia, vbi arbitri in pacem conueniant, placet, limes odiorum, & pacatæ diſceptationis terminus eſto.* Audijt Legatum dicentem, militari corona ſuorum cinctus Carolus, cui in more poſitum, etiam quæ non intelligeret, attentè auſcultare; tandem poſt tridui moram id reſponſi datum. Non iam de ponendis per conditiones armis; ſed quatenus reſignato Caſimirus Regno, fortunæ & victoriæ cederet, inſtituendam illi deliberationem; ſibi interim curæ fore, vt Regiæ Perſonæ & cognationis memor, dignitatem ac ſtatum abdicantis Principis, ex condigno ſtabiliret. Benignè interim Brochouium ac lautè haberi iuſsit, bis à menſa poculum ſoſpiti Caſimiro præbibitum tranſmittens; vt ferè haud difficile eſt felicibus iocari: in rem præſentem reuera nihil. Abrumpebant ſiquidem omnem pacis mentionem, conuerſa penitus in bellum ſtudia, & elatus proſperis animus, poſſeſſâ iam (vt rebatur) Poloniâ, moderationis fræno conſtringi nequibat; hinc datis ad vicinos Principes literis, quæ quantaue egiſſet, circumquaq; tranſmittebat; dominandi nimius, regendi ſui indocilis. Ad Imperatorem Romanorum ſcripſerat eo ſenſu. *Haud ambigere, quin ſuſcepti contra Polonos belli cauſas, iam Sac: Cæſ: Maieſtas, ex Suetico apud aulam ſuam Oratore probè cognouerit, nunc ſuam Maieſtatem certiorem facere, vt huic armorum iuſtitiæ, diuina bonitas ſuffragata ſit: plures inſtructa acie fuſis Polonis, occupato Regno, exacto finibus Rege, etiam Metropoli Regni capta,*

1655. *pta, & ita demum omnem Sarmatiam iure belli possideri. Inuitare proin in partem eius prosperitatis Sac: Cæs: Maiestatem, pro sinceræ amicitiæ lege, quæ deuinctorum sibi doleat aduersis, prosperis lætetur. Quo successu, per loci viciniam Suæ Maiestati propior factus, nihil antiquius in votis haberet, quàm diuersis firmatam fœderibus amiciam, cum Sac: Cæs: Maiestate constantissimè tueri: futurum fore sperans, de pari beneuolentiæ argumentum, à Sua Maiestate relatum iri. Datum Casimiriæ ad Cracouiam die 12. Octobris, Anno 1655.* Dissimulauit acceptis literis cordolium Cæsar quo casum acciperet consanguinei Poloni, simul & suspecta Sueticæ fortunæ incrementa. Casimirus namq; concors sibi, & proximo sanguine deuinctus; hic dudum hostis, iam nuper ob interceptam Bremam, ac alia Rom: Imp: loca incertus amicus, veterem regnandi Cæsarem in diuersa meditamenta trahebat. Mitius tamen responsum, perstrictis leuiter belli caussis, & lacessitos Polonos vel ex eo maximè improbare subiungens, quod eæ inter Monarchas Europæos collisiones, certâ Christianitati iacturâ, Turcæ solatio constarent. Pacis deinde ac compositionis mutuæ studium, à quo Polonũ non auersum crederet, proponebat; pro eo munere & loco, quòd Imperatori Rom: in Repub: Christiana, inter alios Commonarchas ac Principes contigerit.

Deditâ Cracouiâ, in circumiectas arces ac oppida Suecorum vis ingruebat. Duglassio cum copijs superuenienti, Iacobus Wilkoński Landzkoronam arcem interposita pactione dedidit, non tàm armorum ostentatione vir militaris territus, quàm iussus à Michaële Zebrzydowski Ensifero Regni, Caluariensi loco, nè ab irato hoste diriperetur, consulente. Impositum statim Arci præsidium CC. Suecorum, sub Præfecto Burchalsen, habitaq; arx ea velut capistrum montanæ plebis; quæ vt post nobili stratagemate erepta inuasoribus, infra attingam. Deterior sors Tenczynij fuit, illud namq; Konigsmarcus iunior aggressus, primò fortiter defensum, dein traditum, vltra datam fidem exci-

derat, permultis intro fædè trucidatis, cum Ioanne Dziuli pedestri Centurione: vbi reliquos exermes ac sexum fragilem ad indusium Sueci spoliassent. Oycouiensem præterea arcem, Niepołomicios, Saxum caniculi seu Pieskowa Skała, Ogrodzinecense ac Pilecense Fortalitia, recluserat hostis; præclaro gazophilaceo Viri Illustris Stanislai Warszycki Castellani Cracouiensis intercepto: qui per bellum Senator Regni solus, intra Poloniam mansit, indivulsus à Patria Ciuis, & hostium hostis. Procerum alij in Hungariam, alij in Silesiam, nonnulli Gedanum deproperauêre: repertis qui voti exoluendi causâ, ad celebria miraculis apud exteros loca, peregrè dilaberentur. Primas Regni Andreas Leszczyński Nyssæ aut Głogouiæ agebat; Casimiro consilijs & fortunâ indiuulsus: cæteri Præsules hinc vel alibi sparsim abierant, cum tamen Pastoratûs ratio, oues non deserendas suaderet. 1655.

Ast leue accessoriũ Sueco oppidis potiri, magis ad rem visum, traducere in partes Exercitũ Regni, promptius Polonicis viribus Poloniæ subigendæ. A Woynicio dilapsæ cohortes, citeriore Vistulæ ripa se ipsas locauerant, maximè Radłowiensi tractu, sparsim hærebant desides, & nescio quomodo feruente bello securi; ac quia ægrè constat sinè capite disciplina, promiscuâ licentiâ agentes. Inuitamenta inter hæc accedebant, commeantibus occultè emissarijs, vel ipsismet rem aggressis nostratibus, vt de Praccio attigi supra, qui spem Carolo facerent, Quartianos propediem in partibus fore, vbi in manu Regis hamus & præda simul existeret: suppetere ipsi dandi copiam plusquã ex amalthææ cornu, fugitiuorum bonis, & derelictis spiritualium possessionibus, quæ nullius essent, pro merito cumulando secutam auspicia sua militiam. Rursus militi suggerebant, Primam esse salutis dein gloriæ curam; vt medias inter procellas sinè remo nauem, ita illos Rege orbos, haud quaquã imminẽs discrimen eluctari posse. Sustinuisse in præsens Suecorum vim, post repressam Moschorũ violentiam,

1655. ac Coſacorũ rabiẽ, non vltra diſcrimẽ prouocarent: Quid ſi Scythæ accerſiti veniẽt, quib⁹ in prædã, ſub odioſæ Cõfæderationis ac exuti obſequij crimine deſtinantur? Mehercule commodius gratiam & pecuniam Regis offerentis, & qui fortitudine ſua inuictos ſemper præſtabit, reſpicere; quàm ei, quos deſeruiſſet ipſe, deſertores appellanti, nullo fructu, certiſsimo exitio adhæreſcere. Eiuſmodi machina expugnati animi, conſenſêre demum, vt auſpicia promittentis anteferent: tandem ad quartam Sueci Regis requiſitionẽ diſpungendis Protectionis legibus ſubmittentes Dapiferum Nouogrodenſem St: Wyżycki, ac Samuelem Karſki Turmarum Equeſtrium Optiones. Diu iſti abnuerant inuidioſo munere fungi, demum ſuaſu potiorum, precibus omnium victi, poſtulata exercitûs perferenda acceperant. Quibus præcuſtoditum. Exercitum nequaquã contra fidem ac maiorum inſtituta, quæ vtraq; ſibi vita potiora ſint, legitimo Regis ſui imperio ſe ſubducere, ſed in tempus cedere aduerſitati, ac ita vnum hoſtem mulcere, nè omnibus victima maneant, cunctos ſimul exaſperando. Sæuire Moſchum, lacerare Ruſsiam Coſacos, neq; amicos Regno Suecos, niſi ex multiplici malo, tolerabilius eligendum ſit, & afflictæ Poloniæ expediat, theriacam in remedium morbo præſenti conficere, etiam ex materia infeſta. Donec vehementia deſæuit turbinis, à fortuna & Rege derelictos, ſubtus Protectionis alas reclinari velle; ita tamen ſub auſpicia Suetica tranſire, vt Polonos ſe meminerint; nec aliter militaturos externo Regi, niſi auita Religio ſalua & Patria incolumis, ſibiq; receſſus liber, vbi redit Caſimirus, manerent. Idq; non coactos, aut ſeruili mercede appreciatos in partes tranſire; ſed maioris periculi euitatione, quod immineret & ſuo modo, ſi prius poſtulata Exercitûs in certos articulos redacta, Carolus fide Regia rata haberet. Erant iſti. *Fides Catholica cum vetuſto Romanæ Religionis exercitio, tum Libertates ſanguine Maiorum partæ in ſuo Eſſe conſeruarentur; Bona Terreſtria onerum mi-*

lita-

litarium immunia eſſent; Vita & honor viri Nobilis in Tribunali, aut competenti foro iudicaretur; Exercitui Quartiano ſtipendia exoluerentur, qui idem miles Iuramento ad ſeruitium militare nè obligetur. Prouinciæ hoſtibus poſſeſſæ recuperentur; recuperatæ Corpori Regni adiungantur; Dignitates & Officia Terrigenis tribuentur &c. &c: aliaq; ex more veteri & vſu præſenti, Delegatis commiſſa, quatenus Rex Sueciæ peculiari diplomate confirmaret. Non ingrata legatio Carolo, die VI. Octobris Cracouiæ, adhuc dum durante obſidio expedita, conceſitq; diſertè omnia feſtinans & pollicitorum largus; quorum ſemper quàm parati æris, viliùs conſtat diſpendium. Neocorczyni demũ à præcipuis eius militiæ dum ſalutatur, Cancellarius Sueciæ, beneuolam mentem Caroli teſtaturus, proloquium ab ijs D. Aquinatis ordiebatur verbis. *Concluſum contra Manichæos.* 1655.

Succeſſus rerum Caroli Regis, fidem facere veterum traditioni videbatur, qui dormiente Dyoniſio, Vrbes ac Prouincias in expanſum rete vltro deuenire, & ſine vllius actus aut operationis adminiculo ſpontaneè ſubijci, ad exprimendam luxuriantis fortunæ prodigalitatem, graphicè effingebant. Fortuna tamen introrſum diſpecta, nihil aliud eſt, niſi fortuitorum cauſa per accidens: vel iuxta Comicum; Fors Fortuna, nunquam perpetùo bona. Cracouiam circumſidebat Suecus, cùm ſuſcipit Protectorem eũ Exercitus Quartiani pars, & veneratur; Quartianos anteit Mag: Lithuaniæ Ducatus, eiuſdem ſe committens tuitioni, contra inualeſcentia Moſchorum arma, quibus Vilna Metropolis gentis miſerrimè ſuccubuerat. Magnus della Garde Gubernator Liuoniæ, nihil non egit ſolicitandis Lithuanis, quo ſub Sueticam tranſirent Protectionem: opportunitate vſus, dum hìc res in confuſo poſitas, ſecùs inclinaret Præfectorum militiæ immortalis planè diſcordia; intractabili alienis conſilijs Radiuillo, & in Patriam ob immoderatum Sectæ ſuæ zelum, non vt conueniret affectos

con-

1655. contra Vincentio Gasiewski, qui Campestris Dux simul Thesaurarius erat, Collegæ imperijs perperam obluctante: Inde Suetica Protectio mitius audijt; ac quod magis mirum, ad suscipiendam, Catholicis, Episcopo Samogitiæ, & Nicolao Korff Palatino Vendense impulsoribus. Aderant è Suecis patrando negotio submissi, Gustauus Adolphus Comes à Louenhaupt Campi Mareschallus; & Benedictus Skytte Liber Baro in Duderhoff, Arcis Reualiensis Gubernator, quibuscum Lithuani apud Kieydany oppidum Radiuillianum (quod ille Caiodunum vocari ad vetustatis ostentationem voluit) congressi, tandem per mutuum colloquium de Protectione Suetica transegêre, die X. Augusti: Inde tamen famam patratores operis meriti, quod Religionem Catholicam, cui tenerrimè consultum satagebant, in primo capite posuissent.

At enim, vt in graui ægritudine per temporis spatia vis morbi remittit aut intenditur, quales medici dies decretorios vocant: sic fortuna belli peculiares gradus habet, ac tropicos scandendi, per quos in apicem enititur, aut recedit; hoc in illa pessimũ quod vbi retrograda est, haud eundem tenorem descensus seruat, sæpius vehementi impulsu, ex summo in imum protrusa, protrudensq;. Eo planè temporis, vt afflictio Poloniæ infra demitti nequibat; sic fortuna & potentia Caroli in auge stetit, haud iam supra aut vltra ascendere potis. Triginta sex Millia armatorum sequebantur victorem, ex binis gentibus conflatum agmen; pars Polonus Equitatus, vbi campo pugnandum fulminatrices Legiones, & efficacissimus prælıorum turbo; pars pedestris acies, è Phinnonibus Lappisq;, ignitum statariæ militiæ genus, mortis contemptu & palmaribus victorijs induratæ phalanges: machinarum immensa vis, militarium operum structores, ac pyrotechnitæ, plus quàm satis. Præter Suecanam Nobilitatem, ac illos bello Germanico exercitatos Strategos, ad latus Regi, Nouem Rom: Imp: Duces, Anhaltinus, Hessus, Croiensis; &c. XIII. Marchiones, innumeri Comites, Tribuni, Ordinum Ductores, Veterani, &c: vt immensitas apparatûs & fortunæ, tandem prouidè expensa, seriò perterrefaceret Europam, & præcipuè vicina Austria, altiùs in considerationem fatum Sarmatiæ admitteret. Paulus Wirtz sub Gubernatoris nomine tuendæ Cracouiæ relictus; Benedictus Oxensterna Varsauiam præsidio insedit; Douglassius Vistulam in potestate retinendam obseruabat; Wittembergius Generalis, valetudinis obtentu Cracouiæ morabatur. Cuius loco imperium in peditem delatum Carolo Marchioni Badensi; Equiti legem dabat Sulcbachus Comes Palatinus, vicaria potestate penes Eberhardũ Tottæ Comitem manente. Demũ firmato per grâdia promissa Exercit⁹ Poloni obsequio, Neorczyni Tribunos ac Cohortium Præfectos salutatum venientes excepit, tractauitq; humaniter Carolus ferè omnes amplissimis muneribus cumulando, quò altius memoriæ accipientium imprimeret largientis sine discrimine munificentiam: etsi ille mirâ indolis aptitudine cunctis affabilitatem ostenderit, gestu, alloquio, conuictu facilis, & eo artificio animorum potens. Turcicum passim apud Præfectos bellum iactabat; modum, iter, potentiam gentis, à peritis exquirendo; ex Togatis de iuredicundo, Tribunali, Comitijs, & quæ huc spectant, sciscitabatur. Quin etiam templa adire, imagines contemplati, Clerum honorare; vbi hæc violata austerus in speciem, & in omnibus non extra ostentationem agendi. Varsauiam dein progressus, in Palatio Viazdouiensi cum Primoribus Suecorum deliberauit; num prius solenni more Conuentum Poloniæ Ordinibus indiceret? an verò continuato armorum cursu, Victoriam prosequeretur? Et pacatiora ordiendi regiminis auspicia præplacuisse monstrauerat, circumemissis Edictis, quibus ad diem vltimam Octobris Varsauiæ, Comitia Generalia indicebat: Postpositum dein id consilij, Prussia acriter belli cupidum inuitante, ad illud opulentiæ penu, munitis Vrbibus refertissi-

1655. tissimum; quo obice sisti Victoriæ cursus, & continuatæ felicitatis possessio interrumpi, non improuidè timebatur. Etiam iustus suberat metus, quòd Prouinciæ Ordines cum Electore Brandeburgico, ac Ducali Prussia, strictissimo in mutuam defensionem nexu fœderatæ, vna alteri ad extremum halitum opitulari condixissent. In eum modum; Inita Confœderatione constituerant Fridericum Wilhelmum Marchionem Brandeburgicum, iungendorum in mutuam defensionem armorum Caput, seu Generalissimum; post hunc, secundum locum obtinebat, Iacobus Weyher Mariæburgensis Palatinus, sub eo Generalis; cui vtriq; pro diuersitate instituti, Prouinciarum legumq;, diuersum adesset ex Optimatibus consilium, quod vocauêre Directorium. Præliminare fœderis erat, eam coniunctionem seu Colligationem, absq; Regiæ Maiestatis Poloniæ præiudicio fore; & quæ ad nullius offensionem, ipsam solummet tranquillitatem Prouinciarum Borussiæ spectaret. Neutri parti licebat absq; altera, Pacem, Inducias, Neutralitatem pangere; alterutræ mutuam defensionem pepigerant, copias iunxerant; Vrbes pleræq; Electorali milite firmatæ, contributiones in stipendium sancitæ; loca præsidijs vt post bellum euacuarentur, prouisum; & omnia inter vtrosq; probè ac ex ordine transacta, vel Præsulibus Varmiensi ac Chelminensi, vbi religioni Catholicæ apprimè cautum, subscriptione pactum firmantibus. Quod in quadraginta duos articulos digestum ac confectū, in Rynsko fuit; die 12 Nouembr: Anno 1655. Mutuis diplomatibus exhibita cautione, nec Electorem, Ordines Regalis Borussiæ, nec istos illum vnquam, donec sopito bello pax redit, deserturos. Ea Confederatio optimè concepta, prudenter ordinata, ac primis cæptis læta: cur tamen citra destinationem irrito successu euanuerit, lectoris iudicium, ex infra positis esto.

Quia circumfusis vndiq; armis, Prouinciæ Regni, simul aut diuisim pressæ calamitate belli sunt; haud abs re fue-

fuerit, compendiosè, ac velut per epitomen situm Poloniæ exhibere legenti: vt si quem ex externis nostra noscendi cura teneat, facilius loca bellis nobilitata cognoscat; 1655.
nam littus ararem Patriotis ista narrando. Id verò, quàm breuissimè potero, expediam; cùm magna paruis complecti sæculi genium sapiat, exilibusq; lineis ad imaginem ducta peripheria Regni, vel extenso palmo ostendatur. Sarmatico populo Polonorum nomen recentius est; Regio ipsa in Maiorem ac Minorem Poloniam diuiditur, (hinc geminatur titulus, vt in plurali Rex Poloniarum vocetur) quæ ambæ suis Palatinatibus seu Prouincijs cōstant. Minor amplior, & soli fertilitate diues, tum quia Metropolim cum insignibus Regni obtinet, potiorem locum vendicat. Maior consequitur. Dehinc Lithuania, Russia, Prussia, Mazouia, Samogitia, Smolenscia, Podlachia, Czerniechouia, appendices Regno dudum per arma, aut libertatis illecebrâ accessêre. Superuacuis titulis Regnantes nostri haud delectantur: nec, si per inscitiam aut errorem omittas, irascuntur; quidquid ex antiquo aut reali possessione in Ius Regni transijt, id gens sincerius candida pro suo tantùm vsurpat. Cæterùm Cracouiensis Prouincia limitem Hungariæ attingit, Alpibus Carpatijs (Beskidy) à meridie discreta, ab occasu Silesiâ; vnde ortus Vistula, qui demum per Mazouiam, ac subiectos Prussiæ agros, apud Gedanum mari Balthico illabitur. Seueria etiam Cracouiensi tractui adsita, sub nomine Ducatûs, Episcopi Cracouiensis Feudum & possessio est. Sandomiriensis Palatinatus ab ortu Cracouiensi cohæret, circumferentiâ superat; Prouinciâ eâ nullâ in Regno ampliore. Frequens hîc Nobilitas, bello apta & erudita, ac quia medios Vistula intercurrit, promptas habet ex defluitatis Gedanum frugibus opes: Lublinensis ora ab ortu æstiuo prætenditur, cui nomen facit Tribunal Regni Generale, à Stephano Battoræo institutum. Et hæ vel maximè minoris Poloniæ tres Prouin-

 ciæ,

1655. ciæ Iurisdictionem in spiritualibus Episcopi Cracouiensis agnoscunt. Ad Austrum Rusia porrigitur, opulentiæ, etiam cladium, quarũ hic non infæcunda in hanc diem Poloniæ messis, pænu: quatuor Palatinatibus Russiæ, Belzensis, Podoliæ, & Volhyniæ compræhensa. Vkrayna dehinc vastissimo tractu, ad vsq; Pontum Euxinum extenditur, Borysthene, Tyra, Hyppani, maximis fluuiorum, in Mare Nigrum se exonerantibus. Etiam ista trium Palatinatuum nomine accensetur, nempe Kiiouiensis, Braclauiensis, & Czerniechouiensis; vastâ sui peripheriâ modicis Regnis Prouincia par. Quidquid hic singulare, aut populi locorumuè celebritate memorandum, iam nunc rebellionis pertinacia deleuit; etiam nos alibi memorauimus. Lithuania Moschis contermina in Septemtrionem vergit, sub Magni Ducatus titulo; complexa Vilnensem, Trocensem, Minscensem, Msciflauiensem, Vitepscensem, Smolenscensem, & Samogitiæ Satrapias, seu Palatinatus: quæ & ipsa mari Curonico à latere pulsatur; ab occiduâ plagâ Liuoniam contingens. Mazouia intermediam agit, velut in centro Regni posita; hinc Metropolis eius, in amæna Vandali ripa Varsauia, Regum nostrorum & Comitiorum gentis domicilium est. Quatuor Prouincijs constat, Mazoviæ, Plociæ, Rauæ, etiam Podlachiæ, quam Bugus nauigabilis fluuius intersecat; ferunt hic sedes veterum Polouciorum ac Iadzuingorum fuisse, quas nunc fæcundæ Podlachiorum stirpes occupãt. Positionem loci secutus in Maiorem Poloniam transeo; quæ Silesiam dextro latere, Marchiam tergo, læuâ Regalem Prusiam attingens, septem Prouincias numerat. Prima Poznaniensis, à Metropoli nomen obtinet; quam Vartha fl: nauigij patiens bino alueo suggressus, inde per Marchiam ac Pomeraniam vlteriorem permeans, infra Stetinũ in sinum Venedicum decurrit: Sequuntur Calisiensis, Inouroclauiensis, Brestensis Cuiauiæ, Lanciciensis, Sieradiensis Palatinatus, insuper Vielunense territorium. Prusia munitis Vrbibus, perennibus amnibus, mari contiguo superba, etiam mercaturâ, solertius per semigermanum populum exercitâ, vtriq; Vistulæ margini prætexitur, in Regalem, Ducalem, ac Episcopalem subdiuisa. Quæ Regi Polono paret, tres Satrapias numerat, Culmensem, Mariæburgensem & Pomeraniæ. Situs Regionis ad Euroaquilonem, Ducalis in occiduum vergit: Varmia Habo lacui imminens, etiam Balthidem propè habet. Gedanum, Elbinga, Mariæburgum, Thorunium, maioris nominis Vrbes, quæ etiam inter Hanseaticas, (quas vocant,) locum obtinent. Gedanum portu insigni celebratur, etsi Poloni trino littore maris Domini; nempe Euxini, Balthici, ac Curoniensis, possessionem æquoris vsurpare intermittimus. Ducalis Prusia Electoris Feudum, Regiomontum primariam Vrbem, Episcopalis Varmiam habent, Episcopo Ius gladij in temporalibus, & titulum Ducis vsurpante. Silesia, Polonici Iuris olim, nũc Austriacæ domus hæredium: Etiam Liuonia ac Esthonia pridem amissa, ne inter titulos quidem numerantur. Iam verò si Palatinatuum subdiuisiones, in tetrarchias & iurisdictiones minores annectam, certè non institutum modo breuitatis, sed ordinem rerum interrupero.

Dum Varsauiæ Suecus nonnihil hæret, varia in deliberationem veniebant; eousq; ingenijs & consilijs nouæ Aulæ excurrentibus, vt nè dum consummato bello, iam de modò ac ordine recens formandæ Monarchiæ, inter intimiores Regis Ministros ageretur. Aderant Legationes, Anglica, Moschouitica, Fæderati Belgij, etiam Cosacorum, recentem potentiam gratulando prensantes. Post feria, lætis oblectamentis dies acti; nescio an naturâ victoriæ, an mori gentis tribueretur, vt Rex mensæ & conuiuijs Polonos adhiberet, ad ludos & choragia vocaret, diuersaq; spectacula ijs immistus contueretur, passim conuictu & alloquio dignatus: & palam erat, familiaritatis inuidiâ perstringi Suecos, vel nimiam confidentiam

1655. tiam Regis damnantes, vel quòd præponi externos popularibus, minùs probarent, haud occulto cordolio: nisi intelligentes morum dissimularent, subodorati, (vt sæpe fit,) nimiæ familiaritatis gustum citò euanescere, ac nunc placita, mox fastidiri. Hinc semestri fermè Rege Varsauiæ moratus, etiam per circumsitas oras Exercitus tantisper substitere. Causa moræ Douglassius & Millerus, ille Equitum hic Peditum Præfecti, quos Varsauiæ præstolandos censuit Rex, diuersis negotijs operam nauantes. Siquidem Douglassius Exercitu Polonico, quominus sequeretur in Prussiam Regem impulso, nonnihil difficultatis cum Prouinciæ Sandomiriensis Nobilitate habuit, quæ tardius se in nassam compelli passa, Protectionem conditionatè acceptabat, super contentis Edicti Regij disquirens, quo ille integram Libertatem quam reperisset conseruandam adpromittebat. Diu itaq; apud Douglassium disceptato, tandem ad Regem Delegatos miserant, quatenus liberæ Electioni ante omnia caueret, cui vti cardini ac fundamento immunitates Regni inhærescerent: idq; diplomate publico definiri in antecessū desideriū postulantes. Rem acu tetigerant; quos dum ad pleraq; blandius respondens expedit Carolus; Electionem minus necessariā sibi videri dixit. *Ad quid enim indici Comitia ferendis suffragijs expediret? si huic (ensem lateri accinctum monstrans) Electionem in totum debeam? aut cur clamosas promiscuæ multitudinis voces expectare velim, qui non imaginario actu, sed hac manu suffragante, Rex vester fieri possim; imo sim?* exin apertius quid intenderet, inuolucrum remouente affectu prodidit, velut viscera Protectionis & artes patefaciens, quibus destinatum liberis capitibus seruitium premendo, aut blandius quàm cum subditis, aut atrocius quàm cum hostibus subinde loqueretur.

Plus Millero cum Claro Monte Czestochouiensi negotij, quia cum Deo fuit; quomodo enim Religio Catholica tuta, si loca eiusmodi vim patiuntur? non sufficit homini

minibus infestos esse, nisi cum Diuis ipsis bellum geratur. 1655.
Clarum Montem Immaculatissimæ Virgini MARIÆ dilectum constat, quòd hìc Imago eius, in cupressina Tabula à D. Luca Euangelista depicta, multis clara miraculis habeatur. Celebritas loco, ex collatis hìc in omne genus hominum miraculosè beneficijs; vnde manum intromittendi grande hosti illicium, ex reconditarum opum suppositione, quas grati mortales tribus vltra sæculis, in memoriam benefactorum Numinis votorum rei dependissent; iam nunc sacrilegè in neruum bello vertendarum: nefarij ausus incentore Ioanne Weyhardo Comite à Wrzesczewicz Bohemo, vt tunc promiscuus rumor ferebat. Cæterum Burhardus Miller, Exercitus Suetici Generalis, cùm facile iudicaret, opima spoliorum ad se deuolui, inuidiam facti in cooperatorem regeri posse, memoratum Wrzeszowicium cum Quater Millium agmine, ad locum Sacrum prægredi iussit, si modò ostentatione armorum ac terrore, Religiosorum animos expugnaret; qui concinentibus tubis monasterio aduolutus, confestim pandi sibi portas imperauit, minax & immemor, locum sacrum nuper sibi cultum æstimatumq;. Vt responsum pro modestia religiosa negatiuè, simul loco à Suecis vis admota; sequebaturq; præcursores à Wielunio Millerus, cum nouem Mill: peditatu tormentisq;, apparatu sanè horribili, vt qui in Prussicum bellum destinatus, huc velut intra parenthesim verteretur: Spes quippe inerat à Wrzeszowicio iniecta Religiosis veteris familiaritatis fiduciā persuasum iri, vt Monasterium arbitrio victoris recluderent; vel si id præstare nollent, saltem armorum terrore inducendos, quominus cum toto Regno infidem Caroli, inualidam Monasterij cortem traderent. Verùm vtrumq; frustra fuit, nam super admittendo Suecorū præsidio compellati, animosè respōderant, Patres Claromōtani. *Se in seruitiū Diuinum votis obstrictos manere, sub eoq; Sacramēto locū antiqua pietate celebrem tueri velle; quem sæcularibus hominibus*

1655. *nibus tradere piaculum foret. Ser: Regem Sueciæ, vti Dominum gratioſum omni qua par eſt ſubmiſſione colere; idq; probè conſtare ſibi, quin extra ſcitum eiuſdem Maieſtatis, Clarus Mons à milite Suetico vim patiatur, qui pro Religionis Catholicæ, ſimul & Regni Protectore audiat.* Excipiebant præterea ex ſpeciali Regis reſcripto, quo Clarum Montem immunem ab omnibus militum grauaminibus, ne dum ab oppugnatione, patentibus literis pronuntiauerat. Talibus vbi nihil profectum, cæpta vis ab immani mænium verberatione, dein igne efficaci in terrorem elemento, quo ſubiecto, horreum monaſterij multiplici frugum conuectione inſtructum, exuſtum fuit. Erectæ dehinc è Regione Monaſterij corbes & vineæ, etiam ſuggeſtus tormentarij, ab Aquilonari latere Millero ſtationes ſortito, & impreſsionem adornante: idem alia parte Lantgrauio Haſsiæ, ac Venceſlao Sadowſki Tribuno præſtantibus, etſi minore efficaciâ; cum exagerati introrſum terrâ muri, vix aliquot laterculos ictibus quaſſati perderent. Nec diu à Claromontanis hæſitatum, quin ictus reponerent, ea tangendi ſcopi libratorum felicitate, vt intra trihorium campo ſe ſubducerent Sueci, notabili ab incidentibus globis iacturâ campo depulſi: iſtis, quòd ſuffugium & receptum ſubiecta Monaſterio ædificia darent, nullo damni reſpectu, à ſuiſmet incolis incenſa ſunt, ac in fauillam redacta: eò promptius ignem concipientia, quòd ſub tectis conuectum fænum ineſſet, etiam aliquæ ſtramineis faſciculis ſartæ, ac ideo ardere faciles. Literis poſt hæc, & ſuaſionibus inter vtroſq; actum, annitente plauſibilibus verbis locum munitum obiter ſubigere Millero, vbi grande opus patrat, Regem in Pruſsiam quantocius ſecuturo; ſeu vt tempus operis militaribus excitandis, prætenſo tractatu haberi poſſet.

XIX. Nouembris, qui fuit Præſentatæ D. Virgini ſacer, recruduit oppugnatio, maiore quàm antea feruore & impreſsione adornata. Siquidem Cracouiâ ſex muralia tor-

tor-

1655. tormenta aducta fuêre, cum ingenti ad rem pertinentium copia, & recens miles vicinis deductus præſidijs, peruicaciſsimè in aſſultum ferebatur. Dato impreſsioni ſigno, è machinarum fulgetris immania crepant tonitrua, quàm ante vehementius; inſurgit vndiq; in cuneos denſatorum agminum clamor, tonat horrendùm grandinatq;, & circumiecti Horizontis cælum, offundente fumum pyrio caligine inuoluitur. Prodit Gigantomachia, ſeu eius obſidionis Commentarij, impreſsione perdurante, adeo frequentes iactos concutiendo templo ac contiguæ turri globos, diuerſaq; è pyrobolis miſsilia, vt fumo & igne Clarus Mons inuolutus, totus planè ardere videretur. Sed Sueci, hem Fatis certaſſe minores? Recidebant caſſo ictu tela, alia ſupra culmina templi innoxia tranſuolabant, non libratoribus ſua peritia, non pyrotechnicæ artis magiſtris conſtitit iaculandi ſucceſſus; cum irriti à tegulis globi, & igniuomæ faces à ſcandulis reuoluerentur, velut à ſolida rupe reſilientes. Imputauêre præſtigijs fruſtraneum molimen hoſtes, cùm ex illis plurimi fæda ſtrage corruerent; ſubibatq; pudor celebres illos bellatores, totq; Fortalitiorum domitores, ab imbelli Monachorum cætu clauſtro ſuo manentium, ignominiosè reijci: cùm, vt quiſq; ex ijs cominus intra teli iactum proſiliret, confeſtim haud aberrante ictu à mænijs ſterneretur. Sed indignabatur vel maximè Millerus, quòd ſub impreſsionem, in edito turris Odæo, Symphoniaci Monaſterij, tanquam per ludibrium ſacro cantu obſtreperent pugnantibus modulando. Erant intra clauſtrum Stephanus Zámoyſki de armis Roſarum Enſifer Siradienſis, Petrus Czarniecki Caſtellani Kijouień: Patruelis, Krzyſtoporſki, Skorzewſki, ac pleriq; è Nobilitate Siradienſi, qui Claromontanis iuncti propugnandi curas partiebantur; diuiſo inter Auguſtinum Kordecki Cænobij Priorem, ac Zamoyſcium, vbi diſcrimen incumbit officio; vt hic peditatui in ſtationes diſponendo, Kordec-

cius

1655. cius summæ rei intentus, sed maximè libratoribus machinisq; imperia daret. Recessum ab oppugnatione inanis conatus, etiam superueniens nox persuasit; quam Czarnecius hosti inquietem daturus, cum LX. præsidiarijs primo conticinio egressus, ac silenter ad stationes vsq; Præfecti aduolutus, fessos & somno deditos clamore & ictibus inuadebat. Terrorem & discrimen auxerat nox concubia, donec strato cui se commiserat Millerus exiliens, suos in repressionem clangente tuba conciret. Quippe Czarnecius animo & manu iuxta validus, excubias hostium prorsus disiecerat, inq; suggestus tormentorum inuectus, quidquid isthic custodiæ mactauit, pari impetu qui auxilio veniebant excipiendo: ita potior pars noctis exacta inter tumultum, & maior, quàm pro numero inuadentium edita cædes. Interemptus ex Suecis Comes Horn familiâ honoratâ, Krzepicijs datus Gubernator; operum præterea militarium insignis architectus, apud machinas manu Czarnecij obtruncatus; etiam Italus aliquis Protribunus de Fossis; tum Wrzeszouicij Equestris Centurio: complures præterea gregariorum occubuisse, ex vulneratis ac cadaueribus, enixè ab hoste Krzepicios deportatis, cognitum fuit; ex Claromontanis vnus nonnisi Hungarus perijt, quem longius euagantem socius hostem ratus, globo traiecerat. Mitiora dehinc obtendit Millerus, submissis qui deditionem ingererent, repertisq; proh pudor! nostratibus, qui eadem suadere Religiosis ausi; sed reiecti sunt: contemptæ hostium minæ, postposita blandimenta, fortiter tolerati assultus, præsidiariorum opportunè compressa seditio, Religiosorum ac Nobilium aliqui animo vacillantes, ad infractam constantiam reuocati, mæniorum hiatus seu ruinæ reparatæ; vno verbo conseruatus locus, incolumisq; stetit MONS IN QVO BENEPLACITVM HABITARE DEO. Hem? Vniusne Cænobiarchæ manus, aut præfractum aliquot senum robur, aduersùs tantam potentiam eualuêre: minimè. *Fecit Deus*

DEVS potentiam in brachio suo. Non humana adminicula Clarum Montem; sed diuina ope locus sacer tot mortales seruauit, nam miraculis magis quàm armis hîc pugnatum. Densior nebula tegit aduersùm insultus montem; recidiui globi à tecto sacelli retro abeunt; Mulier cæruleo theristro Millero visibilis, supra mænia machinas disponit, aduersos reprimens ictus; Annosus senex in effossione cuniculi lapicidas terret; Suecus contra imaginem sclopum dirigens obrigescit; alteri applicatus faciei tubus genæ adhæret, vt rescindi à chirurgo debuerit; Granata pila ignitis alimentis referta, intra cunas iacentis pueri delapsa, diffractaq;, velut aliquod amuletum præseruaret, illæsum pusionem præstat; sex Libratores hostium eodem momento, vi pulueris tormentarij excæcati; disruptæ complures simul machinæ; transeo alia attigisse contentus, quæ etiam hosti pro prodigijs accepta vulgataq;, & omnia testimonijs fide dignorum comprobata, in archiuio Cænobij ad præsens extantibus documentis. Obsidium inter hæc solito more tractum, continuata murorum verberatio, acti cuniculi, tentatæ impressiones à Suecis; reposita ab obsessis explosio, frequentatæ eruptiones, contraminarum obiectu cuniculis occursum, aliquando preces, sæpius tractandi mentio, & mitiora obtentui.

1655. *Vide Gigantomachiam.*

Post deditam Cracouiam Seuerienfi tractu, hærebat in statiuis Castellani Kijouien: miles, in respirium isthac à Carolo locatus; cùm securius degentem, quia fidei publicæ innixum, præcipuè Wolphij legionarios, misso equitatu Millerus intercipit, eosq; maiori impares potentiæ, in oppugnandum Montem Clarum trahit, prius Regi Sueco Sacramentum militare dicere iussos. Recognoscunt signa Polona Claromontani, dolentq; è suis accenseri hostes, qui rectius vti Catholici defendere debuissent. Sed mox ex transfugiente aliquo proditum, inuitos in seruitium mutandum cogi, dum in hybernis sub fide publica

——degunt; pars solatij erat Castellanum Kijouiensem moli-
1655. tiones subodoratum, se suosq; instanti flammæ subduxis-
se. Contigerat, quin etiam vt argenteam templi supel-
lectilem, in propinquo stagno demergerent ante obsidium
Religiosi, tutius fore sperantes subtus glaciem aquis cre-
dere, quàm in aperto metallum humanæ irritamentum a-
uaritiæ, exponere. Cum lixæ Poloni (nam vltra mille
nostratium hìc commilitabant, sub Kalinski ac Kuklino-
wski Præfectis) nè quidem in piscium genus mites, ex-
immissis aquis grandia argenti facti frusta rete extraxê-
re. Res ea, dum nobilis præda occuli nequit, ab lixis
ad Dominos, ab istis ad Præfectos delata, demùm ipsi
Millero, haud quaquam eiusmodi crepundia aspernanti
innotuit, & is iure suo spolium ad se deferri iubebat. Ast,
negant constanter Poloni, rem à se inuentam, cuipiam alio
nisi Deo, cui sacrata esset, reddituros: hinc inter iuben-
tem ac renuentes controuersia; quoad Generalis quod
pro se habere nequijt, nè inobedientiæ locum faceret,
donum iactando Claromontanis restituere astutâ munifi-
centiâ mandasset: scilicet decipulam instruens, vt aliquâ
metalli parte remissâ, ad cuncta rapienda patefaceret vi-
am. Remittitur itaq; Patribus argentum vt donum,
mittitur simul Petrus Sladkowski turmæ Polonicæ du-
ctor, qui pro ingenio Milleri beneficium extollendo, de-
ditionem insinuaret. Sed Vir ingenuus, plùs Numini
quàm homini obstrictus, ad acriores in defensionem cu-
ras Patres animauit, multo minus quin deterreret: pro-
lixè innuens, quatenus pauca mora constantes, loci sacri
suamq; demum assererent incolumitatem, reuersurũ mox
in Patriam Casimirũ, vel Barbaris (si Christiani renuunt,)
innocenti Principi subsidium laturis.

Instabat interim Hyems, bellicis minus æqua operi-
bus, grauis Millero, præuisâ irriti conatus infamiâ furen-
ti, & qui protelata per moras deditione, ac potiundi loci
exspes, atroces verborum minas vbi consumpsisset, con-
tinua

tinua anxietate in se ipsum sæuiebat. Partum diuturnis—— 1655.
in Germania bellis nomen, grandi opprobrio lacerauerat,
vbi palmaris Dux & tot trophæorum Strategus, ab asce-
tis bello insuetis, (& vt ipse dixit,) barba tantùm viris cum
ignominia reijceretur. Neq; minus viro acerimo bilem
mouebat, à Religiosis preces velut in ludibrium fundi, si-
mul machinas exonerari, placida loqui & noxia agere;
tum, quòd aduerteret, iam famæ, iam iacturæ suorum vin-
dicandæ, infra spem esse, & penitus deijci ab intento vl-
tionis. Ex sorore Nepotem strato cubantem, enormiter
globus machinalis discerpserat; *ipsum genius aliquis, vi-*
rum alioquin præfracto animo territabat, aliquot tormen-
ta è suggestu obsessi rapuerant, nonnulla impactis quâ i-
gnem recipiunt clauis inutilia reddita; Ordinum du-
ctores, Legionariorum ingens numerus, trucidati; vt de-
inceps inter Suecos in prouerbium abierit, *Si vir es, abi*
oppugnatum Częstochouiam. Nouissimum dehinc impe-
tum, qui ferè acerrimus circa finem esse solet, ipsis Chri-
sti Natalibus obsessis intentauit, quà machinarum iugi
explosione, quà incursu agminum infestus: etiam aucto
ab intra discrimine, ob commotos multorum animos,
pertinaciam hostis superare diffidentes. Ast, diuinitùs
accidisse creditum, nè arrogaret sibi homo quod facie-
bat Deus; *Siquidem pristinæ animositatis admoniti Cla-*
romontani, aut castigati ignauiæ, recipiebant mox ani-
mos, regentibus pauorem alijs, dum exprobratur nonnul-
lis. Kordeccius Religiosos; Zamoyscius Nobilitatem
ac præsidiarios erigebant; & quia opere plùs, quàm hor-
tatu inter arma profici solet, eruperat iste sub meridiem;
mactatisq; apud orificium cuniculi tredecim lapicidis,
dispalauerat reliquos, ad ipsam circumuallationem ho-
stium penetrando. Hisdem diebus iterùm fatalis casus,
prandentem sat remota domo Millerum perstrinxit; fortè
ad mensam diras loco sacro comminabatur, cùm
ecce ferrea traiecto pariete pila, fercula disijcit, calices
K 3 ac la-

1655. ac lagenas comminuit, & commensales in discursum mouet; à qua iam elassata, concussum Milleri brachium, omnes consternati fuêre.

Ita cælitùs constantiâ Claromontanorum corroboratâ, pari vt cæpit animo obsidium in finem toleratum: quod, vt à literis exorsi Sueci, ijsdem interuenientibus concludebant, scribente ad Conuentum Millero. *Rndi: Illr: Mag: Gen: Dni. Vendunt nobis literæ Vestræ solito more, nihil nisi fumum, fumo flammaq; dignum, meras ceremonias loquendo, in ceremonijs moram, in mora pertinaciam, quâ subiectio Regi Sueciæ, tam potenti & gratioso Domino eluditur. Quid faciamus præter id quod factum est? dum frontem silice duriorem Clementi Regi hactenus obuertitis? Quod verò perditio Vestra ex vobis sit, probè intelligitis. Attamen in superabundanti, duplicem Vobis incolumitatis viam candidè proponimus: aut fortalitium vosq; omnes in protectionem Regiæ Maiestatis Sueciæ Dni: Nostri Clement: dedatis; aut Iuramento fidelitatis præstito, in satisfactionem pro diuturna obstinatione, & damnis toti Regno illatis, simul in debitam imperij recognitionem, XL. Mill: Imperial: Religiosi; Nobiles intro existentes altero tanto, sine vllâ morâ ac tergiuersatione exoluatis. Si in altero dilemmatis non satisfit, pro ea obstinatione Busiridis arâ, aut Perilli tauro dignâ, pro merito æquali mensura retaliabimini. Datum in Castris die 25. Xbris. Anno CH: 1655.* Ad ea Religiosi, pecunia carere, imo iam alimenta defecisse sibi queruntur, extremâ inediâ etiamsi non obsiderentur perituri, dum prædia Monasterij vnde sibi victus, à Comite Wrzeszowicio ignis illatus absumpsisset. Responso, adiunctæ aliquot icones Diuæ Virginis, globuli precatorij, tum de origine imaginis typis impressa historia, pro Monastica tenuitate & temporis ratione xenium, non vsq; eiusmodi crepundiorum auaro Generali missum. Nocte demum S. Stephani Protomartyris diem subsecutâ, machinæ ex suggestibus abduci, res armamentaria compilari, currus ac impe-

impedimenta Kłobucko versùs præmitti cæpêre: demum quâ Peditum, quâ Equitum turmæ, horâ ante meridiem X. abeuntes, Montem Clarum reliquêre. Millerus Petricouiam tetendit, inde Regem in Prussiam secuturus; Sadowski Calissium; Wrzeszowicz Vielunium, Hessus Princeps Cracouiam dilapsi; frendentes passim destinatâ offâ non sine opprobrio frustrari. Et à Muris quidem Clari Montis resiluisse globos, vi occulta, non credent heterodoxi: iam verò Suecorum fortunam, ab impetito sacro loco, velut à pariete solido repercussam reuolutamq;, sequentia indicabunt. Certum est, Imaginem ipsam, quâ cupressinæ tabulæ indidit magni artificis manus, ex Claro-Monte à Patribus Monasterij subductam Lublinecium in Silesiam fuisse: indito altari ectypo, quod coloris ac lineamentorum similitudinem originalis sui referret. Hæc de obsidio Clari Montis, sacrilegè suscepto, per dedecus soluto, ex vero retuli: de quo tamen Annales Suecorum subticent, non magis irriti ausus opprobrium, quàm loci à Deo vindicati, gloriam premendo. Hinc, non inuenustè Pöemate aliquis lusit.

> *Exin dolosis Hæresis artibus*
> *Insueta discat (torua licet feros*
> *Visus retorquens) quanta crescant*
> VIRGINEÆ *monumenta dextræ.*

Tot, (si Clarum Montem excipias) læti vndiq; rerum successus, facilè Carolum, vt in Prussiam maturaret, profectionem induxêre; scilicet nouissimam consummandæ victoriæ, vt rebatur coronidem & messem. Quò Varsauiâ mouens, ac vtramq; Vistulæ ripam geminis Exercitibus complexus, armamentarij onera, & quæ alia militaria impedimenta, prono amne deportare iussit; etiam recenti bellantium instituto: vt qui campi dominus, idem & fluuij potens esset, ex ratione securitatis. Thorunium Vrbs clari nominis, Prouinciæ Chełminensis caput, & Regalis Prussiæ vestibulum, prima per viam adibatur. Ante-

1655. Anterioribus Suecorum bellis, ſub Guſtauo Adolpho impetitũ à Wrangelio, à Gerardo Denhoff fortiter defenſum; nunc auctu famæ opumq;, & originis Germanicæ nimium memor, in defenſionis curas ipsũ ſibi ſufficere cenſens qui ambitroni finis, vacillauit: ea rerum vertigine ſatiùs fore credens, cum vniuerſis ſubdi Protectioni victoris, quàm intempeſtiua virtutis oſtentatione, exponi periculoſæ gloriæ, & certo diſcrimini. Haud pro gratia aut odio, quæ vtraq; procul habeo, dixero; non armis aut machinarum fragoribus, ſed verbis & molli ſuaſu ſubactum in præſens Thorunium à Carolo: namq; huic Pyrrho Cyneæ non defuerunt; impensè benignitatem Regis extollentes, eidemq; refragari, non niſi eius eſſe, qui perire vellet, pervincentes: acerrimis ſuaſoribus Daniele Zydkiewicz Inſtigatore Fiſci, extra forum ſuum, & vltra quàm expediret facundo; tum Ioanne Slichtyng Iudice Wſchouenſe viro per publica negotia exercito, ſed peruicaci Caluiniani dogmatis aſſertore. Iſti demum intra paucos dies per colloquia & pactiones Vrbem Sueco addixêre, nè quicquam armorum vi, integra hyeme ſubigendam. Cùm in inſtanti Suecorum Duces Guſtauus Otto Steinbok, Lindanus Horniuſq; ac Comes de Dona, Culmam, Meuam, Graudentum, aliaq; circumiecta Pruſsiæ fortalitia armati paſsim circumfunderent, & verbis ac terrore expugnata recluderent occuparentq;: citeriore amnis ripâ Suecis, vlteriore Polonis incedentibus. Pridie Nonas Xbris, Carolus cum plauſu Thorunium introijt, qualis pompæ principiũ ſemper eſt feruidius, quàm finis: dein magnifico epulo cum Adolpho fratre, (cui præter externorum Legatos, Tribuni vtriuſq; Exercitus adhibiti) regaliter tractatus. Dum abſcedit, Vrbi præſidium impoſitum, in quemcunq; caſum; cum & Rex in longinqua abiturus tergum non immunitum cenſeret relinquendum, ſimul recenti dominationi expediret, prius ſubditos admiſsi iugi pænitere, quàm regnantem excuſsi: inſuper, liberæ fluminis nauigationi vltro citroque conſtringendæ. Ita Thorunio ſub nouo Domino ſua libertas conſtitit, ab conterraneo nec diſparium ſacrorum Rege, non pro ſpe tractata, cùm antea in vno tantùm templo à Ioanne Caſimiro grauari ſe quereretur.

Poſt Thorunium Mariæburgum ſe offerebat, clauis & potiſsimum Pruſsiæ munimentum: eo ſubacto, planè omnis Boruſsia in manu Caroli erat, quo propiùs ſe aduoluentis Gedano, eò vicino formidoloſiore. Conſtabat præſidium loci ex ſtipendiarijs Regni & Electorali milite cõpoſitum, cui Iacobus Weyher Palatinus, *in nomen* Caſimiri, ſub Regentis Pruſsiæ titulo, vt ſupra innui præerat, Vir acer & animi in Patriam egregius: deniq; coniunctio Ordinum Pruſsiæ cum Electore Brandeburgico in mutuam Prouinciæ defenſionem inita, permouebat Suecum, vt caput prius quàm membra peteret, mox omni tractu illo, qui ſub triplici nomine Boruſsiæ audit, citra ſanguinem potiturus, vbi Electorem viciſſet. Complura ſiquidem loca, ſuis Elector firmauerat præſidijs, nempe Człuchouiam, Lemburgum, Straſzburgum, Bransbergam, Brodniciam, Czczeuum &c: etiam Hauptum ſeu Głowa territorij Gedanenſis fortalitium, ſibi committi voluerat; niſi Vrbs ſapienter præuidens, nè curæ defenſionis aut deditionis neceſsitas, *alieno ſibi conſtaret arbitrio*, oblatæ tuitioni renuntiaſſet; ſufficere vires, quibus ſe ſuaq; defenderet, conteſtata. Hinc enata fortè cauſa fuit, vt coniunctioni illi pro defendenda Boruſsia *initæ*, Gedanenſes per Procuratorem ſuum, publico ſcripto renuntiauerint, futuri ſolicita Vrbe: & dum altius hoſtium, iuxta & amicorum arcana conſilia rimatur, imminentia coniecturis præueniente. Trahendæ illi in partes, Carolus Rex nihil omiſerat, modo blandiens, iam minax; niſi ſupra ſuaſus & terrores poſita, etiam illicia communium Sacrorum recto vſu metiens, in veterem ac legitimum Regem fidem præhabuerit, in extrema ſtabilis.

1655. Vbi pro certo exploratum, immotos aduersùm spem & metum Gedanenses agitare, transmisit tunc Carolus, tempore & successu edomandos, vel vbi campestri prælio perfungitur, demum omne robur in expugnandas Vrbes versurus; Elbingam interim obliquo latere molitus iter, auita Suecorum imperia expertam Vrbem, & in populari regimine facilius deditioni obnoxiam. Huc, præmissus Ericus Oxensterna Cancellarius, animos & portas aperiri Carolo persuasit, in spontaneam deditionem assensis Ciuibus; ea potissimùm lege: *Vt vetus Vrbs à recipiendo & sustentando præsidio Suetico libera esset; noua mille armatos alere teneretur, quæ, nè vnum quidem, in ante, Polonum sustentauerat.* Decliui iam Decembre, protinus duo Millia selecti peditatus Elbingam intrauêre, in præsidium Vrbis distributa, quibus Lindanus Generalis cum imperio præerat: quem duplo auctum numerum, dum Ciues ad pactû reduci postulant, accepêre à Cancellario responsum. *Ne id quidem in pactis exstare, vt Elbinga Sueciæ Regi definire debeat numerum comitatus.* Carolus dein superuenit, per plateas ac forum milite vndiq; oppletum, acclamationibus ac plausu populari exceptus; quem in immensum extendebant læti passim Nuntij, adferentes; Heduigem Caroli Vxorem, Stokholmiæ Filium felici puerperio enixam: Regiomonti Slipenbach ac Biornclaw arcanorum consiliorum Ministri, non vsq; malè apud Electorem hospitati, rerum ex voto conuersionem isthàc adferebant; ac licetsi haud segnes in bellum paratus offendissent, nihilominus intimiora rimati, citra sanguinem in mutua fædera mox ituros, qui certamen adornarent Principes, præuiderant. Erat quippe Carolus Rex (vt laudem virtuti vel in hoste tribuam,) præterquam quòd egregiè fortis, & animi imperterriti, simul ea morum comitate, vt antequam corrupisset fortuna ingenium, vel solo obtutu ac alloquio, hominum animos sibi conciliaret. Etiam tunc Nominalia recens nato Filio exhibere destinans, præter alios

alios maiorum gentium Dynastas, Electorem Brandeburgicû, solenni inuitatione dignabatur, quominꝰ Regio infanti ad lauacrum regenerationis Compater assisteret. Nec is 1655. excusauit, aut omisit roganti morem gerere; vt, qui mox Regem ad simile baptizandæ prolis officium, vicissim compellaturus esset. Id spiritualis amicitiæ vinculum sensim vires hostilitati Principum accidere creditum; increbueratq; rumor, in speciem tantùm armis collusuros, dudum inter vtrosq; condicta Sympathia, & participio eorum, quæ ex bello prouenissent. Namq; vix in limite Regni Sueci steterant, cùm Princeps Elector per Schuerinum Carolo introitum in Poloniam gratulatus, simul solicitè pro amicitia egit, vltro citroq; oblatis conditionibus, quibus propriam staruminaret in antè securitatem. Pactum cum Ordinibus Prussiæ (de quo suprà,) ad apparentiam tantùm initum constitit, nè in minimo quidem Prouincijs illis côducibile; nisi quatenus in speciem aucta potentia Elector, obtineret respectiuè commodiores paciscendi rationes; & postquam incruentis medijs bellum ex ditionibus suis repulisset, demum, à Sueco supremi dominij in Prussia Ius, Loccenius ac Episcopatum Varmiensem in Feudum attributum, an- Fol: 770. ticipatæ pactionis pretium ferret. Inde Thorunij ac Elbingæ deditionem præfestinè consecutam; quòd Vrbes istæ Electoris consilio nixæ, nisi cum scitu & ex imperio autoris, dedi tam properantèr haud quaquam poterant. Veranè fama, quæ sæpe nititur rumoribus, haud peruinco? non multum tamen abfuisse à vero, consequentia indicant; etiam Loccenius Suecorum Historiographus prodit. Nec quicquam ad celeritatem reliquum fecit Carolus, coniunctis apud Elbingam copijs Regis montem petendo, ac de summa rei quantotiùs cum Brandeburgico aleam experiri destinans. Cur autem in ipsis ditionis suæ visceribus hostem exspectaret Elector, abscondita tum causa fuit; eodem discrimine, & maiore intactorum agrorum commodo, si in limite occurrisset: cùm pro certo constaret, XXX:

——Mill: armatorum in promptu habuiſſe, Ductore Georgio
1655. Friderico de Waldeck Comite, tum Ottone Chriſtophoro Sparrio Peditum Præfecto, vtroq; Germanicis bellis laudata militia perfuncto: non omnino impares in reſiſtendum vires, ſi animus ſuperfuiſſet; Cunctabundus tamen, & non pro ſua Martia indole lentus, militem ſub ſignis continere iuſsit, cùm Carolus celeritate & impetu pro ingenio vteretur: rumore interea ſparſo, non timeri ab Electore Regem, ſed ſuſpectari fortunam, quæ iam nunc Suecum, poſt proſtratam Poloniam formidoloſum, ſibi vni hoſtem obieciſſet. Apud Bartenſteynum Pruſsiæ oppidum inſtructa acie congreſsi ambo, iam propè in procinctu certaminis ſtabant, niſi interuenientes ab vtrinq; ponendorum armorum arbitri, (quales antiquâ Roma Patres Patrati) ante agitato, iam nunc coaleſcente fædere, infeſtas acies diremiſſent. Cruenta ſiquidem pugna incipiebat, vbi Polonæ cohortes, haud colludendi gratiâ committi aciem ratæ, ſtrenuè læuum cornu propulerant, ſubita vi campo depulſis quæ obſiſtere auſæ Electoris legionibus: donec receptui ſigno dato, ac ipſiuſmet Caroli Regis accurſu, repreſſâ cōcurrentiū vehementiâ ſiſteretur. Sed bellum à belluis dictum, quæ tamen in vnius formæ animalia mites, exercent in diuerſi generis feritatem: homo vltra belluas ferox, homini lupus eſt, tanquam perdi aliter, niſi humanis manibus, non poſsit, mortalium genus. Diſcretiores in Pruſsia Sueci, quibus victoria potiri modo politico viſum; conſanguineas acies fraternaq; cominus arma, ſeruare ſuperando. Neq; in ſummam temerarij Electorales, vbi ſuperficialiter monſtratâ reſiſtentiâ, virtutis militaris opinioni, tum fidei Feudali ſatisfactum exiſtimauêre, Suecorum fortunæ ſine experimento belli reſtitiſſe. Itaq; Carolus Rex, excellenti ad famam argumento vſus, tanquam ingenuè Chriſtiano parceret ſanguini, (de qua tamen pugna, quòd mulus mulum fricuerit, nonnemo ex Electoralibus, Tanſcio noſtro ſcripſerat) certis legibus

Tuldenus Fol. 171.

quas ſubiungo, dirimi hoſtilitatem voluit. *Pruſſiam Ducalem poſthac Elector, à Regibus Sueciæ iure Feudi obtinebit: ratione cuius nullam ſuperioritatem aut dependentiam Regis Poloni agnoſcet: Pilauiam & Memelium maris Balthici portus, proprio milite tuebitur, vnde medietatem portorij Rex Suecus capiet: Elector promittit hîc & nunc omnes copias aut præſidia, quæ intra Pruſſiam Regalem habet, curare deducenda. Epiſcopa Varmienſis, dempta Bransberga, Electori cedet: Liuonia pro Sueco manebit; qui item vniuerſos Exercitus ex Ducali Pruſſia, ſine incolarum noxa, ſe abducturum promittit.* —— 1655.

His conditionibus vt arma ponerentur mutuò effectum, ipſis Calendis Februarij Anni demum ineuntis 1656: effusâ Caroli in miniſtros Electoris munificentiâ; iſto viciſſim Ellerum atq; Trottium delegante, qui per maritimas ditiones, militem in nomen Sueci ſcriberent, colligerentq;. Suboluerat dudum Caſimiro Regi, inter hos æmulos ſecretò aliqua tractari, ſibi aut Regno noxia; hinc ablegauerat Ioannem Tanſki FiſciProcuratorem, rebus introſpiciendis: etiam confirmando in amicitia Electori, nè veterem ſuam, ſtabilem ſemper expertus beneuolentiam, nouo neq; diuturno fortunæ ſurgentis aſpectui, poſtponeret. Ad quæ, pro voto mittentis, reſponſum. *Quid Regno Poloniæ ex fide, etiam ex obligatione animi, tot Regiæ beneuolentiæ deuinctus documentis debeat Ser. Regi, probè Electorem meminiſſe: qui, vt omnino non probet, impotentem Sueci Regis vehementiam, ita hærentibus in iugulo armis impar, & adiutore deſtitutus ad Neutralitatem inclinaret; quò ambarum partium bello immiſtus, ſecurius rebus ſuis, conſulere poſſit: niſi vltro & gratis lædatur, tum demum ex iuſtitia & vſu vim vi repulſurum.*

Sic inter pactionum aut armorum recurſum, defluxit annus, quo à prima origine ſui, neſcio an Poloniam calamitoſiorem ſignauerit: præter publica mala, multorum morte; inter præcipuos Chriſtophori Opalińſki Poznanienſis, ac Ianuſsij Ducis Radiuilli Vilnenſis Palati-

—norum, obitu terminatus. Ambobus ſtirps illuſtris, fa-
1655. ma ſpectabilis, diuerſæ qualitates. Opalinius doctrinâ, facundiâ, Senatoria grauitate præcellens, propè apicem artium politicarum tenuit. A Vladislao IV. in Galliam pro Ludouica Regina paranymphus, decus genti, ſibi gloriam, auxerat; niſi nimiùm imputaſſet: hinc reconditi odij cauſæ, meruiſſe, nec præmiari. Poſt publica negotia, literato otio ſe dabat, exercitâ olim peregrinis gymnaſijs adoleſcentiâ, Louanienſi præcipuè; vnde eruditorum in eum propenſio, lucubrationes illi ſuas nuncupando. Etiam ipſe ſcriptis vacauit, edito Satyrarum volumine, ſub titulo Przeſtrogi, quæ Patrio verſu latinam ſpirant venuſtatem, & acumen. Certè eminentis viri famæ noxium, ſub extrema vitæ militaribus ſe miſcuiſſe curis, dum Protectio Suetica acceptata, velut autori imputatur. Diuerſo modo Radiuillus, armis natus & bello vtilis (neq; enim ex quovis ligno fit Mercurius) ſi vaſtos ſpiritus, vt ad magna, æque ad competentia æqualitati flexiſſet. Periculorum auido & expedito Duci, obſequebatur miles, largitionibus deuinctus & comitate: nimias tandem ante mortem ſpes agitantem, Fortuna deſerere cæpit, vbi ipſe Patriam. Vnde comperiens, properata ad Suecum tranſitione, æquè ſe ſuis inuiſum, nec Carolo ſatisfeciſſe, apud quem minor Duci ſine exercitu autoritas, dum anxietatem mentis expendendo irritat, mærore animi ob ſucceſſus votis impares, Hypocondriâ defecit, in Tykocinenſi arce die XXX Decembris, anno præſenti mortuus. Filiam reliquit vnicam, deinceps Boguſlao Patrueli (nè ſcilicet Radiuilliæ domus ingens hæreditas, in aliam familiam tranſiret) elocatam. Poſt Radiuillum, Palatina Vilnenſis dignitas, ſimul armorum per Lithuaniam regimen, Paulo Sapiehæ Palatino Vitepſcenſi; Poznanienſis, poſt Opalinium, Ioanni Leſzczyñſki, præmium meritiſsimæ virtuti tribuebatur.

Proſperis inſoleſcunt homines, aduerſitas virtuti Lydius

dius lapis eſt; quis præcipitem Caroli Suecorum Regis—
caſum noſſet, niſi aſpirante fortuna in altum ſublatus, 1655.
tandem fatigata illa, aut mutata, grauiore lapſu prorueret? Quis Caſimiri noſtri animum introſpicere valuiſſet? niſi, dum inter incudem & malleum iniquiſsimæ ſortis poſitum, impauidum feriunt ruinæ? Sed non ſolùm aduerſùm extrema obduratum pectus tulit Noſter, vtiq; ex heroibus germen & Conſtantiâ genitus; verùm ea rerum caligine reperti multi, qui in ipſo præcipitio de Repub: non deſperarent: etiam alijs benè ſperandi, cauſa & motiuum. Præcipuam gloriam ſibi vendicat Ludouica Regina, fortiorum ſemper marito conſiliorum autor, & ex cuius in exilio hærentis ore, vox illa æternum memorabilis excepta. *Premi* (inquit) *non opprimi Poloniam permiſerit DEUS. Quorſùm enim in iſtam amplitudinem produxiſſet, ſi in momento perdendam deſtinauerit? Id quidem omnipotentiæ eius poſſibile, non tamen miſericordiæ aut iuſtitiæ congruens fuerit; cùm in Regno iſto, ortodoxa fides vigeat, raræ inter populum candidi animi fraudes, & ſubdolæ factiones exiſtant, procul infernales blaſphæmiæ, vltio & irreconciliabile inter infenſos vindictæ deſiderium, exulent penitus.* Anonymus in Libello impreſſo. Se demum firmiter credere aiebat, vbi in præſens irati Numinis dextera immorigeros filios caſtigaſſet, mox conſolaturam, ac vulnera in oſcula conuerſuram. Nec verba tantùm mulier ingens animi protulit, ſed mox conformem dictis animum, opere multoties probauit, quæ ſuo loco & ordine tradentur. Nec minus generoſæ & veteroPolonæ indolis experimentum dedit, Ioannes Leſzczyñſki recens Poznanienſis Palatinus, inconcuſsi Vir pectoris, ac diuini humaniq; iuris ſcientiſsimus. Iſte quoſcunq; è noſtratibus ſeu exteris nactus, in non deſperandum de Repub: erigebat, meliora promittens, aut exemplis oſtendens, (vt erat verbo potens) ſæpiùs inculcando. *Ima permutat breuis hora ſummis.* Prodit memoriæ Ioachimus Paſtorius, ex iſto ſæculi ſui Catone, ſæpius inau-

1655. inaudiſſe. *Obruere nunc hoſtis nos poteſt, retinere aut ſubiugare non poteſt.* Nec Poetæ meliora ominantes defuêre (ij tamen, apum more, quæ ſereno vagantur, nubiloſo die intra aluearia latent) fluidiori inter proſpera quàm aduerſa enthuſiaſmo inflati, tunc iniquæ ſortis reuolutionem, & meliorum ſpem emiſſo Tetraſticho erigebant.

Es caſu mirus, ſic CASIMIRE *fatendum,*
Surgendo aſt iterum, tu mihi mirus eris,
Perfer & obdura, veniet victoria tandem:
Eſt bona cauſa Tibi, quam DEVS ipſe iuuet.

A. M. D. G.

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECVNDI, REGNANTE IOANNE CASIMIRO, LIBER SECVNDVS.

Elenchus Contentorum.

An. CH. M.DC.LVI.

SVecorum fortuna ab irrita Montis Clari obſidione reuoluitur: ſimul Polonorum ſub titulo Protectionis oppreſſorum, recollectio inſurgit. IOANNES CASIMIRVS REX in auxilium Patriæ, incolas Regni excitat; ac eo nomine cum Senatu init deliberationem. Subinde Tyſſouecenſis auſpicatò enata Confæderatio; cuius tenor de verbo ad verbum ponitur. Bellum atrox vtrinq; recrudeſcit. Haſsiæ Landgrauius Kościánæ interimitur. Caſimirus in Poloniam redit; qui idem Leopoli D: Virgini ſolenni voto Regnum deuouet. Carolus

rolus Suecus milites Polonos sibi adhærentes suspectat; isti demum ab eo se recipiunt: ad Golab nostris dissipatis, Zamoscium, dein Præmisliam regressus, inde ad vsq; Sandomiriam propellitur. Czarnecius apud Warkam Sueticos profligat. Ad Gneznam cum Douglassio prælium. Gedanenses à Casimiro confirmantur. Carolus in Prussiam redux Electorem Elbingæ excipit, & hunc sibi strictiori nexu deuincit. Varsauia à Polonis obsidione cincta, à Wittembergo propugnata, tandem expugnanti Casimiro certis legibus deditur. Cæsaris Rom: Legati in complanandos Reges adsunt, etiam Christianissimi Regis, sed Suecus postponit; ac triduano apud Varsauiam prælio nostros superat. Casimirus Lublinum recedit; Ducibus Exercitûs dispersas cohortes recolligentibus. Compar per Cracouiensem tractum hostium fortuna, Wirtio Ensiferum Regni submouente. Quam graues Cracouiæ Sueci, etiam locis Deo dicatis fuerint, subiunctum. De Arenis, ac imagine D. Virginis inibi existente, aliqua. Sueci Regis illaudatum facinus, aggrestes, montanos, ac seruos, in cædes Dominorum incitantis. Apud Trzemeßno Sueci funduntur; Wrzeßouicius item ab aggrestibus trucidatus. Ad Imp: Fer: III. Legati nostri petitum auxilia missi Casimirus in Prussiam tendens, Lenciciam recipit. Ludouica Regina Gedanum itura sistitur. Anhaltinus Choynicios dedit. Gasieuius Sueticos apud Prostki clade afficit. Transyluaniæ Palatinus legatione prensatur. Moschus hostiliter Liuoniam inuadit. Conigsmarcum Gedanenses intercipiunt. Casimirus Rex Gedanum venit. Induciæ cum Moscho coalescunt. Lubomirius Cracouiam obsidet, quod demum obsidium, superuentu Ragocij solutum.

Anno Christi 1656. PRimus hostium fortunæ scopulus, ac existimationis reuolutio extitit, à Claustro Częstochouiensi irritò molimine reijci Suecos; qui se totius Poloniæ victores ferebant: quinimo Millero minus decorum, in opinionem militaris

Lectum peritiæ tantùm prouecto, vt Germanico Suecorum bello, in prima armorum imperia, post Dorstensonium vocaretur. Ast, cum cælo nemini bellè bellum succesit, nè Gigantibus quidem: Hîc olim Hussitas Bohemos, vltricem Dei manum. Anno Ch: 1430. expertos, Annales Monasterij memorant: dum, ab immisso diuinitùs percussore Angelo, visibili plaga ceduntur; sacra Icone

fundo suo abduci se haud passa, Idem planè contigit Suecis, bellantium fortunâ ab eius loci obsidionè, velut pilâ à pariete reiectâ, ac demum fracto impetu, donec in totum destitueret, elanguisse. Nihil mirum? nam, si pro populo Israëlis contra Pharaonem, euidenter pugnauit DEVS; quidni MATREM suam, & reclinatorium Diuinitatis, à contemptu Hæreseos vindicaret? Præsentem Dei opem animaduertere licebat, quando superba illa Suecorum felicitas, ad solidam Mariani Montis petram allisa; & Poloni, vbi Mons Clarus intentata vi impetitus, demum velut nouiter recepta mente, ad se redire cæperunt; inualescente cunctorum fremitu, frustra Religioni Catholicæ tot pactionibus consuli, si locus Deo dilectus, vim heterodoxæ gentis pateretur. Hinc, in excutiendum iugum vnamitas, vt contra auitorum sacrorum violatores, supra humanum entheati Spiritu, acerrimè consurgerent; tum demum recognoscentes, sub velamine erigendæ à Protectore Rege libertatis, intolleranda seruitute premi Poloniam: *Religionem mulceri verbis, violari factis; speciosa ad nobilitatem scribi aut dici, indigna pati, & acerba exequi: Minus esse occupari Vrbes, nisi & Cænobia erepta Religiosis inuadantur, æquè altarium decore quàm popularium fortunis, raptori in spolium cedentibus: qui subiectis & vltro dedititijs ignauiam exprobrans, viriliter resistentibus crimen rebellionis imputaret. Esto sanè? armatos Ciues, dum pro Patria agunt, pro refractarijs summo iure nec minori iniuria cædi potuisse? ast inermia Sacerdotum capita, & sacratos ad incruenti holocausti vsum vertices, cur tam truculenter persequitur hostium rabies? Sic Ioannes Branecki Ennensis Episcopus, ac Suffraganeus Posnaniensis, vir in candelabro Ecclesiæ positus, Domi propriæ interimitur per nefas. Albertus Gowarczewski eiusdem Ecclesiæ Primicerius, (Archidiaconum vocant) in itinere apud Zbaßynum recisis manibus de ponte detrusus, fecit vt Sacerdotali cruore stagnum rubesceret, an erubesceret? aquis Suetica feritate humanio-*

1656.

Olßeuius Vindicijs

1656. ribus. *Nec memorare facilè minoris nominis Clerum, barbarè ab iſtis tractatum; vel ſolis Conuentualibus Franciſcanis propè viginti ex ordine ſuo cæſos Præsbyteros numerantibus. Dein vbi ſæuire in corpora ſatietas tenet, tranſit violentum ad conſcientias imperium, rigorq; ille tyrannicus, etiam animos flagellat gentis liberrimæ: vbi prædicatione verbi diuini ad populum Catholicis inhibita, concionatoribus ora occluduntur, ac amotis confeſſariis, expiare auriculari confeſſione noxas capitale eſſet; prætextu tumultibus occurrendi; reuera concutiendæ Religioni formidoloſa machina; autoribus Wirtio Cracouiæ, Erskieno in Viazd propè Sandomiriam conflata. Interea proſtare expoſitos diſcrimini Lares, nullam pignorum ſecuritatem, paſſim homicidia & cædes; non ſenibus quietem, non fragili ſexui in tuto pudorem manere, rapinis & direptionibus cuncta miſcentium; vt ferè auaritiæ crudelitatis origo eſt. Vacare Tribunalia, exeſſe Iudicem, aut qui populo ſine capite exiſtenti ius dicat; & compendium legis ac iuris haberi, quidquid Victoris enſis dictauerit.* Talia nondum oblitum libertatis populum altùm perſtrinxêre, vt acerbam ſub titulo Protectionis pacem, & doloſas abſoluti Dominij artes ſenſim recognoſceret; ac legitimi Principis iterata reſumptione, ad primæuum ſtatum, vnde nuper malignitate ſortis exciderat, ſtrenuè aſpiraret. Sanè omnibus, etiam qui publicæ rei incurioſi, palam conſtabat, antiquum Regni ſtatum paſsim interuerſum, idq; in fundamentalibus; Religione ſcilicet, & Libertate. Quippe Suecus nihil immunitatem Eccleſiaſticam moratus, (quam tamen ſacroſanctè ſeruandam ſpondebat) Patrimonia Eccleſiarum, profanis hominibus in Feuda conferebat, obtendens Beneficiatorum abſentiã, ob quam oues ſine Paſtoribus eſſent, & Regnum ſine Senatu. In politicis ſimilis procedendi ratio. Abſolutè contra morem priſcum imperatæ Contributiones, non vicatim tantùm quibus pendere mos Colonis graues, ſed ex prædijs Nobilium exacti cenſus, imo vt propioris alicuius

cuius arcis Gubernator iuſſerat, indicto pretio ſe familiamq; à direptione militari redimere neceſſum fuit. 1656. Etſi alicubi ad querimonias popularium, per tolerabiliora Edicta penſiones moderarentur, non ideo tamen de toto indulgebatur, armatis exactoribus, præſto comparentibus. In ea vertigine rerum, dum cuncti priuatis malis ſtupent, & in ſtatu acephalo deeſt qui media ſuccurrendi publico ſuggereret, vacauit tantiſper Sueco, in vniuerſali confuſione, acſi in turbido piſcari: quoad pollicita poſtponens, conuentiones infringens, imò omnia humani diuiniq; iuris, ſuſq; deq; vertens; & pro plauſibili Protectione apertè infinitam poteſtatem, velut in victos vſurpans; eo tandem Polonos gentem proſperis æq; aduerſis ſimplicem adegerit, vt iniquiſsimum iugum, quod inconſultè ſuaſi ſuſceperant, ad ſe redeuntes, ſtrenuè à ceruicibus amolirentur. Interea tamen Prouinciæ Nuntios ad Regem miſsitabant, diuiſim & priuatim; qui deprecandis oneribus, aut iniurias Prouincialium deferendo venientes, prompto aditu ac benigno vultu plerumq; excepti; quandoq; nimiæ libertatis, (vt Sandomirienſibus accidit) redarguti, dimittebantur. Ac iſti quidem vel præſentium reſpectu, vel fulgore illo prodigioſæ felicitatis perculſi, dum non pro veteri more commiſſa efferunt, & Regi, qui placatos abire exiſtimabat imponebant; rurſus popularium, dum noua dominatio faſtuosè poſtulata accipit, ex contemptu acriora odia concitabantur. Maximè tamen indignitas permouebat, quaſuis ſtipulationes verbo Regio firmatas, minus ſincerè, nec in ſolidum ratas haberi; quod ſi aliqui non impleta promiſſa incuſarent, vſitata reſpondendi formula eludebantur. *Regem verbi ſui non eſſe mancipium.*

Non aliud Ioanni Caſimiro in rem opportunius accidere poterat, quàm æmulum ſubdolis artibus exoſum apud Polonos extitiſſe. Ergo omni poſsibili medio lacertos mouens, Glogouiam ad ſe potiores è Proceribus Regni euocat,

cat, quibuſcum inſtituto conſilio, literas Vniuerſales ad
1656. Prouincias emittit, Duces militiæ Tribunoſq; veteres in ex-
cutiendum iugum ſtimulat; haud poſtremo Caſtellano
Kijouienſi Czarnecio, qui, vbi patefacta opprimendi ſui à
Suecis molimina expendit, eo ardentius in partes legitimi
Regis conuolauit. Iam verò Ferdinandus III. Imp: ac vt
quiſq; Vicinorum Principum amicior, ferendam ad opem
ſolicitati. Et afflictos quidem iuuare præceptum chari-
tatis eſt, indignè depreſſos Principes ex lege Politica erige-
re, neceſsitatis eſſe videtur. Quis enim adeo ſecurè hoc
regnandi iter decurrit, vt non quandoq; in lubrico ceſpitet,
aut eliſo pede prouoluatur. Verùm obiter tunc alios Com-
monarchas aduertit ærumnoſi Regis caſus, nec pauci ad præ-
conceptum excidium Poloniæ intenti ſtetêre, præter Cæ-
ſarem, qui proximi ſanguinis connexione deuinctus, etiam
nimios Caroli Regis ſucceſſus nō iniquè reputabat; niſi nu-
per initis Monaſterienſibus cum Suecia pactis prohibere-
tur. Danus etiam verba conſolationis per Legatum ob-
tulit, tacitè innuens, haud ſe alienum à medijs ſuccurrendi,
quibus increſcentis alieno vicini ſpes accideret, ſi occaſio
daretur: ſimilem Batavi affectum teſtabantur, vtriq; pro
libera nauigatione per Balthicum ſoliciti nimiùm; nè Sue-
cus in Polonia rerum potitus, ac contiguum maris littus
armatis claſsibus obtinens, commerciorum rationes inter-
turbaret. Ita fermè comparatum eſt, vt in alieno caſu ſu-
bleuando, amicitiæ aliquid, plus reſpectui, omnia priuato
commodo, tribuamus. Ea ſubitò hoſtilitate circumfuſi,
dum ſerus veſper tarda amicorum auxilia moratur, ſei-
pſos poſt Deum reſpicere cogebamur: illudq; omnino
tempus fuit, quo elata Sueci Regis proſperitas in auge ſte-
tit; & Polonorum res deſperatæ, in melius ſenſim conuer-
ti cæpêre. Quippe Caſimirus indignum Maieſtate Re-
gia exilium ratus, ne vltra ſuorum deſertor, vel imbellis, è
Regno eiectionis opprobria inter exteros audiret, viriliter
reditum agitauit; æquanimis inter aduerſa Princeps, ac
vt præ-

vt præſentium tolerans, ita aduerſùm imminentia obfir-
matus. Continua in ore eius vox manebat *Non nobis Do-* 1656.
mine non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam. Obſeruatus plu-
ries cum pediſſequo ſolus, ad fores templi Głogouienſis in-
tegris noctibus in terram proſtratus peroraſſe; gnarus di-
uina auxilia illuc incipi, vbi humana deficerent. Igitur,
primò datis in Poloniam literis, excitabat ingenuos, ar-
guebat degeneres, ignoſcebat reſipiſcentibus, omnes in
communis Patriæ opitulum ſtimulando. Cooperabatur
ad idem heroici animi Regina Ludouica, & nè omnia in
Maieſtatem fortunæ licerent, ſupra ſexum infracta Virago,
egit animosè. Nec verbis tantùm aut votis, qui fæmina-
rum mos, ſed tranſibat in opus mentis vigor, & conſilia in
efficaciam. Quidquid in promptu æris, cimmelia, vnio-
nes, factum infectumuè aurum aut argentum, & quæ alia
ad ſplendorem Regalis magnificentiæ pertinent, liberaliter
in largitiones deſtinata impêſaq;, præcipuè in externarum
Aularum Miniſtros, ob prenſandum auxilium; quos cor-
rupto ſæculi more, prius emas neceſſe, vt Principes illorum
quod petis tribuant. Nec poſtponebat Rex frui & præ-
ſto conſilia Vxoris, prompta & efficacia expertus, etiam
qualiacunq; ferre ſuetus. Potiores è Senatu aderant, An-
dreas Leſzczyńſki Archiepiſcopus Gneznenſis; Petrus
Gembicki Cracouienſis ſed is æger; Florianus Dux Czár-
toryſki Poznánienſis; Venceſlaus Leſzczyńſki Varmien-
ſis; Epiſcopi: Ioannes Leſzczyńſki Poznanienſis Palati-
nus; Stephanus Koryćińſki Regni Cancellarius; Andre-
as Trzebicki Procancellarius; alijq; permulti, quibus fi-
des & exilium legitimi Regis, gratiâ externi, aut laribus
Patrijs, erant potiora. Hi, pro officij quod gererent ratio-
ne, nouiſsimè periclitanti Patriæ media ſuccurrendi agitan-
tes, omnes ſatagebant quàm maximè, nemo quidquam
certi reperiebat, & cum multi ſpecioſa dictu in conſilio ad-
ferrent, ea mox re inania alij oſtendebant. Quadrifariam
tamen quod compertum habeo, itum ſententijs. Vt Rex
limi-

1656. limina Patriæ animosè repeteret, seq; præsens in recuperandam Patriam Ciuibus autor monstraret; id consilij Regina vrsit. Deprecabatur festinatum regressum Primas, inermem Maiestatem hosti omne nefas ausuro committi timens; inclinabant pleriq; vt media pacis offerente per Forguelum Sueco, si modo tolerabilia illa acceptarentur; insuper confuso animorum ac rationum æstu reperti suadentes, vt destinaret sibi Rex successorem, dum modo fidei Romanæ sequacem, & recuperandis ablatis parem, qui industriâ & potentiâ proprijs depulso inuasore, afflictum Casimiro Regnum, sibi mox certam successionem vindicaret. Enimuerò acre necessitatis ingenium est, & persæpè extremis per extrema mederi, desperabundi solent. Ast periculosum sanè remedium pupillam Libertatis tangere; quæ tot legibus, Regum iuramentis, vsu interrupto firmata, pro Basi Status nostri habetur, per Electionem regnari: imò, si euulgaretur arcanum, conturbandam eo commento gentem validius, moris patrij tenacissimam, quæ paucorum arbitrio in seruitutem se rapi dolens, satiùs iugum armati victoris, quàm extorris Senatus præiudiciosum libertati grauamen passura videretur. Etiam minùs congruens rebus Casimiri futurum, si substituto alio, vis & potestas imperij penes successorem, ipse titulotenùs Rex esset; neq; multum interesse saluari Regnum, si libera Electio, ab origine omnium Iuris & suffragij, nunc perperam paucorum arbitrio, indebitè conuelleretur. Equidem, non absimilis hic erigendæ Patriæ modus censeri potuit, medicamini, quale medici antimonium vocant, cuius acrior vis, vel fortius ad sanitatem agit, vel irritante morbum remedio, acriùs in mortem operatur.

De Forguelo attigi supra, nunc edissero. Venerat is Głogouiam cum Henrico Denhoff nostrate Tribuno, (quem Sueci captum ad Straszowa-Wola, data reditus fide in tempus dimiserant) magnifica à Carolo Rege verba ferens, & nisi fides orationi deesset, plausibilia. Summa erat.

erat. *Patrem si Casimirus Rex agere vellet, Sueciæ Regem vices filij obiturum, quem prærogatiuâ ætatis, ac Sanguinis vinculo Seniorem, demisse veneraretur. Intulisse Carolum in Poloniam, non magis arma quàm Protectionem, tutamen genti contra exteros, præsidium Casimiro contra suos; vt tandem constaret debitum, non precarium veterano Regi in subditos regimen. In quoscunq; hostes, penes Casimirum imperium armorum esset, labor & cura penes Carolum, hic illum superiorem agnosceret, ille hunc designaret Successorem, Religione, Maiestate, Dominio, per omnia saluis.* Nimia hæc per Forguelum proposita peperêre suspicionem, ne blanditiæ traherent eò, quò fortunæ iniquitas impellere non posset. Aderat & Wolphius Dynemburgi Præfectus anxiè vrgens, quominus Casimirum Slipenbachus Comes, sub fide publica conuenire posset, à Rege Sueciæ deducendo in effectum reconciliandorum Regum negotio submissus. Multis id sua nouitate gratum, hostilitatem cupita vicissitudine in amicitiam subitò vertere; dolore, tædio, metu, pro diuerso cuiusq; affectu, reditum in Poloniam permutaturis; &, si pax coit, finem exilio imponentibus. Sed euenit, vt maturius discussa propositione, responsum Forguelo fieret: *Casimirum demum per suos internuntios, clarius mentem Sueco Regi patefacturum:* vel maximè Reginâ suspectam vafri consilij machinam, per eiusmodi dilemma eludente; *Aut hosti blandienti fidendum; aut Polonorum expectanda resipiscentia. Tardius fortè isti ad se redibunt, sed remedio malis nostris securiore: citius exitium instat, si lubricæ hostium fidei te ô Rex committis. Præstat ergo differre succursum, nè præcipitemus discrimen. Nè verò per nos steterit, arrogantis Regis augere typhum, cuius superbiæ euidens argumentum est, nobis benefacere velle, postquam omnia eripuerit; id tribuendo, quod nullatenus eius sit. Egisse similiter Luciferum, Regna mundi Christo Domino pollicentem, nihil ad ipsum pertinentia. Interire præstat quàm sic viuere, ingratissima ea lucis vsura, quam inimici hominis beneficio trahimus.* 1656.

N

1656. *mus.* Fateri par eſt, Reginam perſpicacitate, ac praxi rationum validam, multum ad reijciendam Slipenbachi negotiationem cõtuliſſe; imò vt Rex ſeriò de regreſſu in Regnum cogitaret, peruiciſſe. Et diuinitùs omnia huc faciebant, vt tandem diſcuſſo torpore, artes hoſtium pateſcerent, perſtringeretq́; in dies acrius immerita oppreſsio Polonos, vt quem hactenus Protectorem Carolum vocabant, tandem competenti titulo hoſtem appellarent. Primi, quod ſciam, Lublinenſis Palatinatus incolæ, ad imperatas contributiones reclamare auſi; placuit mox pluribus conſilium, vt dein in repellendam vim conſpirarent, omnes inſtitutâ Tyſzouecijs, memorabili illa ad ſeram poſteritatem, Confœderatione. Primi Duces militiæ præiuêre, ſecuti exemplum è Senatu pleriq́; dein Nobilitas, in conceptas ſcripto leges ſe ſe obſtringentes. Cuius inſtrumenti formulam ſummatim attexo, ex vernaculo idiomate, tenoris eiuſmodi.

Haud credat Orbis, nec quiſquam adhibeat fidem, inclijtam Polonorum gentem, blandis intruſoris Domini promiſſis faſcinatam, ab Electo liberis ſuffragijs Rege deſciuiſſe vnquam: etſi fatendum ſit, tàm Sereniſſimum Regem Caſimirum, quàm Equeſtrem Ordinem, iniquitate aduerſantis fortunæ oppreſſos, in eas recidiſſe rerum anguſtias, vt in exitium Poloniæ ingruentibus vndiq́; hoſtium Exercitibus; & Regia Maieſtas finibus Regni excedere; & Nobilitas in Protectionem Regis Suetici concedere, neceſſum habuerit; cui, ſecundùm conuentionem initam, conueniebat fidem ſeruari; niſi prior ipſe datam fregiſſet. Iam verò reuocando in memoriam, vt nullâ penitus belli causâ, ne prætextu quidem, imò contra Inducias cum Vladiſlao IV. Stumdorfij ictas, iniuſtè Remp: armis oppreſſerit; & quamuis à maiore parte Regnicolarum Protector appellatus, Fidei Catholico-Romanæ conſeruationem ſpopondiſſet, mox eidem grauis & iniurius, omnia ſacra rituſq́; auitos interuertere cæpit; ditiones Regni ab Exercitu ſuo deſolari, curias Nobilium in prædas dare, ſtatum E-

queſtrem

queſtrem exactionibus grauare, Magiſtratus & Iudicia tàm Eccleſiaſtica quàm ſecularia tollere, leges antiquas & conſuetudines peſſundari, ac Iuriſdicendi normam ad extraneos legum expertes transferri; Sacerdotes ac Nobiles, nec delatos, nec conuictos, imò nec auditos carceribus mancipare, trucidare, globis diſcerpere permiſerit; cultui Diuino dedicata Templa omni ſplendore & apparatu ſpoliari, Religioſos de auro & argento Eccleſiarum excruciari, campanas pulſare niſi grandi ære redimerentur prohiberi; Baſilicam Czeſtochouienſem, non in tota modò Sarmatia, ſed per vniuerſum Chriſtianum Orbem votis & miraculis celeberrimam, grandi Exercitu cinctam & oppugnatam, ſacrilego in direptionem auſu deſtinari, (nempè, vt diruto hoc in Deum & eius Sanctiſſimam MATREM *pietatis Polonæ fundamento, mox ad extirpandam fidem Catholicam accingeretur, in eiuſq́; locum peregrinam aliam induceret) Bona Reip: emeritis Ciuibus collata, contra ſponſionem fide Regia firmatam eripi; Patrimonia Eccleſiæ ſecularibus perſonis conferre, etiam ijs qui diuerſæ ſunt in ſacris opinionis, præſumpſerit; eo fine, vt interceptis Eccleſiarum reditibus, laudem Dei & cultum veterem, penitus in Regno hoc extirparet. Iam verò cum Principibus Regno amicis, pacta vetùs inita negligit; iuratos Poloniæ hoſtes, ad armorum ſocietatem pertrahit; vt Remp: tot anguſtijs preſſam, demum in extremum belli Turcici diſcrimen adducat. In ſumma quidquid Reip: ac Exercitui pollicitus eſt, ac literarijs ſtipulationibus, ſubſcriptione manus, aut verbo Regio firmatis cauit, omne id in continenti peſſumdedit, mutauit, reuulſit. Immunitates Eccleſiæ, ac priſtinum ſtatum Reip:, libertatemq́; Ordinum, imò cuiuſuis ſortis homines Regni noſtri incolas, grauiſſimè oppreſſit. Antequam igitur actu durus, fide leuis, verbo inconſtans Dominus, vlterius regimen ſuum producat, ac firmius conſtabiliat, Arces ac Fortalitia occupet, Gentem ac Exercitum ſub iugum impellat, ambitioſæ huic dominandi libidini obſiſtendum eſſe totis viribus duximus; præſertim dum Ser:* IOANNES CASIMIRVS *liberis* 1656.

 vocibus

1656. *vocibus Electus Rex noster, in vindictas Catholico Romanæ fidei ac Ecclesiæ, etiam Libertatum, ac status sui curâ insurgit; sitq; paratus pro incolumitate Patriæ, cuius discrimini Regium caput obijcere, ac non temnenda submittere auxilia polliceatur. His itaq; permoti rationibus, connatum erga Reges amorem, & fidem gentis Polonæ resumendo, ne vlterior Templorum totiusq; Patriæ funestior desolatio consequatur, prospicientes; omni Protectioni memorati Caroli Sueciæ Regis renuntiamus, Protectionem abdicamus, acta eius vniuersa rescindimus, & quocunq; nomine emanata Priuilegia, aut diplomata, irrita & nullius roboris pronuntiamus, ipsumq; cum omnibus adhærentibus, quantumuis sint Regni Ciues, si resipiscere nolint, hostes communis Patriæ declaramus, contraq; illum aut illos, pro fide Catholica & Ecclesia Dei, pro tam atrocibus iniurijs, damnisq; Reip: illatis, pro Libertatibus conuulsis, tàm coniunctim omnes, quàm seorsim singuli, fide, honore, & conscientijs in eum hostem agere; nos obstringimus. Interea Exercitus Reipub: exolutionem stipendiorum non requiret, requisitione eiusmodi ad plenariam Reip: tranquillitatem tantisper dilatâ: ac bello durante vniuersi, constanter vsq; dum Patriam in solidum pacificari permittat Altissimus, mansuros nos in vnione submittimus & obligamus, omnesq; in hoc proposito conspiramus & coniuramus. Nemo nostrum quemquam in grauissimo casu deseret, multo mâgis in alias partes transibit; factiones, dissidia, segregationes, aut secreta cum hoste colloquia miscebit; nemo à signis discedet, aut perniciosa nexui nostro molietur, sed omnes vnitis animis, constanti voluntate & opera, succurrere laboranti Patriæ sacrosanctè pollicemur. Et quoniam eo Reip: statu, adhuc dum nonnulli ex incolis Regni Suecorum Regi adhærent, aut consilijs sese immiscenti omnibus ijs conciuibus, & eiusdem nobiscum Matris filijs, amorem fraternum adpromittimus, si modò Confœderationis huius certiores facti, antequam ad bellum perueniatur, Colligationi seu Nexui huic se adiungant, & nobiscum simul hoc addictum Diuino cultui Regnum, tum Patrias libertates tueantur: qui*

qui verò contumaces renuerint, bona eorum Ducum ac Commissariorum Reipub: iudicio subsunto. Insuper, omnibus iure victis, honore diminutis, ac cuiuscunq; status etiam plebeiæ conditionis hominibus, imò & extraneis, non tantùm virtutis demonstrandæ occasionem inculcamus, ast & modum ad prærogatiuam, & ius Nobilitatis aspirandi offerimus, qui in præsenti Reip: obsequio pro virili rem præclarè gesserint, in nexu nostro permanentes &c. &c. 1656.

Subscripsêre dignum sæculorum memoriâ Instrumentum, Stanislaus Potocki Terrarum Kiiouiæ Palatinus, Generalis Exercituum Dux; Stanislaus Landzkorońſki Terrarum Rusſiæ Palatinus, Campestris Exercituum Dux; In adiuncto Commissarij Reip: tunc præsentes, Christophorus Tyszkiewicz Palatinus Czerniechouienſis; Andreas Potocki Metator Castrorum Regni, Stanislaus Służewski Horodelscenſis Præfectus, Stanislaus Domaszewski Iudex Terræ Łucouienſis; &c. His mox accedebant è Palatinatibus Delegati, qui præuio Iuramento in numerum Commissariorum recepti, addebant valorem Edictis, subscriptione, manus quæ ad Palatinatus eorum mitterentur. Auspicatum hunc Poloniæ Actum, conclusêre Ordines Tyszouecijs congregati, sub finem Anni 1655. die XXIX Decembris, in quatriduo ferè post solutam Clari Montis obsidionem. Eius instrumenti (vt vocant) essentialia, quoad causas abdicandæ Protectionis Sueticæ, inserui obiter, cũ prolixius scriptum contineat instituendæ militaris disciplinæ modos, Iuramenti formulas, pænarum in refragos descriptionem, tum alia instituti nostri rationem excedentia.

Taliter inita & conclusa Tyszouecijs Ordinum Confœderatione, mox damnosæ Protectionis odia in apertam hostilitatem prorupêre; adeo repentè mutatis animis, voluntatibusq; vt quæ mala hactenus silenter passi Poloni, iam nunc minaces arma & vltionem iactarent. Itaq; vbi primò malum cæpit, ibidem in antecessum excuti iugum debuit,

1656. debuit, nempe in Maiori Polonia; Præfectis Suecorũ per oppida arcesq; violenter aut nimis imperiosè cum Nobilitate agentibus. Poznaniam Prouinciæ caput obtinebat Claudius Rholambus, Kościanã Hassiæ Landgrauius, Calissium Sadowski, Petricouiam Pyronus, Wielunium cum adsitis Fortalitijs Weyhardus Comes à Wrzesczewicz &c. Tribuni seu Generales: hinc quot Arces tot Domini erant, & quantò plures, eò insatiabiliores. Imperatus in alimoniam militi victus, vestitus, stipendium, Præfectis pensiones, Officialibus salaria, transeuntibus stationes, manentibus collectæ; etiam permuniendis arcibus operas redimere, aut exhibere necessum fuit. In ea onera, prout loci Præfecto libuit, contribuebat circumiectæ oræ Nobilitas, & quas exactiones ante, vno refragante statuere in Comitijs nefas, iam nunc nolentibus cunctis, sub Protectione extorquebantur. Asperauêre talia veteris status memores, primusq; Petrus Opaliński Podlachiæ Palatinus, prisci moris & militiâ clarus, non se amicum Suecis palam professus est, concita ad arma Nobilitate Maioris Poloniæ, hortamentis & exemplo. Post hunc Christophorus Zegocki Babimostensis Præfectus, maiore ausu quàm viribus, rem memorabilem aggreditur. Kościana oppidum septeno milliari Poznaniâ distat, Quadringentorum Suecorum præsidio insessa, vbi Fridericus Hassiæ Landgrauius domicilium fixerat; Caroli Regis per sororum connubia socer, etiam in attendendum Maioris Poloniæ Prouincijs, propè officium Viceregis substitutus: hunc cognito securè agere, ac sæpius inter venatorum greges circumiectâ plagâ vagari, incuriosum doli eo stratagemate aggreditur Zegocius. Compererat imperatas oppidanis arborum conuectiones, quæ demum in trabes concisæ, sudetum valli (Palisadas) constituerent; proin aliquot agrestium induxit, vt dum grandiorem pinum intra Vrbem deuehunt, de industria rotam currus luxando, occlusionem portæ morarentur. Factum dehinc, vt impeditis proiectu arboris valuis,

uis, & qui succolarent moram trahentibus, Poloni celerrimè aduolantes, subductitio ponte occupato, ac stationarijs ferro disiectis, sine sanguine ac tumultu oppido potirentur; iuuantibus oppidanis, qui, præsidiarios intra hospitia compulsos ac dedititios in potestate ac custodia retinuerant. 1656. Fortè in eam diem venatum abierat Landgrauius, serò sub vesperam redire solitus, vnde occupato Zegocius oppido, omnes solertiæ vires intendit, quominus Hessum, ignarum facti, in easdem casses pertraheret. Redibat iste sole cadente, tunc quidem successu venationis lætus, per præcursorem tubicinem imperans, pandi portam venienti. Consistebat in statione miles, sed iste Polonus, vestitu tantùm Suecos referens, qui, in propius suggressum, infesta arma confestim vertit, dein rei ignarum, & opem suorum inclamantem, à tergo Equites Poloni inuadunt, tantisper inter vicinas ædes occultati: corripit & ille ensem, subitamq; vim reprimere tentat, incertus, fuisne qui nõ succurrerent, an sibi aduersùs insidias nimis securo, indignaretur; cùm pluribus impar, primò impulsu plumbatæ equo deiectus, mox per femora lethali glande ictus occumbit. Is finis indole & natalibus claro Principi, sed, cui spolia Poloniæ nimis funesta contigêre. Ingens Sueco Regi ex cæso socero dolor, nec minor in Zegocium indignatio; cuius cæpisse oppidum audaciæ erat, prostrasse Landgrauium solertiæ opus. Oppidani dein subducto facti autore, cæde immani & fortunarum direptione, mulctam interempti Landgrauij subiêre.

Inter curas regressus ex Silesia, animum confirmauit Ioannes Służewski Horodlensis Præfectus, à Conuentu Tyszouecensi ad Regem Casimirum missus; qui iniquitate temporum incusata, vt rediret Rex, fidem & obsequium in Ciuibus redintegrata reperturus, precabatur. Eo lætus nuntio, demum maturauit iter, contrario omnium Senatorum, præter Reginam sensu. Venerat siquidem Franciscus Comes à Potyngen, Aulæ Cæsareæ Mareschalcus,

1656. cus, ad vtrosq; Reges in conciliandam pacem à Ferdinando Imp: destinatus, qui, dum vltro citroq; commeat, Casimirum Cæsar præstolari Opoliæ effectum Legationis volebat. Etsi verò nonnullorum metus discrimina extenderet; tum curas regressus, abiectas vel resumptas, haud leuis momenti considerationes morarentur; comitatusq; ituro Regi exilis esset; &, si Togatos excipias, nè in venationem quidem sufficiens; nihilominus occultior aliqua vis præualuit, ac, quod credibile, trahentis Dei manus, etiam mulier in fortiora impellens, magnorum sæpè moliminum autor & instrumentum. Nec vltra rationes eorum, qui in exilio sibi tutiores visi, Rex moratus; celantèr habito discessus tempore, solâ consciâ Reginâ, Opoliâ abijt IX Ianuarij in Sabbathum incidente; sibi vt crebrò expertus felice die, & magnis negotijs aggrediendis auspicato. Trecenti latus stipabant, plurium mox aggregandorum fiduciâ, vbi Patriam peti constaret; sed, quo itinere aut tractu adeunda, eâ nemini propalatum. Vix pedem extulit, cùm Ratiboriæ obuios habet ab Exercitu Nuntios reditum gratulantes, ac spondentes obsequium. In montana inde a Zywecio deflexit, per obsitas niuibus Alpes, ignoto & aspero itinere, limitem Hungaricum præterlegens; donec Duklæ Meciniorum oppido Mareschallus Regni Lubomirski occurreret, de itinere aduentantis Regis certior factus. Prima illic salutatio plus lachrymarum quàm verborum hausit, quas tamen generosa animorum vis, mox consumpsit, tempore & Heroibus indignas. Demum, salebrosum tractum eluctatus, Lancutum diuertit, à Mareschallo, splendidè acceptus: inde Leopoli stetit, æquè suis gratus, quàm hosti insperatus. Nihil hîc omissum, quidquid pro bello gerendo faceret; Prouinciæ per Edicta monitæ Regem adesse, etiam fautoribus aduersæ Partis significatum, patere gratiæ locum, si in quibus nuper malignitate Fati erratum esset, iam nunc fide & opportunâ resipiscentiâ diluerentur. Ad Aquilam alas expandentem conuola-

rent pulli, sequerenturq; Patrem filij, iustam vim in Tyrannum versuri, quibus ille infatuatis, arma, & ingenitos erga legitimum Regem affectus, subdolis artibus eripuisset: nisi degeneris animi improperium pati mauelint. 1656. Casimirum inter illos genitum, ab ipsis liberè Electum Regem, cum ipsis tot cruentis prælijs stetisse, neq; sine ipsis moriturum; excuterent fascinum, secum vnâ, & pro seipsis, iusto in fædifragum hostem odio, insuper amore libertatis, ferrum expedientes. Eiusmodi hortamenta multis reddidêre mentem, vt post publicam Confœderationem, iunctis priuatim dextris sese obstringerent, non diutius sub violenta Suecorũ dominatione miseri esse. Ergo Nobilitas remotioribus oris subitò armata insurgit, Cohortes quæ Sueci auspicia non secutæ accurrunt, delectus Tyronum instituuntur, & quæ alia surgenti bello præparamentum. Addidit subinde momentum rebus famâ, vt qui adhæserat hactenꝰ Carolo miles noster, paulatim ad se redire, defectiõis probrũ agnoscere, pauci primò, mox plures; ante alios Regia Phalanx, cui tum Vladislaus Wilczkowski, sub absentiam Czarnecij præerat, ex Rozanensibus hybernis, ad legitimum imperium redeundi, alijs exemplo præiuit. Ac, quò euidentiùs abdicasse partes monstrarent, apud Zakrzow tractus Radomiensis pagum, exploratorium Suecorum cum Aschembergo Tribuno agmen nacti, intra septa prædij compulsum oppugnauêre; non sine aliqua vtrorumq; cæde, donec maioris potentiæ superuentu, se se subducere discrimini cogerentur. Neq; per submontanum quà Carpatiæ Alpes tractum, concitis in arma agrestibus feriatum; Michaële Woyniłowicz Tribuno nostrate cum ala Equestri huc allapso. Eiecti nouo Sadecio Sueci, operâ vel maximè Feliciani Kochowski Patrui mei, qui tum peditatum Nauoiouiensem ductabat; aliud agmen apud Zywiec oppressum; ad Czestochouiam Wrzeszowic Comes, quò Nobilitati Wielunensi conuentum quasiuerò indixerat, à Kulessæ Equitibus, sed maximè Pe-

1656. mè Petri Czarnecij operâ, turpiter fugatus eſt. Arnoldum Strumbilium Landzkoronæ Præfectum, ingenioſo ſtratagemate ad experiundam donati equi pernicitatem, arce euocatum, Ioannes Zarzecki Vicecapitaneus Zebrzydouianus abduxerat; Lyndormium è Pilecenſi arce Staniſlaus Warſzycki Caſtellanus Cracouienſis, continuo infeſtus exegit; idem Dancouianum fortalitium ſtrenuè tutatus eſt, ſolus ferè ex maioris nominis Proceribus, qui eo rerum turbine intra Patriam hærens, ſolum non mutauerat.

Ac, nè non diuinæ potius opi, quàm humanis auxilijs reſtitutionem Regni ſui deberet Caſimirus, etiam cum cælitibus in fœdera iuit; Deo Matriq; Virgini, Regnum Poloniæ, velut de nouo acquireret, ſolenni voto nuncupando. Vetùs ea piorum conſuetudo, conceptis ritè votis Numini inſinuare deſideria, in voluntatem & beneplacitum eius quæ humanitùs euenirent reſignando: Venerationem enim à nobis exigit, qui dat omnia Devs, & huic fini creatus homo, vt ſuperam illam recognoſceret vim, interno & externo cultu. Volupe eſt in exemplum proferre Poloniam, iam tunc ab Orbe deſperatam, à prouidentia Numinis conſeruatam, modo ad poſteros mirabili. Is actus taliter ſe habuit. Deductus in templum Cathedrale Leopoli Rex, ſub Vraniſco ad maius altare conſedit, operante Sacris Petro Vidono Laudenſi Epiſcopo, tunc Sedis Apoſtolicæ Nuntio; cùm circa incruentæ conſecrationem Hoſtiæ, ad imum aræ ſcabellum humillimè prouolutus, ac poſt expiatam noxis conſcientiam, myſtico Pane refectus; Virgini Deiparæ Poloniæ Regnum deuouet, ſeq; in eius clientelam obſtringit; eâ voti formulâ.

Magna Dei Hominis Mater, & Virgo. *Ego Ioannes Caſimirus, Tui Filij, Regis Regum, ac Domini mei, tuaq; miſeratione Rex; Sanctiſſimis pedibus Tuis aduolutus, Te in Patronam meam, meorumq; Dominiorum Reginam hodie deligo: atq; me meumq; Regnum Poloniarum, Ducatus Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Mazouiæ Samogitiæ, Liuoniæ, Czerniechouiæ; Exercitus vtriusq; gentis, & Populos vniuerſos, tuæ ſingulari tutellæ atq; Patrocinio recommendo: Tuam opem ac miſericordiam, hoc in calamitoſo ancipitiq; Regni mei ſtatu, contra hoſtes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſupplex imploro. Et quia maximis beneficijs tuis obligatus impellor, cum gente mea ad nouum, idq; feruidum tibi ſeruiendi deſiderium, promitto deinceps, Meo, Satraparum, Populorumq; meorum nomine, Tuo Filio, Domino meo* Iesv *Chriſto, Tibiq; cultum & honorem, per ditiones Regni mei propagaturum. Voueo inſuper, vbi Filij Tui miſeratione, victoriam de hoſtibus, & præcipuè Suecis obtinuero, procuraturum, vt dies hic in perpetuum ſolennis & feſtus habeatur. Cum verò magno animi mei dolore luculenter aduertam, propter gemitum & oppreſſionem conditionis plebeiæ hominum, (conſidera Princeps, adverte miles) in Regnum meum immiſſa à Supremo Iudice per hoc Septennium diuerſa flagella, promitto pace conſtituta, me ſerio cum vniuerſis Ordinibus rationes initurum, vt Populus Regni mei à grauaminibus, & oppreſſione tali eximatur. Fac ô miſericordiſſima Regina & Domina, ſicut mentem mihi ad concipienda hac vota dediſti, etiam gratiam & fauorem ad implenda ea, apud Filium tuum impetrare digneris.* Talibus, Senatu, Clero, & populo frequentiſsimo aſtante, clarè enuntiatis, oboriebatur cunctis inuſitatum intermixtis lachrymis gaudium, vel ſola Regis pietate ſuperabilem hoſtem fore credentibus. Deinde, quòd in rem præſentem faceret, Confæderatio Tyſzouecenſis approbata eſt, quippe ſalutare opus, acephalon prudentes cenſebât, niſi Rex, qui caput Reip: eſſet, ſubſcripſiſſet. Conquiſitio pecuniarum planè impoſsibilis habita, negantibus mutuum eo rerum ſtatu Creditoribus, & qui ampliore valebant opum congerie, occultabant nè commodarent, ſeruabant vt perderent. Ergo, è templis opes Eccleſiarum, cum ſponſione reſtituendi in mutuum acceptæ; apertæ

1656. cudendis nummis officinæ, etsi nulla ad manum metalli copia; impositum præterea nouum vectigal (Acciza) vendibilibus, quin etiam dimissa ad Prouincias Edicta, publicā motionem seu Expeditionem imperantia; quæ ignaris, reditum Principis in Regnum, segnibus feruorem, secus affectis communis Patriæ inculcarent charitatem.

Rex Sueciæ Carolus, firmata recens cum Electore Brandeburgico amicitia, lætanter tunc in Prussia egit, Heduige Regina etsi hyemante mari, Holmiā hùc nauibus transuecta, nè prosperorum consortio vxor deesset. Hæc inter, ab Erico Oxensterna Sueciæ Cancellario fit certior, (cui admodum solerti, & indagandis arcanis felici, vel in ipsa aula Polona non defuêre catascopi) redire in Poloniam Casimirum, cui Scytharum Hanus auxilia pollicitus, etiam Cosacos ad opem ferendam impulisset. Sed vel maxime Tyszouecensis Confæderatio perculit, adeoq; bilem mouit, vt iræ impotentiā vecors; ac vehementer in Nobilitatem Polonam ardescens, non iam vt hostibus vim & arma, sed magis vt desertoribus, probra & instantem perfidiæ pænam minaretur, defensionem Patriæ resumentes, Rebelles vocans, & excutientes seruitium, perfidos; subibat demum, quomodo contineret in fide reliquos, ingens animum solicitudo; præsertim suspecto iam militantium sibi Polonorum obsequio, qui deficiebant odisse, qui remanebant metuere cæpit, mutuā vtrinq; diffidentiā; cùm viceversa apud nostrates sensim vilesceret, modum ad felicitatem nouo Domino deesse aduertentes, qui, vt cum successu rerum immodicè blandus, ita si contra fortuna verterit, prima quaq; occasione sæuiturus crederetur. In confesso erat, insignem multo virtutum præsidio extitisse Regem; vt qui in discrimina promptus, actu viuidus, & bellici laboris indefessus esset; comis iuxta & liberalis, & quæ præcipua ars habebatur, crebrioribus conuiuijs velut mori nostrati tribueret, potiores militiæ deuinciebat: ast ea ipsa nimia comitas, vti simulationis partus fastidio erat; manu-

manuum complosio, oculorum conniuentia, subita frontis contractio aut serenitas, indicium protheisantis animi faciebant; compar in factis leuitas, non laudibus iudicium, non promissis modus, quod vni dedisset pluribus conferendo. Demulcebat, pollicebatur, osculabatur, velut postulatis annuens; mox oculis ludibundus, diuersa sentire astantibus monstrauit; idq; apud imperitos humanitas vocabatur, cum mera prosopopæia esset. Vbi intelligi artes cæpêre, præsertim dum verba Regis prolixo distant à sensu pectoris diuortio, etiam æstimatio minuebatur. 1656.

Præsens rerum commotio, irritauit magis quàm perstrinxit præcipitem Sueci Regis animum, vt non mitior facto quàm affectu, transtulerit indignationem in opus, & vlciscendi propositum in efficaciam. Siquidem nihil longinquitatem itinerum, ac hyemis incommoda moratus, relictā curæ Steinboci Prussiā, in qua adhuc Mariæburgum propugnante Iacobo Weyhero à Casimiri partibus stabat, vt medio fermè Ianuario quidquid in promptu Equestrium (sub Caualeriæ nomine) virium, ab ipso Balthici maris, quo Elbinga haud multum distat conterminio, in viscera Regni, acsi turbo aliquis violentus, citissimè raperet. Aderat Frater Regis Adolphus Dux Biponti, vicarium in militem obtinens imperium; Campi Mareschallus Arfridus Wittembergus, nè tunc quidem sat ex morbo validus; Robertus Douglas, Henricus Horn, Woldemarus Comes Danus; Millerus; Hammerschildus; Aschembergus; alijq; veterani Tribuni, Exercitu supra X. Millia computato. Pedes tunc nulli vsui, qui præfestinum iter moraretur, & si necessum foret, ex proximiorum arcium deductus præsidijs haberi poterat, quantùm satis. Itaq; citissimis à Louicio passibus accelerato itinere Solecz versùs tendit, vbi tunc Czarnecius, quo eius Prouinciæ Nobilitatem ad signa incitaret, huc illuc cohortes circumducens, & sueta celeritate hosti incommodaturus, morabatur. Tunc ille maiore potentia ingruente, in certamen

1656. tamen deſcendere haud ſibi integrum iudicans, obliquè in latus ſuperato Viſtula deflexit, quo minus tergum hoſtilis agminis commodius carperet, ac longinquitate curſus feſſo, & enixè feſtinanti Regi, iter præſcinderet. Aſt is, ex deſtinatò Czarnecium diſiecturus ibat, anteſignanum partium probè ſciens, ſi tranſmitteret, validiorem contemptu, & conſequenti Exercitui omnino noxium relicturus. Motis itaq; prima vigilia ſignis, ad Goľab inter Viſtulæ ac Vepri confluentes, in imparatos ſub diluculum ſuos immittit, pepulitq; dubia adhuc luce excubitorum ſigna; donec ſtratis equis Poloni in aciem educti, acerrimè inuectum Douglaſsium reprimerent: qui recedens ſiniſtrum ſuorū cornu commouerat adeo, vt pleriq; ex abrupta ripa in flumen acti, ad præduram glaciem allidereutur, aut præcipitij metu relictis equis, inter virgulta ripæ ſe ſe abderent. Verùm excipiente prælium Rege ipſo, ac è campeſtribus machinis iaculante, tandem loco ſubmotum diſsipatumq; agmen Czarnecij, triplo copijs ſuis minus, & cui cum Suecis decretorio certamine congredi haud animus eſſet. Victoria famâ ſolummodo conſtitit, quæ plerumq; ex primo ſucceſſu multum trahit, notabiliore iacturâ eorum qui campo potiti erant: quippe Adolphus Regis frater à ſeminece equo prouolutus, tibiam pedis enormi caſu fregerat; Voldemarus Comes Chriſtiani IV Daniæ Regis nothus, lethali vulnere ſaucius, ex quo vitam mox cum morte Lublini commutauit; Wikilſon Anglus vigiliarum Præfectus cæſus, præter complures ex vulgo militari. Noſtrorum cædes minor, præter eos, qui in traiectu Vepri dehiſcente glacie flumine abſorpti interiêre; præcipuis Ioanne & Samuele Kawieccijs fratribus, Malawſki, Rudawſki tum alijs &c. cum agiles in regreſſum Polonos, tardigradis equis vbi ſemel propulêre hoſtes, haud vltra conſequi valerent. Læti victoriâ Sueci rem non improſperè geſtam, ſupra veri & poſsibilitatis confinia extendebant, nunciando per impreſſa typis noualia, Socijs aut exteris, Polonos demum

mum irreparabili clade proſtratos, nec vnquam caput arrecturos, ingentem prædam captam, machinas bellicas numerabant, vtraq; relatione futili; cùm tam curribus quā machinis carerent Poloni, expedito agmine prægreſsi, vt Suecorum aduentum explorarent. 1656.

Inde, rectâ Zamoſcium profectio inſtituta, quominus inſeſsis orâ illâ fortalitijs, vtramq; Viſtulæ ripam firmius poſsideret Carolus. Obhæſit tamen impetus tendentis apud Lublinum; vbi, donec à tergo Legiones ex præſidijs arcium euocatæ conſequuntur, neceſſaria mora diſtinuit feſtinantem. Demum, quò deſtinauerat Zamoſcium penetrans, obſidionalem apparatum oſtentare cæpit, vt citra ſanguinem loco potiretur, terrori ſpargendo. Inerat Ioannes Zamoyſki Pocillator Regni, auito hæredio tuendo; Nobilitas frequens, iuxta & agreſtes recepti; nec annona defuit, Vrbi in præuiſum obſidium egregiè animatæ. Vbi primùm exploſa à Suecis tormenta, mox Zamoſcius mutuum ſalutationis officium rependi iuſsit: dein ſuccedebant literæ, in eum ſenſum. *Arfridus Wittembergus &c. Ioanni Zamoſcio &c. Vix credibile, Portas Zamoſcij occludi inuictiſſimo Sueciæ Regi, quem Protectorem, vniuerſum Sarmatiæ Regnum, fide & obſequio iuratis, acciuerit, colatq́; Regem ſibi mox imponendum. Itaneuerò laudata Zamoſci magnanimitas tua in pertinatiam tranſit? & quæ in hoſtem Patriæ, expeditæ fortitudinis titulum meruiſſet virtus; iam nunc contra beneuolentem Regem hoſtiliter inſurgens, mira metamorphoſi, in vitium degenerabit? Inuictiſſimumnè Suecorum Regem ſpernet priuata Ciuitas? quam Metropoles Prouinciarum, Craconia, Poznania, Varſauia, Thorunium &c. cum plauſu recepêre? vnuſneCiuis omnium conſenſum morabitur, & præſumet, ſolus aſpernari conſilia, quæ vniuerſis placerent? Sed meliora de te Zamoſci, iam innata virtus tua, iam culta ciuiliori peregrinatione adoleſcentia, ſperare iubent; ſi tibi redditus, moroſa abdicas conſilia, omnia tibi in ſolatium, vbi tu Regi inuicto, ceſſura. Ergo occurre prudens diſcrimini, & du-*

1656. *& durum ne irrita telum necessitatis. Si fidis verbo Regio, ingenuitatis erit; si committis te tuaq; , erit prudentiæ; nec extra vtilitatem, incolumi in præsens patrimonio, totius Poloniæ curam à Rege recepturus. Vale. Datum ex Castris 2da Martij Anno 1656.*

Ad ea Zamoscius generosè reposuit. *Gratiorem cunctis in eas oras Ser: Suecorum Regis aduentũ fore, si modo pacatus non armatus venisset; nam vbi hostilitas nulla, etiam apparatus & terror belli inutilis, cum Protectio operari debeat, in aduersos armis, in pacatos beneficijs. Cæterùm, pro auito suo hæredio, sanè exili oppido, vim deprecari, cùm restent tanto Regi, eximio bellatori, patratũ maiora. Quod si sol Regum Symbolum, luce, motu, & tacitis influxibus, in se hominum oculos, & spem anni conuertit; etiam Reges ad benigni sideris modum se habeant necesse, quibus sua tribuere, quàm petere aliena conuenientius. Traditionem loci quod attinet, fide data Ser:* Ioanni Casimiro *Electo sibi Regi, & vncto Domini prohiberi: quam in extrema tueri inuiolatam, non patrimonij modo, sed vitæ dispendio, fixum maneret. In reliquo, deuotum se cultui Ser: Suecorum Regis, cuius etiam nunc maneret seruitio promptus. Ioannes Zamoyski Pocill: Regni Trasf: Kat:*

Ferunt, flagrante in oppugnandum Zamoscium Carolo, Wittembergum efflictim impressionem disuasisse; seu irritum in Vrbem probè munitam conatum præuidentem; an fortè fatali torpore parcere loco volebat, in quo celebris bellator, in breui extremum vitæ diem clauderet. Quin etiam deterrebat ab obsidio diuturno, nec incruento, vasta & raris tunc commeatibus referta ora illa; cui rescindendo, etsi vel maximè auxilia Suecorum accurrerent, nihilominus gliscente inedia, vt ex voto succederet oppugnatio, pro impossibili planè iudicatum: cùm Poloni omni ex latere assiliendo, tum commeatus ac pabulatores intercipiendo, non noctu, non interdiu, respirare Suecos paterentur. Hinc constrictis à tergo itineribus, ac alimentorum

rum inopia pressus Rex dolenter ferebat, impositam retro uertendi necessitatem, etsi notabilibus supplementis Exercitu aucto, vt XVIII. Millia Equitum peditumq;, & XXX. diuersi modi machinas numeraret: vnde illi præcipuum robur & tutamen, contra Polonos, qui ijs carerent, aperto campo, & manuali ferro tantùm agentes. Ergo prima intentione depulsus Iarosłauiam diuertere debuit, vt isthic refecto per mappalia frugum feracia ad Sanum milite, tandem de summa rei periclitaturus, Leopolim excurreret. 1656.
Primum opus regredientis fuit ponte Sanum fl. frænasse, vtraq; ripâ commeatui expeditiùs procurando. Mox Premysliam Douglassius missus, non pro opinione sua reperit obstinatam: quam mox vbi portas claudere ausa, in prædam militi deuouens, si conatus successisset, flumentana Porta inuadebat, cùm ab excurrentibus Ciuibus ac præsidiarijs, non ex destinatione tractatur, dum præter aliquot Cohortium ductores trucidatos, multos rapidum flumen haurit, vt retrusus secedere irrito conamine debuerit. Nec vltra institit, nuntijs allabentium vndiq; obsessis auxiliorum exterritus, anteuertendo per abitum discrimini: iam quippe Georgius Lubomirski Supremus Regni Mareschalcus, suis fratrumq; stipatus cohortibus, haud temnendum agmen à Przeworsko deducebat; Paulus Sapieha Palatinus Wilnensis, nulla vnquam Suetici fauoris, quin partes susciperet fascinatus illecebra, subductas Tykocino cohortes Lithuanorum eodem trahebat; insuper vicinior Nobilitas, Sandomiriensis præcipuè, tam Casimiri literis quàm sua spontè alacris, sub signis frequentissima confluebat, domos pignoraq; Sueticis præsidijs viciniora, relinquendò. Infesta vndiq; Suecis omnia, præcipuâ agrestium in conquisitores pabuli ferociâ, vt buccella panis aut manipulus fæni, non pauco istis sanguine constiterit. Vnum oberat disiunctos agere in hostem Polonos, qui vires suas in vnum corpus coactas, sparsim ingruentibus obijciebat. Carpebant magis quàm pugnabant, ille vbi collatis

 signis

1656. signis cõfligendum foret, sua vnitate & loco maximè tutus & inuincibilis: nec aliter castris constitit, nisi quâ abruptis ripis amnis tergum, frontem vallum, & machinæ tuerentur. Iarosłauiæ dum ponte Sanum consternit, Mille Equites dimittebat exploratum, inuestigandæ certitudinis, an Casimirus Rex tantisper subsisteret Leopoli immotus? Negabat quippe fidem afferentibus eo loci manere; nec deerant qui Camenecum Podoliæ recessisse per adulationem referrent. quod speculatorium agmen vno milliari progressum, Ductore Kannebergo Tribuno, Czarnecius venire edoctus, commodè vicinâ syluâ insidias recipiente, primò per velites emissos in certamen prolicit; dein, in pugnam ruentes, sublatoq; Scythicum in morem clamore, Tartaros adesse supponentes, breui conflictu dispallat, profligatq; ; ad Sanum retrò, cæsorum cadaueribus constrata via: Vbi, æstu pugnæ abrepti, in trãsmittẽtes amnem currus inciderant Poloni, in quibus Caroli ipsius mensæ suppellex in prædam rapientibus cessit, Quinquaginta stipatoribus Regis præter currule famulitium obtruncatis. Duodecima Martij id contigit, ea Suecorum in Castris consternatione, vt qui deinceps explorandis rebus vltra flumen excurreret, tota die repertus fuerit nemo.

Carolus dehinc non iniquè reputans, quantùm periculi nimiâ audaciâ adierit, in longinqua progressus, multum ex pristina remittebat præsumptione; Hem! ille Rex est, qui nè in totum quidem euaginato ense Poloniam inuadens, felix Dominus & incruentus victor haberi volebat. Neq; infrænabilem vanæ gloriæ cupiditatem, intra limites Sarmatici Regni includi passus, per deserta Bessarabiæ, dein per Pontum Euxinum, quà terrâ quà mari Constantinopolim cursum victoriæ destinauit? iam nunc, nè iusto quidem prælio congressus & fusus, de securo reditu, ad mare Balthicum solicitus agit. Fortunæ inconstantiam aliqui damnabunt, ego iniquitatem causæ suspicio; nam ferè semper euenit, vt vnde ius & fas sit, eò inclinet Victoria.

Non tamen omnia cæco Numini, quam Fortunam vocant, in fortissimum Regem licuêre; qui, etsi secus inclinante successu, nè inter extrema quidem strenuus esse desiit. 1656. Etenim, postquam premente commeatuum inopiâ retrogredi deliberatum, præmisso in antecessum Douglasio, qui difficiliores traiectus, aut syluarum latebras, nè insidiæ laterent excuteret, subsequebatur ipse ordinata in conflictum acie; cuius frontem machinæ, tergum compaginata curuum series, latera firmissimæ excubitorum alæ tutarentur. Ita primis Castris apud Przeworsko pernoctatum, omni nisu ad Vistulam tendente Rege, ac in eo flumine reponente, nec vanè, portum securitatis. Imminebant interim Poloni abeunti vndiq; circumfusi, nec de die tantùm sed continuis noctibus assultando Quod molestum & vix tolerabile, nam Finni Æstonesq; vt in pericula quæ campo occurrunt intrepidi, ita custodiæ segnes, & inter necessariæ quietis turbamẽta, somno ipso & fame debellandi apparebant: nec minus bilem mouit, quod alios se fingerent nostri truci clamore Scythas referendo. Sic inter continua pericula luctatus Rex, nullibi maius quàm apud Rudnik oppidum discrimen subijt. Fortissimos suorum extremo agmini tutando ordinauerat, quibus fisus in ædibus Parochi ientaturus discumbit, cùm vix primo delibato ferculo confestim nuntiatur, Polonos adesse. Prorumpunt collaterales, ac correptis armis equos expediunt, intrepidus ipse à cibo in discrimen prouolat, nescio animo suo, an quos à tergo reliquerat magis fidens. Vix se mentis euoluerat, cum Szandarowski Demetrij Wisnionecij Optio, cum cohortibus superueniens, eos, qui conglobati circumsteterant ædes, ignarus Regem intro existere, inuadit. Conatus eum habuit euentum; vt Rex acriter repugnans, bis in ingruẽtes exploso sclopo, virtute equi cuius pernicitate ad salutem vtebatur, præsentissimum vitæ periculum euaserit: Tænia è serico coccineo quis esset monstrante, etiam ex fusco colore vultus militi nostro dum sæpius cohortes circumspicit, haud ignotus.

1656. Hæc inter militari receſſu abibant Sueci, præter continua diſcrimina, fame, inſomnijs, cænoſo itinere, arduo fluminum traiectu, deſperatis ſuorum auxilijs, animo vacillantes: cùm contra Rex infractos ſpiritus oſtendens, cunctis in opere præiret, verbis hortator, ſed magis exemplo ſpem intendens, & in pericula acerrimus. Equidem multum proderat diſsimulata extremorum neceſsitas, prima diſcrimina occupante ipſo; compertumq; fuit ea animi conſtantia ac robore irremiſſam vim aſſultantium Polonorum ſuſtinuiſſe, vt donec Iaroſłauiâ Sandomiriam ventum, idq; XVI dierum interuallo, non quiete neceſſaria membra ſolari, non interulam deponere, nè induſium quidem mutare vacauerit, continuis exagitato, nec ſe ſubducente, niſi retrahitur, impreſsionibus. Ac, quo per ſylуas, aut cænoſa tranſiens expediret iter, currus, clitellas, pyrobolos, aliaq; impedimenta abiecit, etiam morbidis qui iactationem ferre non poſſent, paſſim per viam derelictis. Aliquoties nihilominus copiam pugnæ obtulit, potiſsimè inter Gorzyce & Zaleſzany pagos.

Aſt, è re noſtra ſatius videbatur ſanguinis prodigum, & ſub extrema ferocem Regem, quo cæperant modo eludere; quoad traiectu fluminis impeditus, & fame preſſus, in totum conficeretur. A tergo Viſtula erat, cui Sanus ab leua decurrens miſcetur (ab eo confluente nomen Sandomiriæ ciuitati inditum traditur) à dextra ex reſtagnantibus amnibus paſsim lacunæ, & nulla poſsibilis eluctandi ratio: Quid vltra? Quod noſtris exitiabile recedenti creditum, id ſolers in periculo Rex ad conſeruationem ſui vertit; quippe eo bifurcato ſinu apud Villam Zaleſie conſiſtens, caſtra prout re crepera datum munit, quidquid per viam commeatus contrahit, ac dum in fronte ad conſerendam manum ſequaces Polonos prouocat, à tergo interim Douglaſsius naues conquirit, amne recipiendis commòde auxilijs, quæ in extremis poſito, à vicinarum

narum

narum Arcium oppidorumq; Præfectis ſubmittebantur. 1656.
Tuebatur tunc Sandomiriam ſub Commendantis nomine, Synklerus Suecus, qui dum moliendo ponti incumbit, à noſtris flumen trauectis in opere deprehenſus funditur, receptaq; Sandomiria fuit, Tribuno ſuos in arcem raptim ſubducente. Vbi loco vaſto & immunito haud ſecurus, talem elabendi viam comminiſcitur. Sub noctem arce erumpens contiguas D Virginis templo domos ſuccendit, interrupturus Polonis quietem, qui funeſtum diem complurium Suecorum cæde reddiderant. Czarnecius egregiam Ciuitatem igne abſumptam dolens, nè impune autori incendium eſſet, in ſequentem diem oppugnationem indicit, paſsim accurrente tam Caſtrenſi vulgo, quàm plebe ciuica, quibus vtriſq; muſcarum natura ineſt, inter dulcia perire. Oſtentabatur quippe intra arcem grandis ſpoliorum congeries, è templis, oppidis, ac Nobilium domibus conuecta; tum in reditum Sueci Regis omnis generis huc comportata annona, atq; edulia. Itaq; inualidum ſe tuendo loco aduertens Synklerus, ſimul turbæ Caſtrenſis concurſu terrefactus, ne gratis, ac nullo virili auſu in poteſtatem Polonorum, planè ſpectante Rege Carolo veniret, inſinuatis ſubter fundamenta murorum pulueris pyrij cadis, alijſq; ſulphureis flammæ alimentis, demum & fomites ſubdidit: Vnde excitatum atrox incendium arcis mænia conuulſit; autore facti in anteceſſum cum ſuis ad paratos phaſellos aliaq; nauigia, in flumine ſe recipiente, ac dum noſtros horribilis fragor ad exitium reddit attonitos, incolumi euadente. vltra Quingentos ex Polonis ea ſtrages inuoluit, quibus ab igne caſus, in àére mors, ſub ruderibus muri ſepultura fuit. Idem ignis præter Arcem, archiuia Palatinatus (Acta publica vocant) ſimul deleuit, vnde iactura ingens, ac vix extricabiles poſthàc litigiorum occaſiones, vbi tabulæ ac diſpoſitiones Terrigenarum interuerſæ manent.

Cæterum vt interamnis ille ſitus tutior Sueco; ita pedite,

dite,

1656. pedite, machinis, & in expugnationem necessarijs destituto Polono, haud licuit pro spe & voto bellum terminare: iamq; prono amne commeatus hosti subuehi Cracouiâ, imo & auxilia ex alijs Prouincijs cursim festinare, exploratores nuntiabant: Gustauo Steinbok, recepto die XII. Martij Mariæburgo ex Prussia cum non temnendo agmine; Duracensi item Marchione cum recentibus delectibus, & quidquid per Mazouiam præsidiorum quantocius conuolantibus. Vbi constitit rursus Carolum assurgere, & interim in Casimiri aduentu mora, inter militiæ Duces côuenit, vt Quartianorum cohortes inclusum loci angustia Regem premerent, vel saltem distraherent; Mareschallus Regni Lubomirscius, quæ hosti in succursum copiæ ex minori Polonia ibant, distinendis expeditus; itidem Czarnecius, citeriore Vistulæ ripa in Mazouiam, qui præscinderet Electorali subsidio iter, etiam ex Prussia affuturo, Steinboko opponeretur. Ita diduci bellum cæpit, & velut reciprocante æstu, Sueci Polonos, isti rursus illos, variante fortuna circumagebant. Ac primò Czarnecius apud Kozienice Mazouiæ oppidum, octo Suecorum Equestria signa cum Tribuno Torneskild mira celeritate fudit, nè nuntio cladis emisso, etsi XXX. commilitonum iacturâ; inter præcipuos Stephano Stapkowski, Marchionis Myszkowij Loricatorum Optione desiderato. Dehinc cognito, haud procul imminere Durlacensem Badæ Marchionem, continuato die noctuq; itinere obuiam iuit, donec apud Warcam infestis vtrinq; signis concurreretur. Dirimebat acies Pilca fluuius, ex liquefactis vernante cælo niuibus affatim exundans, & quamuis ponte stratus, angustior tamen moles celerem traiectum impediebat. Hinc dirimente amne, hostis classicum cecinit, & velut aquarum interlapsu à committendo prælio inhiberetur, omnino vadû quærere ostentauit. Sed ad apparentiam alacritas erat; cùm Czarnecius Desultoriorum Legione sub Christophoro Wąsowicz Primipilo pontem inuadere iussâ, ipse vt erat

Tygri-

Tygridis exuuijs tectus, ad principia Legionis suæ accurrens. 1656. *Superbus (inquit) hostis & fluminis interuentu ferox nobis insultat; sed faciam, vt qui superato mari in opprimendam Poloniam contendit, neq; Polonis in depellendum inuasorem flumina obstare experiatur. Sequimini præeuntem commilitones, fortibus viris in aduersam ripam, seu per pontem, seu per aquas tantundem viæ fuerit.* Hæc effatus, adacto calcaribus equo, primus flumen nando superat, secutis mox mira alacritate cohortibus, vt sesquihoræ spatio Ter mille virûm in aduersa ripa constiterint. Ad improuisum traiectum stupet hostis & pauet, dum quod impedire poterat, suo malo spectare maluit. Nec minore animo in hostem quàm in aquas itum; potiore iam Victoriæ parte credita elementum superasse, quàm homines. Incurrentes cohortes dum Sueci ex disciplina militari circumagentes agmen, crebro fistularum iactu excipiunt, demum Czarnecius, acerrima impressione in aduersos irruit, ac post bihorij certamen, primò in regressum adusq; confinia nemoris, deinde in effusissimam fugam præcipites agit. Tum verò cædes sequitur, potissimè Varsauiensi viæ insistentes, pernicitate equorum præuenti, capti aut mactati sunt; aliqui profundiori syluæ salutem commiserant, sed agrestium isti præda aut victima; Agminis Dux Fridericus Marchio senior, cum Slipenbachio Comite, ac Ebrensteynio Caroli Regis intimo Ministro, per obsoletas nemoris semitas, & vix feris trita vestigia, tandem Czerscum eluctatus, intra desolatæ arcis rudera, triduo ieiunus & pauens delituit, quoad resumpto spiritu Varsauiam noctu peruaderet. In manus venit Marchio iunior Adolphus, Falkosteynus Comes, Wegerus, Poterus Benzius Polemarchi, ac præter multos ordinum ductores, ferme CCCC capti, ex quibus complures Gallos fuisse memini.

Nedum ex nassa apud Sandomiriam eluctato Carolo adfertur, Exercitum Polonicum auspicia Suetica secutum, tantisper in hybernis per Mazouiam ac Prussiam

subsi-

1656. ſubſiſtentem, eius renunciaſſe obſequio. Subibat quippe animos pudor, ne patriæ deſertores ac conciuium hoſtes, diutius manerent, infami probro in præſens execrabiles, in poſterum maculoſi: proin ſua quemq; conſcientia impellente factum, vt demum omnes eſſent, vnde plures fuêre. Itaq; primò ſeruitia dilabi, dein turmales ſigna deſerere, tum præfecti cohortium haud diſsimulavêre intentum, infrequentia militis incuſata, cui non ſtipendium, non annona, niſi ex Prouincialium rapinis exhiberetur. Aliquandiu tamen inter abſcedendi meditamenta, & militaris probri reſpectum, perſtitêre, donec vicit Patriæ amor, vt in valedicendum Carolo vniuerſi conſpirarent. Itaq; ne temeraria diſceſsio videretur, per ſcriptum ad acta publica porrectum, abſceſſus ſui exponebant rationes, conſilium à neceſſario ac honeſto excuſantes. Tranſmiſſum mox Inſtrumentum Carolo, in quo pleraq; pro more militari ſincerius, ſine vllis verborum circumſtantijs expoſita; eo tenore.

Poloniæ Regnum, anteacto ſeptennio continuis bellorum motibus, atq; barbarorum irruptionibus penè conuulſum; tandem anno præterito, quâ parte maximè florens potenſq; extitit, Caroli Guſtaui Suecorum Regis armis petitum & diſtractum eſſe, omnibus conſtat. Qui incompetente ambitu, pro iuſtitia belli, opportunitatem aggrediendi, atq; deuaſtandi commodam occaſionem ſufficere ratus, durantibus adhuc aliquot annorum inducijs Poloniam ingreſſus, ſub Protectionis titulo hoſtem acerbiſſimum egit. Eo prætextu Palatinatus Poznanienſem & Caliſſienſem paucorum ſubſcriptionibus (quos non tam perfidia quàm incauta credulitas ſeduxit) recepit, ac poſt Mag: Duc: Lithaniæ, lupus iſte ouina pelle tectus intrauit, inſtantibuſq; Poloniæ ab Oriente Coſacis, à Septemtrione Moſchis, Poznaniam, Varſauiam, Cracouiam, non tam vi aut armis, quàm placida loquendo poſſedit &c: Hinc Ser: Ioannes Caſimirus Rex diuertere ad ſuos in Sileſiæ Ducatus debuit imminentibus periculis, ſubducendus; ac Regni incolis doloſa Protectione fluctuantibus. Quo rerum turbine Exercitui efficacius non poterat occurrere conſilium, quàm eidem Protectioni in tempus ſemet ſubijcere; Religioni, Patriæ, Iuribus, & libertatibus, eo modo conſeruandis. Quis enim de Patria vno eodemq; tempore, à tot tamq; potentibus hoſtibus oppugnata, non deſperaſſet? quis tam dulciter affricanti aculeum ſcorpioni non aſſentiretur? quis non adhibuiſſet ſacroſanctè datis promiſſionibus omnem conſeruationis patriæ certitudinem? quis negaſſet fidem tot diplomatibus fide Regia & manu firmatis? Sed Regnis vicinis inhians Natio, monſtrauit breui ſubdolas artes, complicatiſq; obtruſæ Protectionis vexillis, hoſtilia mox contra Orthodoxam Religionem, Iura, & libertates Regni, explicauit conſilia. Quippe vt primum Cracouiâ potius Carolus, conuentionem cum Caſtellano Kijouienſi, circa deditionem vrbis factam, ac ſpeciali diplomate firmatam, maiori parte infregit; Eccleſias quâcunq; & cuiuſcunq; valoris ſuppellectili ſpoliauit; Sacerdotes grauiſſimis carceribus preſſit, igne etiam ac equuleo prodendis theſauris excruciauit; Nobilium Domos diripuit; Ciuibus Cracouienſibus ſexaginta Mill: Imperialium contribuenda impoſuit. Optimo ad explendam cupiditatem vſus inſtrumento, Arfredo Wittembergo, ex vltimis finibus terræ progenito Finlando, qui Magiſtratui Vrbis ſummam irrogatam deprecanti, ac Triginta Millia florenorum munus offerenti, munere illicò recepto, Senatum Ciuitatis carcere preſſit, nec dimiſit quouſq; ſummam ſuperius imperatam contuliſſent. Iam verò extra Vrbem Eccleſias, Monaſteria, & Noſocomia ſolo æquauit. In alijs Ciuitatibus Templa Catholica militũ rapinis addixit; ita, quod è ſacra ſupellectile, ſcorta Caſtrenſia veſtirentur, & Vngari Exercitum eius ſequentes, in caſulis & alijs ſacris veſtimentis, publicè ad ignominiam ritus Catholici comparauerint: Epiſcopatus, Abbatias, & alia bona Spiritualium inter ſuos diſtribuit; pias anteceſſorum fundationes ad profanos vſus conuertendo, redituſq; ſacros Hæreticis addicendo &c. Inſuper, Vniuerſum Regnum ita

1656. *exinaniuit, vt cum nihil amplius quod acciperet ſupereſſet, marmora è Palatijs auferre, ipſamq; Regiam Varſauiæ, cælaturis, picturis, ſtatuis, & alijs eiuſmodi ornamentis ſpoliare, & in Sueciam transferre non erubuerit. Vnicum tandem Regni Poloniæ decus, Claromontanum Częſtochouienſe Cænobium, in quo per Orbem Chriſtianum miraculis corruſcans* B. VIRGINIS *Imago aſſeruatur, euertere voluit, ac quatuor Septimanarum obſidione preſſit; vt hoc Catholicæ Religionis fundamentum, cultum nempe Sanctiſſimæ Matris è Poloniæ Regno aboleret &c. Tot itaq; tantiſq; rationibus permoti, non poſſumus diutius ſub eius Regis Protectione permanere, huicq; eius doloſæ tutelæ abrenuntiamus, & eandem eiuramus, ac ipſum Carolum Guſtauum Sueciæ Regem, hoſtem Patriæ, ac Gentis noſtræ, vnâ cum omnibus ei adhærentibus declaramus, & contra ipſum eiuſq; ſequaces, ad vltimum ſpiritum, pro aris & focis pugnaturos, ſacroſanctè iuramus, nec ab eo nexu recedemus quouſq; Patriam, Sereniſſimumq; Regem noſtrum* IOANNEM CASIMIRVM, *priſtino ac pacato ſtatui impoſuerimus. in quo propoſito vt Maieſtatis Diuinæ auxilium humiliter imploramus, ita coram eodem Supremo Numine, totaq; Curia cæleſti, ac vniuerſo Orbe, de his omnibus ſolenniter proteſtando, præſens ſcripti inſtrumentum ad perpetuam rei memoriam Actis publicis inſeri volumus. Datum in Zembrow die XV. Februarij Anno Domini 1656.*

Aſt primores Exercitus, quibus maior apud extraneos famæ ratio, etiam apud ſuos authoritas erat, moderatius egêre, præſeferentes in tempus obſequium, donec ſeceſſus opportunitas ſaluâ exiſtimatione matureſceret. Penes Alexandrum Koniecpolſki Vexilliferum Regni, ſumma imperij militaris, qui etſi apud Carolum gratioſus, ſed non vſq; deuinctum ſe credidit, vt Patriam omnino poſtponeret. Is cohortibus Lithuanicis Tykocinum, (vbi tunc Radiuillia defuncti Palatini Vilnenſis vxor,) prementibus: viduæ, ipſe conſorte orbus, laturus opem, permiſſu Regis Sueci abierat, Carolo interim ſubitam expedi-

peditionem apparante: alijs Polonorum Legionibus, per extimam Mazoviæ oram locatis, & tempus in receſſum operientibus. 1656. Vbi ſecedere deliberatum, & ad recolligendos animos elongatio Caroli facit, Vexillifer Regni Koniecpolius, literis Regem conueniebat, tenoris eiuſmodi. *Intaminata Polonorum in Principes ſuos fides, vel ex eo Orbi vniuerſo probata eſt, quod cum hæreditaria Regna conniuente nonnunquam oculo, tragicos Dominorum ſuorum ſpectaſſent exitus, Poloniæ Reges nullibi ſecurius dormiant, quàm gremio excepti ſubditorum. Indignum quippe maioribus noſtris videbatur, quos ſibi libera voce, nec coactis ſuffragijs, conſtituiſſent Principes, vel minima infidelitatis labe violare. Hinc & nos, qui nuper inimica Fatorum conſpiratione, externam Protectionem quærere cogebamur, nunc redeunte Ser: Rege* IOANNE CASIMIRO, *Dn: N: Cl: non tantum datæ Electo per nos, & coronato Principi fidei memores, verùm etiam grauioribus violatæ Religionis & libertatis iniurijs, tum maiorum Fratrum ac Conciuium noſtrorum in deſertores communis cauſæ Edicto compulſi, eadem manu ductrice fide, ad gremium Patriæ redire cogimur. Neq; id transfugarum more apparamus, palam facturi, non tam nobis animum ad obſequia Maieſt: Veſtræ defuiſſe, vt non magis vitâ carioris Patriæ cauſam amplecteremur: Proin Maieſt: Veſtram ex communi omnium aſſenſu demiſſè precamur, quatenus liberè ad Regem ſuum redeuntes (Regio Maieſt: Veſtræ verbo hac in parte aſſecurati) in ſerum ad poſteritatem Fidei noſtræ teſtimonium, literis ſuis concomitari dignetur. Et dabit credimus M. V. veniam arma non contra ſe, ſed pro Patria ferentibus, ac proſequetur hac nihil auferente gratia eos, qui excepta Patriæ cauſa, ſumus ſacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ (reſpectiuè) ſerui &c.* Ingens ad hæc Sueco Regi cordolium, ringitur & dira minatur, exequendi potens ac promptus, niſi lædere eos tunc intutum eſſet, quos perdere non adeo facilè fuit. Ergo ſubmiſit qui ad perſeuerantiam ſuaſu inducerent, aſt ſincera reſipiſcentia nequaquam expugnari potuit, ea pro finali data in ſcri-

Q 2 pro

1656. pro declaratione. Exercitum Polonicum non iustitiâ causæ, non mutua relatione status aut Religionis, non ex dato acceptoq;, deniq; nullis recti & æqui rationibus, teneri & obligari, quominus Regi Sueciæ vltra adhærere debeat. Imò apertè renuntiare partibus, rediređ; ad legitimè Electum Regem, cui primo & vnanimitèr obedientiam iuramento adstrinxisset. Id exposcere intemeratam gentis fidem, obligari singulos conscientiâ, exigere demum Orthodoxam religionem, pro qua sibi more maiorum aut vincendum aut moriendum sit.

Labebatur interim Martius mensis, quo Carolus apud ripam Vistulæ castris obhærens, eo modo se indagine, multis pro ineluctabili credita, expedit. In subsidium illi propè tria Millia ex diuersis præsidijs, prono amne submissa aduenerant: quo auctus subsidio simulat adornare pugnam, è tormentis quam ante fulminatur crebrius, Castris fossam præducit, ac hinc inde agemmata effundens, opponit aciem nostris, velut in destinati conflictus præludium: etsi, vt attigi, Exercitus Duces, opportuno admodum consilio cauerent, nè in decretorium certamen inuitos traheret Suecus. Interea suspensis expectatione prælij nostris, summa celeritate ille peditem, machinas, aliaq; impedimenta nauibus imponit, tum decrescentium opportunè aquarum beneficio vsus, Equestres turmas per noctem educit, quoad in vlteriorem ripam securus emerserit. Inde fessum discriminibus agmen, flumini insistens deduxit, vt demum per Mazouiæ limitem Varsauiam eluctaretur. Abeunti haud institère Poloni, viribus iam aucto impares, & præter gemini mensis continuo labore attritum militem, defectis vel maxime equis, pabuli inopiâ. Etiam ego hinc ad caput Regni calamum abstraho.

Metropolis Regni Cracouia in nomen Caroli obtinebatur, reducto ad Ter Mille præsidio; etiam ex nostratibus aliqui adhæsère, commodi aut damni respectu, præcipuè quibus circa Vrbem possessiones, aut in Vrbe repositæ facultates habebantur. Vrbi Præfectus Paulus Wirtz ad omnia vigil ac solers, in morigeros attentus, in contumaces rigidus, nihil non egit animis demulcendis, ac omni arte retinendo populi obsequio, quem fidum indulgenter tractauit, refragum peracerbè: Oppida Zywiec, Zakliczyn, Pilcá, Sczekociny, Przyrow, aliaq; in fauillam iêre, eius mandato direpta exustaq; cæsi subita domuûm incursione Nobiles, aut carceri mancipati, qui in Suecos durius aliquid tentauerant; reliquis incussus timor, qui tamen sæpius cupiditatem vindictæ accendit, donec velata odia, vbi se dat occasio, in apertam vltionem ebullierint. Primus Cracouiensi tractu concitis in arma Prouincialibus, Franciscus Dembinski Neocorcinensis Præfectus, haud temnendam Nobilitatis manum euocauerat, magis direptiones & vagos Suecorum incursus prohibendo, quàm vt intra mænia cohibitos, aut Vrbe effusos, aperta vi aggredi valeret. Proin hinc inde circumducens agmen, intuta reddebat cōmeantibus itinera, importandis alimentis incommodando; donec comperto solutius apud Mogiłam Castris agere, nocturno aggressu Wirtius agmen illud dissipauerat, sua vsus celeritate, & nostrorum incuriâ.

Vehementiore per Maiorem Poloniam motu insurgebat bellum, peregrè ab istis oris elongato Carolo, & Polonicis Ducibus Lubomirscio, ac Czarnecio, successu & famâ non temnendis, huc peruadentibus. Andreas Grudźinski Palatinus Calisiensis, charitate in Patriam, Protectionem abdicauerat; Petrus Opaliński Podlachiæ Palatinus, prisci moris & militiâ bonus, in resumenda arma Nobilitatem conuocabat, super odium hostis, priuatâ iniuriâ excitatus, cum filium eius Ioannem Opaliński, velut per officium conuenientes Sueci, licentia militari seruiliter læsissent. Aderant pari animo, Iacobus Rozrázowski Inowrocłauiensis Palatinus, Ioannes Starkowiecki Calisiensis, Stanislaus Pogorzelski Krzywinensis Castellani, Christophorus Grzymułtowski, ac Ioannes Gninski, ille Calisiensis Succame-

1656.

1656. camerarius hic Gneznensis Præfectus, tum alij: à quibus per diuersa loca particularibus congressibus bello prælusum, quoad robustior irrequieta agitatione Mars, tandem collectis viribus, in generale experimentum adoleuisset. Leszno oppidum, cognominis familiæ hæredium, trino milliari Silesiam attingit, incolis conterminæ gentis refertum, ob recepta olim Caluini dogmata, augescente eius opinionis sequacium frequentia. Hoc, quia nuperis Germaniæ turbis, dum belli mala refugiunt Silesij, pro reclinatorio illis patebat, vicissim nunc Poloni ab istis recipiebantur; pessimo facto quod conductitius Suecorum miles vltro citroq; commeans, rapta ex Regno spolia, Lesznæ, tanquam tuto in asyllo reponeret. Ergo Palatinus Podlachiæ insinuato oppidanis, vt hostium abdicata familiaritate Regias partes, sequi vellent, ac renuentes imperata facere, primò ostentatione virium terret, mox & armis aggreditur. Ast inconcussi minis Lesznenses, vt quos obfirmatos Lintformius Tribunus cum CCC. Suecis præsidio accurrens, in sustinendam vim impelleret, armati extra oppidum procurrêre; commodo pro illis loco, struicibus lignorum exaggerato, post quos peditem cum tormentis occultauerant. Semel iterumq; mitiora ingerebat Palatinus, neu sibi posthac excidium oppidi imputaretur obtestatus; demum vbi peruicaces, ac per septa hortorum circumfusi Ciues, à latere Sueci Equites vim differenti insultant, non vltra tulit proteruiam, datoq; signo, feruidè illatus, retro in oppidum agit præcipites, adeo subita oppidani vulgi sub recessum consternatione, vt aggressor miles patente porta vna irrumperet; etsi nonnullis in ipso portæ limine cæsis (septemdecim è Nobilitate desiderati, Nowowieyski, Koźmiński, Czeski è præcipuis) vnde Palatinus inhibere vim ac reuocare suos, vel maximè quod serum diei esset, debuerit. Imminebat in crastinum repetenda impressio, cùm Ciues expenso sub noctem, quale maneret illos periculo, & quibus fera deditio intuta appa-

reret,

1656. reret, arripiunt medium salutem fugâ tutari: cum metu perculsis, solatium quoddam pereundi habeatur, tergo mortem excipere. Sed pessimus in extremis consul metus, qui dum in Silesiam receptum ostendit, periculum geminauit. Nam incolatu omni in fugam abrepto, suorum cædem Nobilitas vltura, consecutos per viam promiscuè mactat; dein oræ circumsitæ agrestes, irrumpunt ac diripiunt, & postquam notabili præda aucti, insolentissimũ hominum genus, peramplum & Vrbi suppar oppidum, subiecto igne cremauêre. Memorant hic Christophori Arciszowski cadauer (is non ita pridem Armamentario Regni Præfectus, multa militari laude, sed Arriana labe inglorius, vitam cum morte commutârat) dum dilato funerandi actu repositum manet, in exusti oppidi cineribus, rogum inuenisse. Adeo nè mortuis quidem parcit bellum. Sic deformatum miserabili incendio Leszno dein sumptuosius reædificatum est, quale nunc cernimus: vt iam non vanè aliquis, post flammas instauratæ domui inscripserit; *Mi hospes cogita, ardoris rogum, non consumi, sed solidari flammis.* Post Koscianam itum, quæ in paludosis Obræ fl: sita, commeantibus hinc inde Suecis pro diuersorio erat, etsi nuper Lantgrauij cæde abominabilis locus. Annuit successus, vt excurrente Iacobo Iaraczewski, adducti captiui nunciarent, Suecorum agmen in procinctu adesse, quod à Wessemanio præfecto Poznaniæ expeditum, subita incursione obsessores Koscianæ de nocte aggredi moliretur. Igitur itum mox obuiam, ac intra querneam syluam deprehensi hostes, perq; angustias nemoris ordines explicare non valentes, disiecti ac fusi, continuata Mosinum vsq; fuga & cædibus. Cecidit hic è nostratibus Smuszewski animo & stirpe egregius, Dambrowski, Bronikowski, Przyśiecki &c: de gregarijs non constat. Repensa iactura Lintformij (is legatus Wessemannij) cæde, Deualius Tribunus, & Thossus Primipilus seu Maior capti, ast pro vita supplices effecêre, vt incolumes seruarentur.

Caro-

1656. Carolo Suecorum Rege in Prussiam regresso, quominus belli tempestas, in præsens ripis Vistulæ depulsa, vel vltra maria submoueretur, Duces Poloni agitabant. Inuitati Maiores Poloni in consortium armorum, crebris per oppida arcesq; Suecorum præsidijs, ac inde penatibus metuentes, sese excusauêre. Certè magni momenti erat, vtrosq; iunctim agere, singulis in Prussiam tendenti Sueco imparibus. Ast respectus pignorum, non iniustum bello gerendo ponere obicem visus. Forma Dux militem, fidũ, strenuum, disciplinatum, quantumuis in hostem audacem; si domum respicit, si proli, si vxori ac penatibus timet, vel eripiendas facultates metuit, ægrè ordines seruabit, aut signa tuebitur, nunquam tutò vinces; cum satius quære, qui ne voto quidem opus habeat. Affertur sub hæc Izraëlem Suecorum Tribunum, recens Louicio mouisse, & cum expedita suorum manu in Prussiam tendere festinando. Abibat certè Mille ducentis Equitibus stipatus, ac vltra duo Millia curruum deducens, quibus raptæ ex circumsito tractu manubiæ, deuehebantur, nauibus in Sueciam transmittendæ. Pergentem primò leuioris armaturæ cohortes, plano campo assecutæ, stitêre: qui deinde militari recessu egregiè vim sustinens, retro Louicium vnde venerat abibat, mox in arcem receptus; currus tamen cum præda omnes, præcipuè argento & rebus pretiosis onusti ab lixis intercepti: etiam Tribuni Izraëlis vxor carpento vecta, à famulitio Pauli Borzecki abducta est; Mulier formâ conspicuâ gerebat vterum, cui dum aliquis ex Polonis suggerit, non alium liberationis modum superesse, nisi suasor marito arcis dedendæ foret, animosè responderat. *Non tanti vitã sibi aut captiuitatẽ, vt alterutrius respectu eius probri marito autor esse velit, imò mortem eligere potius, quàm vt maculosum desciscendi à fide nefas, suggerere ausit.* Dein tribuente fragilitati sexûs Czarnecio, honorificè ad virum, & quotquot eo congressu Suecorum matronæ in potestatem venerant, gratuita libertate donatæ, ac remissæ sunt.

par

par in hoste humanitatis officium excitaturæ. Exin instituta in Maiorem Poloniam profectio, sed damnosum nimis Prouincijs istic tendentis Exercitus iter, passim rapinæ & domûum expilationes, laxatâ per bellum militari disciplinâ; tum illud non magis inuisum quàm atrox, dũ iniurias passi acerbè querulantur, miles noster eius oræ Nobilitati, tanquam autor ad hostem desciscendi foret, notam leuitatis ac perfidiæ exprobrat. In Iudæos vel maximè lixarum insolentia sæuijt, quorum prægressi Exercitum globi, vbiq; miseros contrucidabant, hosti addictos, & suorum proditores appellando. Ac in tantum furor in eius farinæ homines inualuerat, vt necessum fuerit, quinq; cohortium agmen præmittere, rapinis & insontium cædibus cohibendis. Etsi Czarnecius suoptè ingenio seuerior, prædones illos vbiq; conquisitos, præsentissimis pænis afficeret, vbi non in promptu patibulariæ furcæ, per prominentia ædium colliquia, laqueo suspendi, aut pedibus ab helcio reuinctis, incitato equo trahere iubens, donec per saxa stipitesq; lacerato corpore, ac effusis visceribus, atroci morte interirent. 1656.

Ad Gneznam constiterat Exercitus cum affertur, Adolphum Ducem ac Douglassium cum Suecorum agmine quod Decem Millium esset superuenire: nec certamen moraturos. Res mira! manibus omnium terebatur vaticinium Astrologi alicuius, quo in diem octauam Maij, insignem Polonis ex hoste victoriam prædicebat; hinc varia animorum commotio, etsi aliud interueniens, prudentiorum considerationem aduerteret. In Metropolitana Ecclesia, ab aquilonari templi latere, existebat Saluatoris Crucifixi (vt solet in altari) effigies lignea, ex qua duobus ante aduentum Douglassij diebus, sanguis merus largiore stilicidio in stratum altaris profluxit. Sanè nihil fraudi aut imposturæ adscribi poterat, quomodo enim vbertim promanans liquor, in exili ligni fragmento occultaretur. Perstrinxit miraculum spectatores, rei nouitate

1656. attonitos; etiam ego qui hæc ſcribo, ſtupens & curioſus, cruoris decidui guttam attrectans digito, meri ſanguinis profluium eſſe expertus cognoui. Haud procul hoſtem abeſſe nuntiantibus præcurſoribus, ſummo mane quod in diem Dominicum incidebat, obuiam ire à noſtris maturatum, alteroq; à Gnezna miliari acies ſibi inuicem occurrêre. Duces noſtri aderant Lubomirſki Mareſchallus, Czarnecki Kijouienſis, Staniſlaus Witowſki Sandomirienſis Caſtellani: ac præter alios Andreas Grudżinſki Caliſsienſis Palatinus, abdicatis partibus, gnauiter Patriæ probaturus operam. Douglaſsius viciſsim comperto Polonorum occurſu, locum opportunum delegit, quo fretus inire & declinare pugnam, niſi cum vellet poſſet: deinde arbuſta contigua, occultatis inſidijs præoccupans, ſubiectum riuum lutulento meatu poſt recentem pluuiam exundantem, peditatu ac machinis in capite aggeris ſtagno cohærentis firmauerat, traiectum loci in ſua poteſtate retenturus. Sic loco tutus, ingruentes Polonos excipit, quorũ dextrum latus Mareſchallus è regione ſtagni; ſiniſtrum Czarnecius regebant, vter horum prior aggerem ſuperaſſet, ita certamen initurus. Sed acerrimè traiectus anguſtias tuebantur Sueci, neq; cænoſa lacunarum vorago vadari poterat, colotenus dehiſcentibus equis; quoad Czarnecius, vt inferum vltra piſcinas tractum ſuperaret, ipſe cum parte ſuorum (quæ tunc Diuiſiones à Ductorum nominibus vocabantur) longo circuitu digreſſus, in dextrum Douglaſsij cornu inuehitur, ac identidem denſis ordinibus cõſiſtentes Suecos laceſsit, eo conſilio; quominus ardore pugnæ abreptis, ac cuſtodiæ aggeris detractis, traijcienti Mareſchallo viam apperiret; iamq; primo aſſultu alarios repreſſerat: aſt vbi inter arbuſta occultati Deſultorij, creberrimo pilarum iactu latera pugnantium impunè feriunt. anceps diu prælium, & alterutrorum reciproca quædam conſectatio perdurauit: donec Douglaſsius huc omne ſuorum robur, (traiectum fortiſsimè Adolpho tutante) conuer-

conuertens, opportuneq; ſuos præaltam foſſam quâ humida agri ſiccabantur ſubire iubens, certiori deſtinatione noſtros globis feriret, ipſe aduerſùm framearum ictus interueniente foſſa ſecurus: cùm interea Mareſchallus, obiectu vliginoſi traiectus, vt in pugnam deſcenderet, prohiberetur. Dato proinreceptui ſigno, Poloni retro oppidum flexêre, ſolutis in receſſum militarem ordinibus, cũ modici milliaris ea die inſtituto itinere pernoctaſſent, ac permulti ex ſaucijs curandis vulneribus Gneznæ, in alterius diei diluculum intenti egerint. Interiêre ad XXXX. ex cõmilitio, Kiełczowſki, Goſzczymińſki, Burzyńſki &c. vulnerati plures, inter alios Vladiſlaus Wilczkowſki Marchionis Myſzkowij vetus Optio: etiam ego eiuſdem turmæ, duplici globo brachium traiectus, pænam (vt ſuppono) curioſæ audaciæ tuli, purpureum rorem illum, quem ex effigie Crucifixi in Baſilica Gneznenſi ſtillaſſe memoraui, eadem attrectans manu. 1656.

Iam maiori ex parte Polonia (ſi vrbes firmatas præſidijs excipias) ad ſe redire videbatur, cùm ſubinde Moſchus in breues Inducias cum Polonis aſſenſus, bellum ex Lithuania in Liuoniam transferebat. Geminatis quidem Carolus per Guſtauum Bielke Senatorem Sueciæ legationibus inſtitit, M: Duci in amicitia retinendo, aſt in cauſa Lithuania fuit, pro qua diuerſi competitores, velut pro offa duo canes, fæderum obliti rixarentur. Familiare Principibus, nimiam aliorum felicitatem ſuſpectare, & dũ proſperis ipſi efferuntur, eundem in alijs fortunæ curſum oderint, aut pertimeſcant. Irritabat Mag: Ducem, quòd veteri prætextu Liuoniam inter titulos numerans, incolas Prouinciæ in ſubiectione Caroli obſtinatos aduerteret; non vnquam ſubiugandos totaliter cenſens, niſi diſtracta inter ſe & Polonos communis hoſtis potentia, demum armis aut tractatibus à Suecia auellendos. Ergo per Ioannem Obryńſki Decretorum Notarium, hoſtilitatem nobiſcum dirimi paſſus, in æmulum Regem arma transfe-

 rebat

rebat, vulgato prætextu, iniquè auulsa imperio Moscho-
1656. uitico, armis repetere velle: aliasq; causas bello affluendo,
quæ dum ex iustitia haberi nequeunt, ex quæsito colore aut simulachro Iuris volenti elicere facile fuit.

Subinde Casimirus ineunte Aprili, refectis quantùm pro temporis & Ærarij angustiâ licuit rebus, Leopoli Sokalium mouerat, medioximo suorum accursu comitatus, qui demum superuentu Ducum militiæ, cum Quartianis cohortibus, augeretur. Primum reuiuiscentis Imperij facinus fuit, Gedanenses in fide confirmasse, quorum laudata per literas constantia, etiam præsenti alloquio firmabat animos, Nicolaus Ostrorog Drohouissensis Præfectus animi prõptus, nec minus hæreditaria Ostrorogeæ Domus facundia inclarescens. Gedanum insigne Balthici maris emporium, dum vniuersas Sarmatiæ merces, ac quæcunq; venalia prono Vistula recipit, rursus opportunitate maris contigui, res promercales ab exteris habens, Regno communicat; nec solum negotiandi commoditas & partæ ex mercatura opes ad famam vrbem protulêre; etiam à situs firmitudine, & stupendæ molis operibus, præcipuè quæ Laternam portui incubantem tuentur, cõmendatur. Hanc portu & maritimis viribus pollentem intererat Sueco, aliquo modo in fœdus illectam, sibi adiungere; quæ dum contra pollicita & illecebras pertinax Protectionem penitùs abnuit, vi ad officium redigere destinabat. Ac primo Carolum Wrangelium Architalassum Sueciæ, obsidere sub præteritam hyemem iusserat; qui tamen etsi infesta classe adsita maria præteruectus, in summam profecerat nihil, turbulento sæuis Aquilonibus freto, & vrbe ad retundendam vim intenta parataq; rursus Gustauus Steinbok post receptum Mariæburgum, iam suadere deditionem, iam minari excidium ausus, infra ponentes iram, nec vim metuentes in cassum territauerat. Demum Rex ipse, nihil per submissos proficiens, in communionem sortis velut socios vocare non erubuit:

quam

quàm requisitionem illi dum magnificè inuitati, mode- 1656.
stia mulcent, aut dilatione eludunt; tandem aliquis Boguslaus Dux Croiæ Mindensis Episcopatus administrator, susceperat negotium suasu perficiendi; quasiverò quæ non blanditijs, non minis extorquere alij potuissent, id homo externus, vel solo à Religione ducto argumento, quæ tam Sueco quàm Vrbi haud difformis esset, consequi niteretur. Ast admota machina, Gedanensium constantiam mouit nihil, inexpugnabilem Casimiro fidem seruantium. Ostrorogus quin etiam ex commisso percunctatus Magistratum; vtrum vim imminentis hostis tolerare suopte Marte pares essent? an verò succursu armatorum indigeant? paratum siquidem Regem, fidissimæ Vrbi si opus in præsens submisso Exercitu auxiliari? Responsum tulerat pro fide retinenda magnificè, pro succursus necessitate indifferenter; nè scilicet reposcendo auxilia, rationes annonæ deplerent, aucto consumentium numero; aliaq; prudenter & prouidè, dum & regias vires adhuc dum imbecillas penitus introspiciunt, & gloriam inconcussæ fidei, requisitione auxiliorum diminuere cauent.

Post Gneznensem conflictum, velut captando respirio Duces partium ab inuicem recessisse videbantur, nisi Czarnecius, cui æquè victori ac succumbenti, idem animi vigor, festinato Zninum excurrens, sparsim locatas Suecorum copias, subitarijs congressibus perturbabat. Fortè accidit vt Iacobus Weyher Mariæburgensis Palatinus, cum aliqua Borussæ Nobilitatis manu, huic iungendus tendens, in notabile Suecorum agmen per viam incideret. Carolus Dux Mechelburgicus erat, qui nulla à nobis prouocatus iniuria, per inferioris Saxoniæ circulũ autorato milite, pari aliorum Germaniæ regulorum in Poloniam affectu, Sueticas copias aucturus, iam tunc Tucholiam in stationem sibi destinauerat; vnde acceptâ tendentis Weyheri notitiâ Choyniciam deflectens, illuc mæni-

 bus

1656. bus & ſua virtute ſe tuentem, oppugnare aggreditur. Sed faſtuoſus Theuto in virum ſtrenuum inciderat, namq; vt illicia dedendi ſic minas oppugnationis ſpernens, biduo vim admodum maſculè ſuſtinuit, quoad edoctus periculi huc citus aduolaret Czarnecius, ac à tergo inuadens Mechelburgicos, in fugam non ſine complurium cæde impelleret, liberaretq; Weyheranos. Tot tantisq; experimentis, Poloni militis virtus ſanè meruerat, vt feſsis quies aliqua, equis præcipuè continuo labore fatiſcentibus reſpirium ad tempus daretur: itaq; Culmenſi & Dobrinẽſi tractu locatæ cohortes ſunt, ſub adultum ver herbida ora, pabulum iumentis ſuggerente. Vbi dum in breue reſpirium vix equos exſternunt, ecce ſubito de Caroli Regis Fato increbreſcit rumor; mox qui mortuum crederent reuixiſſe experti, dum in bella promptus, cohortes noſtras celerrimo incurſu apud Kcynam inuadit, & ſubitario certamine diſsipatas, opimis ſtatiuis deijcit conturbatq;. Quas demum recollectas à Czarnecio, & ab incæpto anno in eam diem XVI. vicibus cum Suecis uariante fortuna præliatas, tandem Caſimirus in obſidium Varſauiæ euocauit.

Varſauia Mazouiæ Metropolis, in ipſo Regni Sarmatici centro ſita, iam nunc poſt extinctos Prouinciæ Duces in domicilium Regibus Poloniæ ceſsit; quominus æquali locorum omni ex parte diſtantia, ad Generalia hic celebrari ſolita Comitia, Regnicolis tantundem viæ vndiq; eſſet. Hanc nullo negotio in ante occupatam Sueci permunierant, quòd in prominenti Viſtulæ ripâ, frenandæ aut ſoluendæ nauigationis potens, iniectum flumini capiſtrum manu tenere viderentur. Subſiſtebat hìc Arfridus Wittemberg armorum Sueticorum Generalis, tum alij nobilis famæ Tribuni; hìc ex vniuerſo Regno comportata ſpolia, conuecti theſauri, ac pretioſa quæq; repoſita manebant; per mare demum in Sueciam eæ manubiæ, commodiori tempore nauibus transmittendæ. Præſidium

um duo millia ſuperabat, præter XXX. maiorum nauigiorum remiges, ſubtus arcem in anchoris defluitationi gazæ illius tempus operientes. Palatinus Wilnenſis Paulus Sapieha cum Lithuanis, dirempta per Inducias Moſchorum hoſtilitate, etiam Palatinatuûm Mazouiæ Nobilitas, vndiq; Suecorum per oppida præſidijs conſtricta, ducentia in Vrbem itinera (Paſſus vocant) annonæ ac rebus neceſſarijs inuehendis præcluſerat, ſolerti cura attendendo, ne amnis beneficio vſus hoſtis, congeriem illam ſpoliorum peregrè exportaret. Caſimirus dein ad diem XXV. Maij aderat, prope XX. Millia bellatorum, trahẽs; nec diu cum Mareſchallus ac Czarnecius; iſtos demum Maioris Poloniæ Nobilitas conſecuta, Aquilâ ad volandum pullos prouocante, agminatim confluxêre. Statio Regi in Palatio Viazdouienſi; Caſtris vterq; Dux cum Quartianis; Nobilitas citeriore ripâ conſtitêre; Lithuani vltra flumen, quibus Czarnecius cum ſua Diuiſione acceſsit, per ſubiectum Pragenſi municipio latifundium metati. Mox verſis in opus animis, regulatâ obſidione ſtringebatur Vrbs, pedite in eggerendis foſsis aggeribusuè occupato (Eques ſubinde ſtatum hoſtium exploraturus procurrebat) eo impulſu ſedulò & feſtinanter, ne ſemicæpto obſidio, vt fama erat, ſuperueniret Carolus, cuius Præcurſor Douglaſsius, iam tunc cum non temnendo Suecorum agmine, apud Kempam prope Zakroczymum conſederat. Etiam in illa hominum multitudine, quæ Sexaginta Millia ſuperare credita, ſi mora trahitur inopiam victus conſequi neceſſario metuebat Rex; deſolata paſsim per commeantes Exercitus Prouincia, & pluribus conuenis qui conſumerent ſegetes, quam inferrent ſolo ſemina incolis, exiſtentibus. Itaq; ab exploſione machinarum, vt ſolet, oppugnatio cæpit, poſtquam verò iugi verberatione quaſſati muri, Tubicinem Caſimirus ad Wittembergum amandauit, cum ea requiſitione. Vti reſtitueret Vrbem, quæ ſui iuris eſſet? quod ſi intra muros latitans,

tirans, loci ruina fortis videri cupiat, sciat oportet, non
1656. aliter cum adhærentibus incolumem euasurum, nisi demùm integram Varsauiam, vt recepit autori suo, qui Rex est, consignauerit. Ad hæc, non dum feruorem militis Poloni expertus respondit Suecus. *Non se colonum Regis Casimiri, vt Vrbe emigret & abeat illo volente ac iubente: sed Suecorum Ducem, qui cōmissam fidei suæ à Rege Carolo Varsauiam, armis in extrema tuendam susceperit.* Dein à Polonis producta subtus Vrbem opera, ac pro circumuallatione militari, maceries desolatarum suburbij ædium occupatæ, quas continenti fossa iungebant Regij metatores, donec prætenturas hostiles & lignea claustra contingerēt. Quoniam inualuerat rumor, Carolum Regem, vlteriore fluminis ripâ in succursum obsessis venturire, gemino ponte instratus fuit amnis, grandioribus phasellis molem sustinentibus, in faciliorem cohortibus quâ parte opus traiectum. Interim recuperandæ Vrbis rationes solicita mēte expendebat Casimirus, hinc ad deditionis mentionem Duce hostium crudo & impersuasibili; illinc si violentis medijs experitur, non sine enormi strage, ac dolendâ Christiani sanguinis iacturâ præuidens edomandam. Vnde reperti, qui dicterijs cunctationem Regis incesserent, velut noxiâ suis morâ, ferociâ obsessorum aleret: percuperetq; incruenta potius Varsauiæ recuperatione lætari, quàm vt famam & victoriæ æstimationem, iactura aut strage Suecorū posteri metirentur. Quod tamen Christianū intentum, aliter quàm zelotæ different, ex effectu apparuit. Quippe, vbi in concilio militari armis frangendam pertinaciam conlusum, seposita lenitate generalem impressionē Rex indixit, per destinatas stationes, Duces militemq; ipse in assultum disponendo. Vbi datum impressioni signum, primò legionarij, dein Castrense famulitium (cui calonum aut lixarum dare nomen, propè iniuriam fuerit) impetu facto obiectas munitiones aggrediuntur, (proposito ob rem strenuè gerendam præmio) ac summo præsentis di-

scri-

scriminis contemptu, externæ munitionis proiecturam, 1656.
apud Palatium Kazanouij protinus irrumpunt: etsi propè portam quæ Senatoria dicitur, ab emisso Suecorum globo præcursores retrusi, ac per spatiosam aream displosione machinarum noxia, eò inuecti confunderentur. Non tamen destitêre, Palatio Kazanouij propugnantibus erepto, nisi Rex protinus receptui signum dari iussisset: expectaturus scilicet tormenta grandiora, quæ à Zamoscio submissa, in suggestum tardius quàm pateretur dies reponebantur.

Obsessa Vrbe Douglassius apud Zakroczymum, inter Vistulæ ac Bugi confluentes, excitatis munitionibus loco tutus consederat; propediem venturi Regis Caroli aduentum præstolando. Is, dum mænia Varsauiæ è tormētis quatiuntur, ad exauditum sexto milliari fragorem, quatitur non minus Dux amore amens, quid si dicam, metu attonitus. Cordolium erat intra discrimina obsidij coniugem periclitari, (huc se illa cum prælustribus matronis fisa loco dederat) quod si resistit & fortiter locum tuetur Wittembergus, pro fragilitate sexus semiuiuam mansuram; si Poloni Varsauiam capiunt, potestati & ludibrio victorum relinquendam, & se maiore parte captiuum fore. Inter varia commenta liberandæ, quorum ingeniosus amor est, placuit literis experiri, vt si non gratuitò, saltem condicto lytro, ad virum vxor remitteretur, caro carni reddenda. Negotium susceperat Radzieiouius, Buthlerum Regni Succamerarium, multa sibi olim familiaritate deuinctum, eiusmodi scripto conueniendo. *Intermissa diuturnitate temporis cum veteri amico resumere officia, idq; in materia fauorabili, nec cuiquam nocitura; scilicet poscere, vt expiscari velit mentem Serenissimi Buthlerus, an ex vrbe obsessa, libera emissio Matronarum, seu (vt nomenclatura aulæ sonat) Damarum Sueticarum concessibilis sperari posset? interueniente per literas Serenissimo Principe Adolpho, Regis Sueciæ Fratre, eiusdemq; Exercituum Generalis.*

 ralis.

1656. *ralissimo. Id excelsæ indolis Principi ex commiseratione sexus fragilis prouenire, & virorum precibus tribuenti, vt quisq; pro dimidio animæ suæ solicitaret, Neq; suspicionem subesse, instrui ad exportandos thesauros decipulam, aut in perscrutandum coarctatæ Vrbis statum, commentum adornari: cum vanus ex vtroq; metus sit; nam præterquam quod pretiosa efferre vestigantium solertia non dabit, etiam intima quæq; de statu obsessorum, quotidianis nuntijs, aliunde certò certiùs ad Suecos perferantur. Quod si postulati æquitas, tum & requirentis Principis respectus. repulsam patiuntur, prorsus inhumanum factum, præter copiosam retaliationem, obsessos in contumaciam, Suecos in præsentissimam opem & vltionem, accendet & irritabit. Ex Castris apud Nowodwor, &c.* Ad ea Butlerus renuenti propior respondit, inter alia subjungens. Cùm Sueticæ Matronæ vt scribitur, tuto loco Varsauiæ habeantur, quid opus isthic eas in Castra abducere, apertum discriminibus campum, cum perfunctorium vallum murorum firmitudine, & consummatis munimentis debilius sit. Cæterùm se eiusmodi lenocinium deprecari, ne inter strepētia arma alienis amoribus cōciliandis, taliū rudis, subuenire necessū habeat. *Datū* Viazdouiæ. Expeditur interim pars Exercitus aduersùs Douglassium, qui famâ succurrendi, quàm numero validior, à Zakroczymo in rescindendum obsidium, intendebat magis quàm subueniebat. Ast vbi is munitionibus clausus subsistit, Casimirus in persona progressus cunctantis animum experiri, & iam in colloquiū, iam in pugnam prouocare constituit: ast bidui mora expectatus quin ex cauea prodiret, quia vires infra erant, multum ex pristino ardore remisit; qui se primò incursu Varsauiæ liberatorem iactauerat, ac inter confluentes fluminum, loco alioquin inaccessibili, videri maluit timidus, quàm infelix. Ita loci beneficio securum, ostentata acie reliquere Poloni, in nouissimum impetendæ Vrbis assultum, ab Rege reuocati.

Conti-

Continua quassatione tormentorum prostrato muro, 1656.
dum vasti hiatus (Bressam militares vocant) instituendo assultui sufficiunt, ad propositum prælij signum, rursus miro animorum ardore in oppugnationem itum, die vltima Iunij; sub adultam diem cæpta impresione. Ac primò Monasterium Bernardinorum inter densissimam globorum procellam nostri subière, quod trihorij spatio post complurium ab vtrinq; cædem, sed maximè euidenti Wittembergij, nisi se maturè subduxisset discrimine, Suecis ereptum; inde in exteriora arcis munimenta penetratum, tum demum ex pertinacissimo suggressu, quid sibi sperandum, quid timendum, obsessis conijcientibus. Altera Vrbis parte, ad aquilonarem Portam (Nowa) Dominicanorum cænobio contiguam, stationem tuebatur Weggerus; oppugnabat Ernestus Grothausē Tribunus noster: etiam Lithuani propè Paulinorum S: Spiritus templum, in valla, in fossas acerrimè nitebantur, hinc inde intermista peditibus Nobili cohortium iuuentute; sed maximè Castrensis illa lixarum turba, etiam hic, non numerosa magis quàm periculi insolens, succisis palorum ordinibus, exteriores munitiones inuadebat, repertis qui in summitate valli deiectis propugnatoribus, signa Lithuanica figerent. Plurimùm vtrinq; fusum sanguinis, notabiliore nostrorum strage, vt qui intectis pectoribus exciperent ictus, maximè è regione pyramidis Zigismundianæ, vbi ruinâ muri explanatam concauitatem valli putantes, in ima delabuntur, præcipiti casu afflicti, aut in abruptum fossæ labrum, ascensum molientes, telis hostium cum noxa deiecti. Non ideo tamen deferuescebat ardor; quoad rem seriò agi aduertens Wittembergus, qui nuper arroganter protulerat (*si dedere Varsauiam cogitur, abditis in sinum Vrbis clauibus, pulueris pyrij cado insessurum, & postquam is subiecto fomite succenditur, tum demum an dedenda ea deliberaturum*) iam nunc in diuersa animo inclinans, solicitudinem & curam salutis, per alia media retinendæ,

 agi-

1656. agitauit. Succumbente namq; quominus Vrbem retineret seu præsumptione seu fiduciâ, tumultus à Ciue, famis in milite metuens, incertumq; auxilium cum præsentissimo discrimine conferens, dum Suecus Rex in longinquo Douglassius non magis pro Vrbe quàm pro vxore audet nihil, iam deiectæ machinis operum loricæ, munitiones conuulsæ aut ereptæ, cominùsq; vallo iminent Poloni; insuper dolendam & ingloriam celebri famâ bellatoribus mortem subeundam considerat, vbi ab ignaua lixarum & seruitiorum manu intereũdum esset: hactenus contumax & in deditionem impersuasibilis esse desinebat expertus vim, & modestior castigatus. Ita demum metu spem superante, in prensãdam Regis Poloni clementiam inclinauit: cum ipsa dedendi aut pereundi necessitas eo plus adferet anxietatis, quò maius quod amitteret esset, Famam scilicet & opes. Illene palmaris Dux facinoribus belli tota Europa nobilis, tot coronis muralibus, obsidionalibus, tot victorijs & triumphis &c. clarus? iam nunc probrosam in formidinem mutatus vinctas manus daret? Quo nomine apud Polonos celeberrimi loci traditor audiet? aut qua fronte apud Regem Suecum comparebit? qui vtcunq; fidem & constantiam in tuendo loco absoluat, certè ingentis gazæ, & quæsitarum totâ Poloniâ opum, iacturam requiret. Sed vicit necessitas studium gloriæ, & huic iuncta Præfectorum militarium vota, vt non vltra obduratus Fata lacesseret Wittembergius; quanquam non statim eadem sentire prodês seu ostentando veteranus animo, seu vt rursum nouas in dedendum compellationes eâ morâ extorqueret. Vt verò elegit clementiâ victoris superstes esse, quàm pertinãciâ interire; emittitur occultiore portula Tubicen, qui amico clangore sisti vim ad sexhorium rogabat, quo temporis spatio, in deditionis leges conueniri posset, victoribus gloriosas, obsessis necessarias. Is, dum commissas preces exponit, non plus Ducibus cum hoste, quàm cum

tur-

turba Castrensi negotij erat, quominus ab assultu retraheretur: cæcorum instar in muros ferebantur, non imperio retentantium Tribunorum parentes, non signo in receptũ dato morigeri; deniq; non ipso creberrimo telorum nimbo retardati, quominus per fossas æquè eminentia valli, in aduersos niterentur. Egrè tandem vi cohibita, haud prolixum Casimirus deliberationi tempus superesse aduertens, geminam Suecis horam in discutiendam deditionem concessibilem edixit. Censebant nonnulli vim vrgendam, ac desertos ab animo & fortuna hostes, continuata impressione in extrema adigere. Diuersa placebant Togatis, etiam Regi, famam clementiæ semper fortioribus consilijs præhabenti. Hinc breuiter suo more protulit; pro eliberanda Varsauia se agere velle, non vt euerteret Vrbem, aut innocui sanguinis profusionem intenderet? quid enim saluum intus, aut integrum manebit, semel permissa ferro licentia? casuros Suecos iuxta & Ciues, hostes & innoxios, dicatas Deo personas, profanosq; incolas, sexum imbellem, & ignaram nouissimæ calamitatis infantiam, promiscuo excidio inuolvendam. Idem furor loca sacra inuaderet, non templorum opes, non publici thesauri, non priuatorum substantiæ effugient rapaces manus, deniq; non sine iacturâ propriâ sæuituros victores, viriliter de Fato deliberaturis Suecis, nec invlto sine mortem opperituris. Igitur armorum cessatione seriò indicta, ad discutiendas deditionis leges, intra præscriptum tempus bihorij (vbi diuturnior vetita mora) Sueci comparuêre: dumq; non vltra consultum videtur gladio ignem fodere, in tradendam Vrbem inclinarunt; emissis Adamo Weggero Gubernatore, & Georgio Forguel, qui conditiones dedendi in stipulatum deducerent. A nostris Andreas Trzebicki Præmisliensis Episcopus; Ioannes Leszczyński Palatinus Poznaniensis; Stephanus Koryciński Cancellarius delegati, qui demum cruentum recuperandæ Vrbis negotium, vna hora absoluêre, in eum modum definita 1656.

pacti-

1656. pactione, vel vt nunc vocant, capitulatione, quàm ob rei memoriam subiungo.

Illr: D: Campi Mareschallus Wittemberg, Legionum Præfecti Tribuni militares, ac reliqui Officiales &c. simulq; præsidium intro existens, ab Vrbe discedent, & tuto emittentur, hoc discrimine, vt natione Sueci, Thorunium deducantur; subditi Regis Poloniæ hactenus sub signis Sueticis merentes, sint in gratia prædicti Domini sui. Extraneis abire quo velint, aut seruitium mutare licebit. Post subsignationem articulorum, portæ Vrbis tradentur præsidio Polonico; simul Arx & munimenta omnia. Intra triduum Suecis commorari in Vrbe fas esto. Corpora defunctorum euehere, etiam res suas (seu habentiam) securè exportabunt. Quæ verò ex spolijs Regni quæsita, præcipuè ornamenta Ecclesiarum relinquentur. Vxores Suecorum dimittentur cum liberis: viceversa Polonas Matronas penes Suecos retentas, eliberandas spondet Ill: D. Campi Mareschallus. Tabulæ publicæ restituentur, captiui dimittentur, ac Varsauia ipsa omnis doli liberâ tradetur: insuper contra Regem Regnumq; Poloniæ neutiquam intra quadrimestre arma ferre cuiquam ex Suecis licebit. Talibus in stipulatum deductis, tradita Vrbs, cùm prius instrumentum firmassent sigillis ac subscriptionibus; Arfridus Wittemberg de Derben, Campi Mareschallus, ac Exercituum Regis Sueciæ Generalis, Comes in Nayburk, Liber Baro in Iltes, &c: Supremus Pomeraniæ Gubernator. Comes Ludouicus Louenhaupt, Senator Regni Sueciæ; Benedictus Comes Oxenstierna (hic morbo beneficium libertatis debuit) Ioannes Wrangel bellici consilij Præses; Adamus Weggerus Vrbis Gubernator, Alexander Erskien Excubiarum Præfectus, Laurentius Canterstein Secretarius status, Busisius, Schlangfeldus, Forguelius Tribuni &c: Præsidium dehinc Mille Ducentorum sub signis in Palatium Ossolinianum, die prima Iulij deductum ex pacto fuit suppeditatis in triduum alimentis. Wittembergus Arce excedens, in Prætorio Vrbis hospitatus, Tribuni per diuer-

sas

sas Ciuium ædes distributi mansere; interim Vrbis portæ acribus custodijs firmatæ, etiam mænia, nec cuiquam 1656.
sine permissu speciali, intro aut extra digredi licebat. Exacto triduo, præmoniti Sueci, itineri se accingunt: deducitur honorificè ad naues Douglasij vxor & filia; sequuntur Matronarum præcipuæ cum pedissequis & famulatu, mundum muliebrem deportante, tribuitur in viam pecuniæ quantum satis: reliquum fæminarum agmen, dum res vetitas surripit, aut contumaciter retentat, per appositã Portæ custodiam excutiebatur: quoad Scaphæ ei oneri destinatæ, pronò amne Thorunium versùs, turbam illam deuexerint.

Ast Præfectis Suecorum excedendi negotium magis arduum fuit, quàm vnquam sperari potuisset. In potestate vt manerent intercedebat Nobilitas, etiam Exercitus vtriusq; gentis, missis ad Regem delegatis, detinendos enixè postulantes, vnanimi vtrorumq; voto, etsi dispari ratione. Nobilitas præmissa receptæ Vrbis gratulatione, deprecabatur grauamen, legibus fieri, sine tertij Ordinis assensu nihil statuere permittentibus: nunc absolutè transactum de emittendis Suecis, sine scitu & assensu eorum, qui sanguinis prodigi, hostem in extrema vt Vrbem dederet, adegerint. *Iam verò expedire omnino Wittembergum Partium caput in potestate retinendum, vt qui paci semper infestus. etiam sublato Gustauo Adolpho Rege, Prouincias Romani Imperij mirum in modum conturbauerit. Is, Varsauiam loco distortam, situ informem, muris inualidam, architecturæ militaris gnarus, breui tempore in regulatissimum extulit munimentum; quid, si in Prussiam elabitur, sanè quæ modo lateritia est, siliceam redditurum. Si detinetur faciliorem ad pacis tractus Moschum reddi, vbi eius belli concitor & motiuum, in manu Polona hæret.* Hæc in speciem; ast pro maxima erat, quominus retenti Præfecti Suetici, vadimonium essent, pignoribus domibusq; Nobilitatis, à licentia militari & grauaminibus circa Vrbes præsidijs insessas, se-

curius

1656. curius habendis. Diuerſa ab Exercitu miſsi allegabant. *Specioſam Regiæ Maieſtati ex dedititijs clementiæ famam, ſed prius ſecuritati conſulendum, ne emiſſo in caput angue, error cõmittatur peior priore. Quid ſi alieni inuaſorem impunè dimittere nefas, & publicè noxio, ac innocui ſanguinis reo parcere, contra iuſtitiam fuerit? Experiretur ſanè hoſtium Dux miſericordiam Regis victoris, ſed finito demum bello, & in ſolidum reinducta pace; nunc retenta ſtipendia, ex ſpolijs Prouinciarum exolueret militi, quæ rapinis & ferocia eius depauperatæ, ſoluendo non eſſent. Exonerarent in viam Sueci infarta auro marſupia, incompetenter raptores ditantia, iuſtius inter emeritum militem diſtribuenda. Iactaſſe equidem Wittembergum (referente Forguello) omnem prædæ congeriem in profluentem Viſtulæ deiecturum, ne Poloni potirentur: eſto ſanè? faciat quod dixit, vt noſtra ſubtrahat nobis: etiam ex iure talionis eripere quod eius eſt, per iuſtitiam licebit, nempe libertatem. Sed omnia ille dederit, vt emiſſus iterum rapiat, eo violentior prædo, quia irritatus. Si verò Iuris in bello rationes valent, exiſtimandum eſt, merè armis & violento aggreſſu ſubactam Varſauiam, inde defẽſores ex iure belli captiuos, cenſeri oportere: qui ſi ad requiſitionem Regiam tertiò inſinuatam Vrbem tradidiſſent, tum demum integrè omnia ſeruari dedititijs conueniebat. Inſuper, ſi in poteſtate habitus Wittembergus fidem violatam queritur, refricet memoriam, quomodo in ſimili deditione Cracoviæ, & poſt in ſtatiuis Seuerienſibus Wolphio eam ſeruauerit: & huic Caſtellano Kijouienſi, niſi dolum ſubodoratus eluſiſſet.* Talibus Nobilitatis ac Exercitus poſtulatis, haud exile addebat momentum turbæ Caſtrenſis importunitas, cùm fortè equitanti Regi frequentiſsimi occurrentes, operæ & ſanguinis fuſi pretium, quod incitando feruori daturum ſe Rex promiſerat, moleſtiſsimè repoſcerent. Precum ſumma erat, *exhiberetur pecunia ob rem benè geſtam promiſſa; aut Duces hoſtium pignoris loco traderentur; qui ſi Lytrum exoluere detrectant, in priſtinum ſtatum & locum reponantur Varſauiam, iterum à ſe op-*

ſe oppugnandi. Quod ſi iuſta requirentibus negantur, ſexaginta Millia virorum in promptu expectare, qui euolutos naſſa Suecos, reſarciandæ tot commilitonum iacturæ, intercipiant abeuntes. Nec in terrorem compoſitas minas apparebat, 1656.
paſsim famulitio in globos coëunte, qui in emiſſos, Varſauia ſeu terra ſeu flumine, Suecos durius aliquid decernerẽt. Itaq; in craſtinum Rex deliberauit, anxius planè, quæ promiſiſſet reſcindi: rurſus infallibilem tumultum metuens, & alienandorum Exercitus animorum conſequentiam. Etiam Sueci vbi denuntiata neceſsitas erat, ambiguam libertatem & euidentiſsimum diſcrimen perpendentes, ſæuienti procellæ ſubduci haud ægrè tulêre, aduertente ſub tempus impreſsionis Wittembergo, quàm infrænabilis cõtra Ducum imperia multitudo eſſet, multo magis vniuerſo Exercitu detentionem ſui poſcente. Itaq; ſecuritatis obtentu, neceſsitas manendi Suecis denuntiata; demum remiſsi Zamoſcium, deducente Nicolao Oſtrorog Drohouiſsenſi Præfecto, vbi pro liberalis hoſpitij modo, accepti tractatiq; fuêre.

Recepta Vrbe, Rex in templo D. Ioannis, decantato Hymno Ambroſiano, ſupremo Numini grates egit, crebro tormentorum boatu lætam ſibi recuperationem loci teſtatus. Præda interim quæ hìc ſanè ingens à Suecis compilata, recenſebatur; credita excedere gemini Millionis pretium, niſi vt malè parta ſolent, immenſa illa mobilium cõgeries, inter manus recenſentium, planè diſparuerit. Prima cura iniuncta Commiſſarijs à Rege deſignatis, Eccleſiarum opes ac paramenta ſecernere, in primæuum diuini cultus vſum reſtituenda; quibus ab Exercitu legionatim adiuncti, qui ſimul pecuniæ paratæ rationes ineundo, metallorum valorem per æquipondia cenſendo, cimmeliorum aut automatum pretia æſtimatione ſubducendo, immenſæ gazæ ſummam conſtituerent; quominus manubiæ eæ calculo ſubiectæ, iuſta partitione in benè meritos diſtribuerentur. Quod dum ſegnius procedit, & miles certũ

1656. donatiuum exinde præſtolatur, interim ab occulta aliqua arithmetices vi, farrago illa velut nix à ſole inter manus recenſentiũ contabuit; poſtea ob interuerſam Gazam querelas militarium ſuperuentus Sueci Regis abrupit. Vnde fortè euenit, vt famulitium Caſtrenſe ad vſq; tumultum peruicax, & promiſſam impenſæ in oppugnatione operæ mercedem, ab Rege repoſcens; vbi eludi aut differri poſtulata ſua aduertit, in inſtitores Caſtra ſequi ſolitos, Armenos præcipuè vi facta, res venales merceſq; ingenti miſerorum damno diripuerit, ex recepta Vrbe lætitiam, & deploratas negotiatorum fortunas conturbando: eâ rapientium proteruiâ, vt Campeſtrem Ducem Landzkoronium, ſedando tumultui accurrentem, lapidum iactu impeterent, ac penè furibundi violarent. Nec diu cum aliquot Prouinciarum Nobilitas, pro abitu apud Regem inſtitit: nonnullis iuſto prætextu, aliquibus perperam domuitionem tunc requirentibus, complures in perdurandum neceſſaria deferente conſtantia. Etſi in dies victus penuria præſertim in tanta hominum multitudine inuáleſceret, & Caſtrenſibus morbis plurimi ſtrati viſerentur, cui malo in remedium, ſuperfluo onere caſtra releuare Rex decreuit, ijs maximè Prouincijs in abitum diſpenſatis, quæ per fortalitia crebrioribus Suecorum præſidijs ſtringerentur.

Apprimè ad rem Romanus ſapiens. *Plaga quæ languidos animo deijcit, ſtimulũ fortibus addit, ac plerumq; deſperatio, ſpei cauſa eſt*; repercuſſa ab ictu pila potentius reſilit, & validiores ictus habentur irritæ neceſsitatis. Etiam Rex Suecus quantum ſibi eſſet, animi contra Protectionem excutientis Poloniæ conſenſum, infractus monſtrauit. Nihil quippe moratus enixè pacem ſuadentium Cæſaris Ferdinandi, ac Galliæ Regis Oratorum rationes, ad curas proſequendi belli verſus, quidquid ex Suecia aut Pomerania militum conquiri potuit, ad ſe euocauit; in vicinam Germaniam, quâ Balthico mari adhæret, etiam Scotiam ciendis ſubſidijs trãſmiſſâ pecuniâ. Oliuerius quin etiam Cro-

muell

muell Angliæ Protector, non modo certi ſuccurſus ſpem fecerat, ſed inſuper ne Fæderati Belgij Ordines, immiſcerent ſe rebus noſtris, eiuſdem inſtinctu factum fuiſſe conſtitit. 1656. Solicitatus, quin etiam per legatum Bilkium in fædera Moſchus, ſi modò inter elatos, ac aliena cupientes, ſincera amicitia coaleſcere poſſet. Sed non aliunde præſentius auxilium, quàm ab Electore Brandeburgico, vt cui opes in promptu ac vires, quantùm bello opus, ſufficerent: deniq; nihil quærendæ opi, intermiſſum; iam cælos flectendo, vel deniq; mouendo & acheronta: ſiquidem patuit (quod vix credibile, niſi euidentia documenta fidem facerent) eo iræ ac vindictæ impotentiâ magnanimum Regẽ prolapſum, vt ſubditorum Polonorum in dominos, ſeruorum in Heros, latronum in innoxios, cædes & homicidia publicatis edictis prouocaret, propoſito ſeruilibus ſiccis præmio, & patratorum impunitate. Atrox conſilium eo reſpiciebat, vt quæ afflicti Regni fortuna, per vniuerſalem gentis concordiam aſſurgere viſa, confuſis per interna diſsidia animis, exitiabili commento diſtraheretur. Quod tamen improbis ſuadentium ſuggeſtionibus, quàm generoſo bellatori, adſcribere par fuerit. Huius edicti nequaquam regij exemplar, Adolphus Tuldenus Germanus ſcriptor typis euulgauit, ſubſcriptione manus Regiæ firmatum, ac datum ex Arce Mariæburgenſi, die 8ua. Maij Anno 1656. ſub ſigillo Regni Sueciæ. Tuldenus Fol. 194. Contraria iſtis Caſimirus per Regnum publicari voluit; qui partes hoſtium ſecuti, ſingulis clementiam, omnibus amneſtiam ſeu obliuionem præteritorum offerendo; nimirum, quantùm Carolus per extrema ferociæ à tramite æqui deuius, tantùm ille per media clemẽtiæ, & paterni in ſubditos affectus operaretur: vt iam palam eſſet quid inter benignum ac legitimum Principem, ác eum intereſſet, qui perfunctorius & titulotenùs Protector, in tantùm ſaluam Poloniam vellet, ſi modò occupatam, pari arte & quæſitis ex Machiauelis cerebro rationibus, poſſeſſor retineret violentus.

T 2 Explo-

1656. Explorato in procinctu Suecum adesse, & quidem iam apud Płonsko Electori Brandeburgico iunctum, nihil magis quàm in occursum tendere. & decretoriam belli aleam iacere velle; consultauêre protinus nostri, obviamne ire? & obiecto Equitatu per oram commeatu destitutam distinere ruentem? an verò, quod potius visum, intra Castra operiri; ne in victum & pabulum congesta temerè relinquerentur; etiam si campo depelli contingeret, exhiberi firmum intra valla & munitiones Castrorum receptum apparebat. Sub hæc, dum superueniunt vlteriore Vistulæ ripâ hostes, etiam Casimirus nihil moratus cum Exercitu trans flumen descendit, rebus ordinandis ac disponendæ aciei intentus ipse, & quanquam febri langueret, vbiq; pernici equo ad extensos ordines accurrens: vt cuiq; Tribunorum vultu, verbis, impetu, in viriliter agendum hortator egregius. Par Caroli ardor, vt qui conflictum destinans, instructa acie ingruebat: serie & ordine eiusmodi. Situs loci ad Pragam in protensam planiciem vergit, Vistulâ dextro latere prælabente: ab læua hinc inde cænosis traiectus, ex interuenientibus riuis, etiam arenarum cumulis assurgentibus. adhærebat planiciei rariore quidem pinu sylua, sed quæ humilibus arbustis impedita, tegendis insidijs planè commoda esset. In fronte substitit Rex ipse nescio fortuna an animo suo spectabilior; procedebant præsentem non solum rutilantia arma, & ab humero coccineus fluentis tæniæ color, sed vigor ille indolis vultusq;, quê in breui confinio summæ vel extremæ sortis, diuersi affectus incendebant. Adhærebant lateri Philippus Sulcbachus, ac Carolus Badensis Marchiones; Weymariensis & Anhaltinus Duces; Henricus Horn, Bannier, Millerusq; Tribuni Suecorum &c. sinistro cornu cum imperio præerat Adolphus Princeps, Exercitus Generalissimus; Robertus Douglas Equitum Magister, Mareschallum campi appellant; Boguslaus Dux Radiuillus, Rolambus, Engel, Tauffe, Izrael, Bullouius &c: A dextris per adsita flumini Ele-

Elector processit, latâ nominis famâ, & grauior nobis ex amico hostis, qualiter generosius vinum, acrius acetum producere solet. Comes Waldeccus in Electorales summam imperij obtinebat, Ottone Sparrio, machinis Præfecto, Cannebergo, Erlero, Heylio, &c: Tribunis, præter subsidio missos à Carolo, Gustauum Wrangel, Tottum, Botycherum, ac permultos alios ordinum Ductores. Casimiri Exercitum in prima acie conspiciendi Duces regebant, Stanislaus Potocki Generalis, ac Landzkoroński Campi Dux, cum imperio Regis vbiq; præsentis: medio aciei locatus cum Quartianis Czarnecius, Regni Vexillifer, Sobieski, coronatum nunc Caput, Demetrius Dux Wisniowiecki, Ioãnes Sapieha, Martinus Zamoyski Dapifer tunc Leopoliensis, alijq; multiplici linea alarum Ductores: Sinistrum cornu Campestris Lithuanorum Dux Gasieuius moderabatur, cum Hilario Połubinski, ac Michaële Pac: altero Duce Paulo Sapieha, dum ardentius in campum prosilit, lapsu equi crus pedis enormiter luxante: dolenda bellatoris eximij iacturâ, ac sinistri euentus præsagio planè considerabili. Sensim vt acies Suecorum in hæmicycli formam extensa procedebat, simul Casimirus oculis flagrans, & verbis, (*in nomine Domini*, vox ab ore assultum imperantis excepta) signa inferre præcepit; vbi post breuem velitationem, confestim incitant vtriq; equos, ac illato gradu aduersos premunt acerrimè; nostri cursu effuso, pedetentìm illi, & cum maioribus alis inueherentur Poloni, concisis solummodo ac particularibus cuneis, vim Sueci repellebant. Cognitum ex captis ea pugna, sub prælij exordium, Synklerum Tribunum Sueticum, è tormento primo globo percussum cecidisse; illum scilicet machinatorem, qui nuper subiectis pulueris pyrij cadis, arcem Sandomiriensem euertens, complures nostratium pro sepultura conuulsæ molis inuoluit ruderibus; vt ipse quoq; igne noxius ab igne perimeretur; neq; enim lex iustior vlla est, quàm necis artifices arte perire sua. 1656.

T 3 Landz-

1656. Landzkoronius læuo cornu conturbando, pediti qui ripæ admotus ſtabat, in Electorales illatus, primos aciei ordines in prælium traxerat, vbi non pauci ſcloporum iactu proſtrati aut ſaucij ex noſtris, quoad cominùs obiectu pectorum inuicem cohærentes, noxios à manuali ferro intentarent ictus, ac depulſi propellenteſuè, & diu neutri victores, ambiguo euentu colliderentur. Succedebant Haſtati (Huſſari) laxatis habenis ſariſſas contorquentes, qui dum præter ineuitabilem ſpiculi ictum, equorum impetu integros ordines Suecorum diſturbant, tum demum frons hoſtilis agminis commoueri, fluctuare ſigna, ac multorum miſerabili caſu turbari acies, dein tumultuario recurſu ad ſyluam ſe recipere cæpit; quæ haud denſis arboribus conſita, integros recedentium ordines intro admitteret. Sic retruſos rurſus Loricati vrgebant, breuioribus pilis, ſed maximè ancipiti ferro ſub ipſis ſignis concidendo, vnde tam validè inconcuſſa conſternatio Suecis, vt ferox ille & pugnandi auidus Rex, ſuſpectâ prælij fortunâ aciem ſubducens, breues dirimendo conflictui inducias (Quartier) per Tubicinem flagitauerit. Id verumne, an pro vſu præſenti vulgatum, haud affirmo; in extremis tamen ſecus inclinantis aleæ, vt ferro parceretur poſtulaſſe, multorum relatione firmabatur; vel ex ipſius neceſſitatis ingenio veriſimile, quominus præſentiſſimum diſcrimē ſi non eludi, ſaltem morâ differri poſſet. Nox quippe ingruebat, rebus deſperatis ſæpius non incommoda, Carolo tunc opportuna, quâ in ſequentem lucem reparatis tenebrarum beneficio animis, etiam ordinem aciei corrigeret, ac ita fauentiora aſtra experiretur. Quod & factum, veriti namq; Sueci ne Scythæ (quorum ſex Millia aderāt) extrema aciei circumuecti à tergo pugnantes adorirentur, occupato in proximò arenario colle, mox de nocte ſubitarias excitauerant munitiones aliquot, firmius retinere campum peditum præſidio certi, & commodius in ſubeūtes ex machinis iaculaturi. Interim audire erat, quantum per fre-

per fre-

per fremitum acierum licuit pſalmodiam Dauidicam concinentes, ſub diluculum Sabbathi: cum ferè apud quoſcunq; mortales, ibi præcipuus colendi Numinis affectus exuberet, vbi ſalus nouiſsimè periclitatur. Inſecuta die iterum Poloni Duces prælium adornabant, dicto ocyus, dum ſigna proferuntur Rege deuolante. Quippe is ſuo more à pietate orſurus certamen, ad Pragenſe Bernardinorum cænobium deſcenderat, vbi ſub tremendum miſſæ ſacrificium, ſalutari Chriſti corpore paſtus, mox ad opus belli reuertebatur, ſuis ad rem ſtrenuè gerendam hortator, & niſi collaterales inhiberent, periculi ſocius. Non vſquam illuſtriori virtutis argumento certatum, non peruicaciùs locum retinuêre partes, ſtataria pugna à manè in poſt meridiem perdurante; iamq; iterum ſiniſtro Suecorum cornu in paludes reiecto, haud ambiguè victoria ad Polonos inclinare videbatur, cum Douglaſsius cum Hornio Equeſtres alas ſenſim contrahendo, ac ad pedeſtrem aciem vbi Electoralium potiſsimum robur, ſemet acclinantes, munimentum ponti qui in Vrbem duceret præſtructum, ſumma vi inuaſêre, Suecis interim cum Rege, machinarum ictibus Equeſtrem procellam diſtinentibus. Pontem binæ legiones peditum tuebantur, his ſubuenturus Generalis Potocius occurrit Douglaſsio, & repellitur; Prouolant in ſubſidium Quartianæ alæ, à latere impetendo hoſti deſtinatæ, ſed reijciuntur; deniq; ſubmotis legionibus munitio cuſtos pontis occupatur, cæduntur ſtationarij, machinæ rapiuntur: inter quas fuit duplici boatu, & rarò caſsis ictibus famoſus Draco. Intellexit protinus lancem fortunæ inclinari Suecus, ac nouiſsimas in conſummandum opus vires exerens, pedetentim campo potiebatur, ſiniſtrum latus ſuorum reſpectans & erigens, quod etiam tunc à circumemiſsis Lithuanis, & Scythis permeretur. Ergo conſummandæ victoriæ properus hùc Equitum nucleum rapit, & contorto in obuium Signiferum ſclopo, cuiuſuis contemptor diſcriminis in medias cohortes 1656.

tes

1656. tes Polonas se se inijcit. Sequuntur Regem Sueci, dubium pro victoria acrius, an pro salute periclitantis Principis pugnaturi, nec tam in Polonos odio peruicaces, quàm pro sua ipsorum si Rex non euadit incolumitate, in subsidium prægresso ruebant. Quorum diu sustentato impetu Lithuani, demum dextro cornu euentum prælij nutare conspicientes, & ipsi gradum obuersis signis ad reliquum Exercitus corpus retulêre. Insigne hic strenuitatis specimen in oculis Exercituum exhibuit, Iacobus Kowalowski ex Regia Hastatorum cohorte miles, quàm Hilarius Polubiński Campestris Lith: Notarius ducebat. Sub æstu prælij designauerat inter primos ordines Carolũ pugnantem, eumq; ex fulgore armorum & signo præferri solito conspicuum, oculis sequebatur. Ergo dum cohors in aduersam aciem hastas vertit, suam iste subditis equo calcaribus in pectus Regium contorquet, acuminata teli cuspide, nullum non ferri obiecti munimen ruptura. Prope erat vt metam contingeret, nisi in ipso memorabilis ausus limine, sola morte quàm contempserat sisteretur. Quippe nobilem audaciam stupentibus Suecis, aliquis collateralium (multi factum Boguslao Radziuillo imputauêre) fortè tunc adequitans Regi, impacto in caput irruentis sclopo, generosum militem in procinctu quod destinauerat facinoris, haud fallente ictu prostrauit. Iaculandi dexter, ne tunc quidem à meta aberrauerat; corruentem (vt vno tenore subiungam) alleuari Rex iussit, dumq; vulnus cerebro profluente in mortem sufficit, sciscitatus quis & cuius dignationis esset? ac hallucinantibus qui astabant, tandem infit. *Quisquis ille fuerit, etsi de nomine non constat, certè fortissimi militis virtus, vel mestæ gloriam sæculi meretur.* Mox contractis in speciem mirabundi humeris. *Quod si (inquit) mihi virorum eiusmodi vel X. Mill: forent, quàm non solùm Turcam, sed vniuersum Orbem facile sperarem subigendum.* Ac quominus etiam in hoste fautorem strenuitatis ostenderet, corpus impo-

poni vrnæ, vrnam serico villoso inuolui, ac in cænobium Bernardinorum Pragense deportari, accitis quotquot haberi potuêre Sacerdotibus, inibiq; Catholico ritu tumulari mandauit. Haud iniquus virtutis, quàm suo malo propè expertus, æstimator Rex. 1656.

Et Kowalouius quidem. Non poterat Fato nobiliore mori. Neq; Historia Suecana insignem ausum reticet, impetiti hasta Caroli Regis discrimen referendo ijs verbis. *Cum Rex ab Hussaro conto peteretur, cuius ictum gladio elusisse, mox implicitum Regij equi frænis, sclopo traiectum, equo deiecisse perhibetur.* Adeste ex Arctoo Orbe Aristobuli, Magnus vester Elephantem mactat! sanè autor, si fulguritum se aliquando, & obiectu pilei ictum fulminis auertisse, magis verò simile scripserit; quàm hastati militis cõtum, concitato equi cursu impulsum, ense retundi potuisse: nisi fortè, quod Olaus Magnus prodit, foueri à Suecis phædros, hinc auertendo fulmini credibile amuletum, inter hos, & turbatores illos äeris Spiritus facili Sympathiâ. Sed Loccenius eius Historiæ autor, intra Vpsalensem Peripathum totâ vitâ degens, sic de bellis vt Antiochi Phormio ille, quæ non vidit differit; cùm tamen Sallustius vt bellũ Iugurtinum aptiùs describeret, in Africam nauigasset. Et parcat velim, æs velut Dodonæum tinnit magis quam narrat, mera inferens paradoxa, aliquando & somnia Scipionis: dum pugnas non pugnatas confingit, sequiore Marte suorum initas reticet, loca nominat quæ non nouimus, arces, montes, flumina appellat, quæ non extant; quod magis veritati dissonum, Exercitus Suecorũ raptat, vel centum vna die Milliaribus, tum demum infestissimo calamo prosternit & iugulat Polonos sine numero; quibus si ad præscriptum sæuientis autoris Suecorum ferrum nocuisset, rariores hodie in Polonia viri, quàm in conclaui Domitiani muscæ reperirentur. Sed hæc intra Parenthesim. Loccenius Fol. 788.

Nox rursus diremit partes, nouissimam decretorij certaminis aleam, in tertiam diem suspendente fortuna, ac ve-

1656. lut ideo differente, vt diuturniore pugna consummata victoria maturesceret. Ast iam (quod ingenuè fatendum) pridianus vigor remittebat in nostris, languescebatq; sensim fessus bidui prælio miles, vbi iugis periculi tædet, & suæ conscius celeritatis Eques, omnimodam præuidet ex recessu securitatem. Contra Sueci in continuandum certamen obdurauerant, certo si retrouertunt pedem exitio, & nouissimam salutis in armis fiduciam reponentes. Itaq; vbi fluctuare aciem nostram animaduersum, sensim campo quo heri reiecti, ac in speciem mobilis valli seruatis ordinibus procedente acie, institere; nisi quod in eiaculandum machinis locum & spatium dando, modico recessu agmina, per interualla diuiderentur. Sic, dum Okuniouum Poloni abeunt, incruenta obtigit Suecis victoria, famâ quàm fructu maiore: quæ eosdem nec cæde nec præda adeo extulit, maturè subductis Castrorum impedimentis; nec vltra Mille ex Equitatu nostro in acie desideratis: notabiliore peditis iactura, cuius tres cum signis simul legiones in potestatem hostium venêre; aliquo item apud pontem pugnantium, aut transflumen eluctari contendentium discrimine, vbi ruentis turbæ onus ægrè sustinet moles, vel ob angustum tabulati spatium, se ipsos conferti in aquas protrudunt. Hîc, Generalis Potocius, quo fugam inhiberet accurrens, dum cohortes proximas hosti objicit, grande vitæ periculum subijt, in ipso pontis aditu repulsus, & inter cæcam traijciendi festinationem, magis à præmente turbà, quàm ab hoste periclitatus. Enituit hîc vt vbiq; semper laudabilis Sandomiriensis Nobilitatis strenuitas, quæ aliquot Palatinatibus post captam Varsauiam domos digresis, sola cum Lublinatibus, & Belzensibus remanens, eo prælio non obscuram Patriæ nauarat operam, Martino Dembicki Vexillifero, simul & Palatinatus Ductore; qui apud pontem Generali acerrimè pugnanti succurrens; & ipse casum ægrè euasit, desideratis è commilitio Ioanne Rogowski Signifero, ac Petro Piasecki Pocillatore

latore Nouogrodense, cum septemdecim commilitonibus. 1656.
Quin etiam cæcidit ex præcipuis Palatinides Rauensis Olbrachtus Ładzic Lipsky; tum Ioannes Odrowąz Pieniązek Woynicensis Castellani Wielopolscij Optio, medio in æstu pugnæ machinali globo calcem pedis atterente, enormiter saucius: qui tamen vitæ discrimen quod sanè ingens fuerat, medentis peritia euasit. Specioso ad posteritatem vulnère nec officiente, quin ex commendatione virtutis & meritorum ad curulim Senatoriam Palatinatus Siradiensis perueniret. Suecorum vltra tria Millia cæsa, iam partium asseclæ Poloni narrabant, ne ipsi quidem hostes inficiabantur; Tribuni Horn Equestri funditus excisa legione, & arenario colle illo, quâ statio pediti cum Bulouio, tum pinea sylua quaqua versùs tumulis sepulcrorum exaggerata. Soluta demum in regressum acie, modicùm instirère abeuntibus Sueci, in insequendum haud peruicaces; cum Quartianæ cohortes, subinde, velut in receptum obuerterentur; & Scytharum globi vltra teli iactum circumcursantes, iterandi prælij, aut certè insidiarum, gnaris artium belli, metum inijcerent. Sub noctem præteritam Casimirus ad Ludouicam in Vrbem miserat, quominus anteuertendo casum quantocius abscederet, suspecta belli alea: securiorem fore abitum præmonens, improuida mansione. Cui nuntio præsumptâ victoriâ, dimoueri indignata respondisse fertur Regina, *Si inquit Rex cum tanto exercitu, Varsauiam domicilium Regum deserit, ego locum cum imbelli Gynæcei cætu, vel prehenso pessulo retinebo.* Ægrè demum, Stephano Wydzga Cancellario, necessitatem abitus prolixè demonstrante, vt in viam se daret vix suaderi potuit, directo Czestochouiam itinere: cum Casimirus Okunioviæ in tertiam ab abitu diem subsistens, inde demum Lublinum versus pergeret, Ducibus sparsas cohortes recolligentibus. Neq; Suecis diu in loco hærere & victoria frui vacauit, non amplius triduo Varsauiæ commoratis; & in Prussiam quantocius regredi destinante

1656. stinante Carolo, vbi eum noua belli moles retraheret, à Moschorum Exercitu Rigâ obsessâ, & tota Liuonia cum adiacentibus, insperata hostilitate concussa.

Ludicrum est quod subiungo, quia tamen factum in conspectu Regis contigit, pro plebeio censeri non debet; ac insignes actus, nullo personarum delectu memoriam & laudes posteritatis merentur, ideo haud inuitus subiunxi. Varsauiâ Cracouiam tendens Carolus, Radomiæ non ignobili oppido pernoctaturus in domo Adami Gaska viri probi & Consularis substiterat: vbi iam à cæna deambulatione, iam tepidiore aura sub vesperam præustum ardore solis corpus refocillaturus, extra ædes prodierat, amicis, Proceribusq; militiæ septus: nec deerat recentibus à bello colloquendi materia, Poloniam velut cum Triumpho peragraturis. Fortè accidit vt mulieribus duabus grandiorem aquæ hydriam supportantibus, aliquis Succorum militari licentia transeuntem alteram minus honestè contrectasset. Quæ magis pudori suo quàm alienæ libidini amica, nihil cateruas militum, ne ipsius quidem Regis præsentiam morata, in tentatorem pudicitiæ suæ protinùs irruens, rotato validè vna manu vecte, repetitis plagis egregie mulctat, vt toto foro refugus, turbæ Regem circumstanti se se immiscere debuerit. Tum Rex conspecto disparis sexus certamine. *Quid inquit Amazon ista iterum in Suecos pugnat?* Demum vbi cognoscit læsum pudorem vltum ire, quassato capite. *Ne hoc quidem sub me, & post victoriam licet.* Itaq; seriò admonitis Præfectis, quominus modestè miles & sub disciplina haberetur; accersiri mulierem iussit, quàm robustam & lacertosam aduertens, intermisto risu ad familiares infit. *Si viros ista parit, certè Suecis hostes formidolosos.* Simul aliquot vncialibus nummis donatam dimisit. Speciosiore quidem Lucretiæ exemplo, quod violato corpore in se ipsam ferro sæuierit: magis ingenuo Radomiensis animo, quæ temeratorem pudicitiæ ante factum, fuste admodum masculè vlta est.

Non fauentiùs in Minore Polonia rebus nostris aspirauit fortuna. Gubernator Cracouiæ Wirtius exquisita pro retinendo loco agebat sedulitate & vigilantia; nec solùm Vrbi quâ muris includitur attendens, etiam circumiectam oram emissis suorum turmis in officio continere annisus. Insidebant Succorum præsidia circa Cracouiam arces, Landzkoronam, Tęczynum, Wisnicz, Pilca, Ociec, Pieskowa Skała &c: quibus velut exterioribus munitionibus, circumdedisse Metropolim, pars securitatis censebatur: fræno in manu Gubernatoris existente, ne Nobilitas vicina calcitraret. Hinc angebat Prouinciales ijs arcibus ac si compedibus stringi, dein presso diu odio prouocabat in vindicias, interceptæ libertatis dolor. Et Dembinium quidem Neocorczynensem Præfectum, Wirtius, in omnia momenta & commenta intentus, dissipauerat ad Mogilam, quod supra attigi, eo si dici meretur stratagemate. Impulerat Parthenum aliquem, delectus militares apud nos dudum cogere solitum, vt transfugio simulato, quid demum Prouinciali Nobilitati consilij & animi esset intimè scrutatus, Gubernatori referret. Annuit homo nequam, & in scelus facilis, imposueratq; aptè fallendo, vt crederet Dembinius, sincerè partes hostium abdicasse proditorē: cum subinde Decurio Vrbicus Karkutowicz, statum Vrbis secretis literis exponens, inter alia præscriberet. Mandato Casimiri Regis Hieronymum Wirzbowski Palat: Brestensem, apud lateritiam Zakrzow officinam, cum euocato ad colloquiū Wirtio, de tradenda Vrbe egisse, sed abnuere Præfectum; apprimè proin opportunum videri, si ab extra vis admoueatur, quippe deforis insonantibus armis, neq; Ciues sibi defuturos, ac geminatis spe, metuq; deditionem promptiùs maturatum iri. Alacris talia accepit Dembinius, & iuuenta doli incuriosus, conuocata Nobilitate, iam proditoris assentantis, vt falleret, narrata retulit; iam Karkutouicij literas patefecit, demum quominus incitaret animos, inter hilaria mensæ ad strenuos

1656. pro Patria ausus in crastinum inuitabat, promptus in ardua, si plus circumspectionis in ea hostium vicinia adhibuisset. Quippe florentibus vino animis, raras aduertens excubias proditor, intempesta nocte vnum è suis mittit, Wirtio relaturum: Belli furto opus esse, dum immodica hilaritate solutos Nobiles altior crapula consopijsset. Oppressurum nullo negotio semisomnes, & in partibus noctè illatos metus geminaturam. Nihilo segnius vtitur indicio Gubernator, eductisq; cum expedito pedite Equitibus ac aliquot machinis, sub mediam noctem superuenit incautis. Tum verò quidquid ad augendum terrorem valet, Tubas & tympana strepere, è sclopetis detonare, castraq; inopino assultu inuadere aggreditur; cum inconditus clamor, & horrenda nocturnæ impressionis imago, in somno marcentes suffecisset. Inualescente tumultu, aliqui arma corripiebant, peditatus Mussinésis præcipuè (hic iussu Gembicij Episcopi Cracouiensis ad tercentum aderat) primo assultui sustinendo: ast dum alij sopore confusi, alij semiermes se ipsos inconditè premunt, maximè quod destituti equis, sub noctem ad paschua dimissis, neq; pedes pugnare assueti, nullo negotio dissipati sunt, facili per tenebras ex semisomni agmine victoriâ. Currus pleriq; cum supellectili intercepti, etiam ipsius Dembinij cum graphiario argenteo, intra quod seruauerat epistolam Karkutouicij, de statu Vrbis perscribentis: hinc indicem, quod is arcana obsessorum enunciaret, captum, ad torturasq; conscijs prodendis damnatum, admodum afflixêre Sueci; simulq; Wirtius patescere arcana indignatus, grandē mulctā Vrbi indixit, iterato Ciues iuramento in obsequium adegit, vltro citroq; à domo vagari inhibuit, arma abstulit, suspectos obsidium loco ad se euocauit, deniq; rigidus commissi muneris inspector, pensionem in milites (Serwisz) duplo maiorem quàm ante exegit; ac quo in terrorem, auctum Vrbis præsidium monstraret, clam de nocte Equites emittens, eosdem de die tanquam recens submissos, per

pla-

plateas Vrbis circumduxit: quod ne figmentum ostentatione solùm cōstaret, alimoniā in aduēticios multiplicauit, intenditq; contributiones solitas, tanquam augescēte præsidij numero, necessariam auctionem annonæ requirens. Ac ad vsq; loca Deo sacrata, profani hominis extulit se animaduersio. Definitus templis Sacerdotum numerus, imperata pecuniarum collatio, vetitæ pulsari campanæ, impositumq; pretium, nisi redimuntur, in machinas reflandæ. 1656.

Quin etiam Vniuersitatē seu Academiā Cracouiensem communis calamitas perculit, nihil morantibus prærogatiuam literarum, & fidem Regis sui Suecis, quâ is omnem indemnitatem Nobilissimo Regni Gymnasio, cauens, etiam ab onere qualiumcunq; contributionum eximi voluerat. Præualuit demum pacto cupiditas, imperatumq; fuit lytrum Academicis, eius oneris per priuilegium immunibus: tum vt in nomen Caroli fidem iuramento astringerent, sub Rectoratu Adami Roszczewic Canonici Cracouiensis, imperioso Wirtij mandato adigebantur. Insolitum id, imò planè barbari moris, eiusmodi nexu obstringere ingenuos homines, præcipuè literatos: solenne apud Suecos quoscunq; ad dicendum Sacramentum vocare, vt ne postremum ex gregarijs reperias, qui non Numine teste in militiam Sueticam iuratus nomen dederit. Importunam Gubernatoris requisitionem, aliquantò rationibus, etiam precibus dilatam, dum Resp: ista literatorum subterfugere nequit, consultis Rector facultatum Professoribus, vbi vnanimi omnes assensu, Peripathum suam ac scientiarum domicilium relinquendū decreuêre satius, quàm vt fidem Ecclesiæ & Regno debitam, noui Iuramenti nexu prostituerent, conuellerentq;. Itaq; Collegijs ac Contubernijs, in tutellam Magistratus Vrbis resignatis, exiuêre cateruatim Vrbe Academiæ alumni, à condito demum Gymnasio altera vice pulsis in exilium Musis: primò sub Augusto ob cæsos scholares disgratiatæ, iam nunc à Suecis indigna Iuris-iurandi extorsione, veteri sede

motæ

motæ & expulſæ. Excellentiſsimum me herculè, & Ethicis perquàm correſpondens aphoriſmis factum; cum bonis literis pietatem in Deum, ſimul inconcuſſam tuendæ Patriæ conſtantiam, nobili exemplo Iuuentutem Polonam doceri.

1656. Michaëli dein Zebrzydowſki Regni Enſifero, detulerat Rex Caſimirus munus attendendi Cracouiæ, in id vel maximè, ne prorumpentes Suecorum globi circumſitam ditionem popularentur. Fortè Eduardum Rokiebbi natione Anglum Zebrzydouij familiarem, Sueci interceperant, à quo vt edoctus Wirtius, Enſiferum ſibi antagoniſtâ opponi, mox anteuertere recentis æmuli conatus decreuit, ac perfecit. Ad diem X. Auguſti Zebrzydouius cum pleraq; Nobilitate ad Tynecium Caſtris conſiſtens, quod ex morbo decumberet ipſe, Carolo Duci Czartoryſki Genero, donec conualeſcit regimen militare commiſerat: cum intempeſta nocte, vti prius apud Mogiłam accidit, hoſtem adeſſe ſtationarius miles nuntiat, quem ſuperuenientem excubiarum cohors excipit, quoad rareſcentibus tenebris, in ſubiectum Kobierzyno campum euoluti Zebrzydouiani, ſtrenuo procurſu Suecos arcerent: præclarâ cum primis operâ Iacobi Wilkonſki Optionis fortiter impetum ſuſtinentis. Sic delibata breui præludio pugna, velut non vltra auſuri Sueci, recedebant: aſt receſſus ad ſtratagema referri debuit, nempe vt æſtu prælij, longius à Caſtris abductos Polonos, ad proximam ſyluam inſidias occultantem pertraherent. Inueteratus noſtratibus mos, vbi vincunt ad exitium inſiſtere fugientibus, rurſus ſi præualeat hoſtis, in irreuocabilem fugam præcipitari. Id tunc euenit, ſiquidem fallacem Suecorum receſſum pro conſummata victoria accipientes, dum inconſultè proruunt, primò ad oram ſyluæ ictibus machinarum confuſi, dein ab diſpoſitis inſidijs circumuenti, & diſsipati ſunt. Præcipua infelicis conflictus cauſâ, quod ſub primum manum conſerentium foruorem, neſcitur à quo imperatum eſſet

cohortibus vt retro in Caſtra diuerterent: in omni genere 1656.
pugnæ periculoſo receſſu, qui, dum ex arte militari inſtituitur, plerumq; fit, vt exſternati metu animi in fugam diſpenſari ſe perperam opinentur. Cæſi tunc ex Prouinciali Nobilitate, inter alios Andreas Miſiowſki militiæ veteranus, Alexander Czarnocki Oraczouij Signifer, Valerius Wilczogorſki Italica origine, Polona rectitudine & animo, vt qui decennio apud Andreā Potocki Winnicenſem Præfectum in ante Optionem Loricatæ cohortis egerat. Capti à Suecis Iacobus Wilkońſki Zebrzydouij Optio & Protribunus, Conſtantinus Łyſſakowſki, Alexander Frezer, Staniſlaus Zagorowſky, &c. ex quibus Frezerum annis maturum, in ſextiduo liberum dimiſit Wirtius; iam morum grauitate, iam ætatis veneratione permotus, ac valedicenti amicè ingerens, non ſe eum hoſtem habere velle, quem ex ratione ætatis Parentis loco colendum cenſeret.

Victor à Tynecio Suecus circumlatis noſtrorū ſignis ac ſpolijs, Vrbem ouans introijt, nimiū imputans & monſtrans quāta egiſſet; ſed intermiſtus gaudio metus erat, vbi ſub id tēporis ad ferendā opem Poloniæ, Domū Auſtriacam conſenſiſſe ab exploratoribus percipit: vnde arctius Vrbē & incolas tractās, neceſſaria prouidens, muros & operas ſarciens, etiā Templa munitionibꝰ cōtigua, ex quibus propè ad munimēta poſitis diſcrimen ineſſet, euerti & ſolo æquari iuſsit. Ac primò Baſilicā in Arenis PP. Carmelitarū, demoliri ſtatuit; nec quicquā Magiſtratu imò Vrbe tota, preces & pretiū offerente, pro cōſeruatione ſaltem Sacelli, in quo Imago D. Virginis Deiparæ, antiquitate & miraculis clara, in murato Tēpli pariete depicta manet. Eas vniuerſorū preces indeprecabilis Gubernator, in alijs non proſus inhumanus poſtulatis, penitꝰ reiecit, cum non exiguo bonorum dolore, ne Suecis quidē ipſis probātibus, niſi quatenus Ariani noſtrates impellerēt; ac cōcidi fabricam imperauit, admotis in demoliendum operis. Res mira, imò de plano miraculū, quod Monaſterij acta referunt; Die X. Iulij An: 1655. quâ primùm

1656. Carolus Suecorum Rex Maioris Poloniæ Metropolim Posnaniam introijt, eadem ipsa horâ ante meridiem X. in facie huius Imaginis haud obscura euidentissimi mæroris signa cõparuisse; profuso ex diuinissimi vultus superficie adeo largo sudore, cuius guttæ ad mensuram nucis auellanæ, in mensam altaris stupendo stillicidio profluxerint; non sine aspicientiũ horrore, & imminẽtium calamitatum præsagio. Nec minus illud Dei opus credi necessum, dum admotis à Wirtio lapicidis fossoribusq; mænia Sacelli funditus diruuntur, eius loci parietem, quominus deiecto muro aboleretur Imago, demoliri nequiisse, occulta quadam vi, imò diuinitùs impeditis operarijs, nec mandata exequi valẽtibus. Quippe fragmenta lapidum ruderaq; è superno muro decidua, velut erudita aliqua manus componeret, efficiebant siparium seu tegumentum, quæ demum mirabilis lapidum cõgeries, acsi Iconetheca aliqua, superficiem imaginis absconderet. Talia ex rumore an vera essent, cognoscere pergens Gubernator, (solita heterodoxis duritie, videre & non credere, palpare cum Thoma & mente obdurari) obuium habet non ignotum sibi Pictorem, Chrisostomum Proszowski vocabulo, ex quo per viam suscitatus. *Iam ne (inquit) imago vestra sepulta est?* responsum *breui resurrecturam* tulit. Sanè resurrexit ex ruinis gloriosè, cum hostes Deiparæ perpetua consepelijsset obliuio: ipsam verò incarnati Verbi Matrem, *Beatam dicunt & dicent omnes generationes.* Ad hanc postea Imaginem, cumulis lapidum reiectis, ex fæce Ariana duo contumeliosè tractaturi accesserant, quorum indignus memorari vnus exerto ferro, *Experiar (inquit) num plena hic fide miracula patrari contingat?* simul sacerrimæ faciei inflixit ense ictum, non nisi in crustam calcis deijciendam valiturum; & repetebat sceleratus vesana rabie plagas; cum in ipso nefandi ausus momento, aduolat nescitur vnde exploratoria Polonorum manus, & in siccarium equo per pomeria fugientem incidens, protinus adacto in os sclopo, quo ille augustissimâ Dei Pa-

rentem sacrilegè violauerat, interimit. Dixisses cælo de- 1656.
lapsam Nemesim, nam velut de industria vno trucidato, alterum facinoris participem viuum capiunt, & abducunt, cursim loco abscedentes. Quæ Dei magnalia non minor impietas foret siluisse, quàm iconoclastis patrasse. Ruinam præterea Templa subiêre, præter Arenensem Carmelum, D. Floriani Collegiata Ædes, à Casimiro olim Iusto sub Annum CH- 1183 condita; SS. Philippi & Iacobi; SS. Simonis & Iudæ Apostolorum; S. Valentini hospitalis; Sanctæ Crucis; SS Petri & Pauli ad Coriarios; S. Casimiri cum Reformatorum Monasterio; Misericordiæ Dei in Smolensko; S. Nicolai Parochialis; Carmelitarũ Discalceatorum Claustrum in campo Iaculatorum; S. Mariæ in Grodek cum Cænobio Monialium; Bernardinorũ in Stradom cum Cænobio; S. Heduigis cum Xenodochio ad pontem Regium; S. Agnetis cum claustro Sanctimonialium; S. Sebastiani cum Nosocomio; S. Leonardi; tum alias sacras ædes, solo æquatas, doluit Cracouia, antiquæ Polonorum pietatis monumenta euerti.

Post Varsauiensem conflictum, Duces Poloni dispersas cohortes recolligebant; Potocius Generalis Lublinensi tractu; Landzkoronius per interamnem Bugi ac Naruiæ oram; Gasieuius ad vsq; limitem Ducalis Prussiæ Lithuanicas legiones, etiam Scytharum notabile agmen auxilio submissum, secum traxerat. Cracouiam Carolo Sueco subinde adire mens, vt scilicet victorem se exterritis populis ea parte monstraret; etiam affirmauêre multi, vt in Vrbe ea opibus Ecclesiarum quæ restarent, interceptorum Varsauiæ spoliorum, detrimentum pensaret: at propositum iter mutari debuit, consideratis quæ à Moscho imminerent discriminibus, conuersumq; Thorunium fuit, inde festinanter in vlteriorem Prussiam contendente Rege, quominus arctis Liuoniæ rebus, & constrictæ obsidione Rigæ succurreret. Czarnecius interim, nobili clade Suecos apud Strzemeszno concidit; fatale quoddam flagellum eorum,

& qui non alias magis quàm inter prospera timendus esset. 1656. In Maiorem Poloniam iturus, Petricouiam deflexit, quàm tunc Siradiensis Nobilitas Ductore Stephano Koniecpolski Palatino, in eijciendum Vrbis præsidium obsederat. Hûc progressus, ex relatu præcursorum cognoscit, Suecos per territorium Rauense Thorunium pergere. Deducebat Fridericus Poter vetus legionis Wittembergij legatus, Mille Ducentos Equites, ex varijs subtractos præsidijs; alterùm tantùm Desultorios, pedites; pariter ac permulti cum impedimentis currus, quibus Cracouiensi tractu congesta spolia deuehebantur; tum vxores Præfectorum militiæ, Heduigem Reginam trans mare nauigaturam subodoratæ, quo reditum in Sueciam maturarent, itineri se commiserant. In hos ad Strzemesżno securos nimiùm deuolat Czarnecius, nec tamen imparatos offendit, quippe nihil repentino ingruentis aduentu territi, pugnabant collatis signis acriter; pleriq; de meridie semipoti, post explosos sclopos vasa mero plena propinātiū in morē præbibebāt aduersis; quæ proteruia sobrium Ducem magis irritauit, vt colludi poculis strepente ferro indignatus, ostentata in fronte vi, latera eò acriùs adoriretur, vixq; vnius horæ spatio repugnantes, mox incursu cohortium obrutos, planè ad internecionem deleuerit; die XXIIII. Augusti: Sanè paucos fuga cædi eripuit, cum latissima planicies concitandis equis spatium insequendi daret, & hostibus in fugam ruentibus, agger obiectæ piscinæ facultatem traiectū superandi eriperet penitùs. Neq; minus alibi res Suecorū inclinabant. Pyronus Petricouiæ Gubernator vt memoraui à Siradiensibus obsessus, in deditionem cogitur; Wielunium Bolesławiec deduntur &c: Etiam Opalinius Podlachiæ Palatinus non vergenti ætati, non accisis per bellum facultatibus parcens, haud quàm hostes respirare patiebatur; præter flagrantem Ductoris in arma instinctum, indignante Maioris Poloniæ Nobilitate; quod Rex Suecus, pensaturus Electori ex commodo suo tractatā apud Varsauiam

uiam armorū societatē, Prouincias istas Electori, sibi Prussiam attribueret; ac totum Regnum velut cum cohærede 1656. partiretur. Rumorem haud futilem confirmabat, introductum Posnaniam Electorale præsidium, in Vrbiū Præfecturas substituti Prutheni, sub nouo domino alendi militis innouatæ rationes, diuersus ad Nobilitatem Edictorū tenor & titulus, aliaq; recens instituta, quæ transcriptæ in Electorē possessionis exhiberent documentum. Sed nihil intolerabiliùs, quàm flagitiosæ Wrzesżouicij rapinæ, quibus ille nullo sacrorum aut profanorum discrimine ac satietate, eam oram exercuerat; nec templis parcens, quæ Gostinij, Ponieczij, Gorcæ, Vniiouiæ &c: etiam Kobylnense Monasterium, infamis prædo expilauerat. Cupiditatem hominis pseudo Catholici incitabat, quod cum proprias facultates salisfodinarum Wielicēsium locatione, magis prodigalitate ac luxu decoxisset, ex publica innocentium rapina, rei familiaris detrimenta reparare satagebat. Hinc nullibi quàm apud eum licentiosior miles, Ducis æmulabatur ingenium, cui sacra profanis miscere ludus, & tam ex ara quàm foco rapere, prolubium esset. In hunc Opalinius intendit solicitè, quominus grassatorē, & quo non onerosior Maiori Poloniæ alter, prædonis in morem vbiq; vagum, quantocius opprimeret. Insistebat ille direptionibus circa Osieczno, querelas Nobilitatis contemptu transmittens, ac vbicunq; trāsiret per conuiuia, velut in otio diffluens: quoad Vartham propè, post impensum epulis diem, iam in lectum compositum, implacidè discusso somno excitari fecit, Palatinus Calisiensis Grudzinius, celeriter cum armatis cohortibus superueniens. Dissimulauerat etiam iste, illatas bonis suis iniurias, imò literis vt caueret sibi præmonēdo refouere amicitiam visus quoad non amplius facinorosi hominis impotētiam ferre valens, collecta clientium manu, in Lubrzâ pago de nocte inuadit, ac vt geminaret terrorē subiecto tugurijs igne, inter restinguendæ flāmæ & defendendi conatus districtos

1656. Suecos, faciliore per noctem confecit negotio. Vltra Octingenti tunc è Wrzeszouicianis cæsi aut submersi; ipse dum intra congeriem stramētorum se abdit, inuentus præhensusq;, miserrimè fustibus ab aggresti plebe trucidatur, nemine reperto qui profani hominis cadauer sepultura dignaretur, euidenti pæna sacrilegiorum, & infestum Ecclesijs caput, ne terra quidem recipiente. Bohemus natione erat, professione fidei Catholicum simulauit, impius Clari Montis oppugnator, & incongruenter Poloniæ hostis.

Ast Casimirus conuocato Lublini Senatu, de occurrentibus periculis consultauit: cum non minus belli mala quàm pacis meditamēta distraherent; Prīcipibus Europæis per diuersos respectus & dissidia, mutuo in se intentis, vt vnius prensato auxilio, multorum irritaremus maleuolentiam, ac solùm aliquem in amicum destinantes, complurium secus affectorum odium prouocaremus: eā sæculi præsentis versutiā, vt honestissimum amicitiæ vocabulum & vsus, iam nunc ad præuisas commodi aut nocendi artes extendatur. Deliberationis materia erat; Gallica Mediatio: sed Austriæ irrequisita officiositas displicuit, suspectum in res Polonas æmulæ gentis arbitrium reijcienti. Moschum nonnisi inducijs antiquum in os odium refrænantē aliquomodo deliniuimus, vti dudum non amicū suspectando: tuetur veterem fæderatum Cæsar, & pacisci suadet; qualescunq; pactiones cum gente exosā, Scythis indignanter ferētibus. Danus Sueco infēsus, & in hunc æquè terrā potentem quàm mari, obliqui Fæderati Belgij Ordines; vtrosq; hos præhensat Anglia, & à nocendi facultate auertit; cum rursus Hispanica potentia Angliæ formidolosa immineat. Suecus Poloniæ in præsens grauis, sed ob reuolutionem fortis, ne hìc detumescente procella, tempestas ea Imperium exagitet, ex suspicione metus est Austriacis, ex metu prouidentia. Hinc Electorem Brandeburgicum detrahere illi, adiungere sibi, è re ac commodo Im-

perij

perij iudicatum. Equidem, vt ægri morbo creante fastidium, se huc illucue versant, ac ex loci mutatione imaginantur aliquod ægritudini leuamentū: sic pressa ærumnis Polonia, ambigua respexit diuersos, conciliandæ pacis curā offerentes; ac incerta, quàm manum in medellam seligeret, solicitè expendit. Duo erant, qui res nostras in pacatum statum reponere volebant, & poterant; Cæsar nempe, & Rex Christianissimus: sed nescio quo malo sidere factum, vt ob veteres vtriusq; Monarchæ simultates, haud liceret Poloniæ ex lauris Imperialibus, simul & Gallicis Lilijs aurea pacis messe beari. In quàm cum simul conuenire non possent, diuisim in vtroq; grandia cōciliandæ pacis cōmoda recognoscebamus, aut ipsi suggerebant: Permouebat præcipuè, etsi Suecum autoritate Galli Regis niti summoperè constaret, eum tamen Primicerium Christianitatis Monarchā, ita æquanimè sopiendi belli Polonici arbitriū suscepturum, vt ouem integram iuxta prouerbium, & lupum satiatū præstare posset; Christiana æquitate partes dirimendo. Rursus, vt Austriacæ domus interuentu stabiliremus pacē, summa ratio erat; quod licetsi inter hanc ac Coronam Sueciæ, Pacta Monasteriensia omne discordiarum semen sustulissent; ast in immensū prouecta nunc Suecorū Europam turbandi impotentia, adeo suspecta esset Imperio, vt Ferdinandus III. interim laboranti Poloniæ auxilia submittere decreuisset. Hinc, vt ad viciniores flecteremus, incitabat, præsentis succursus ratio. In eum itaq; finem nobilis legatio Viennam destinata, Ioanne Leszczynski Posnaniense Palatino, ac Ioanne Wielopolski Woynicense Castellano, munus obeundæ suscipientibus; (cum in ante Andreas Miaskowski. Internuntius vadum haud irritæ missionis pertentasset) & ne quæ mora negotium impediret, cum plenaria potestate iuerant tractādi. Vbi in conspectum Cæsaris admissi, simpliciter grauatæ discriminibꝰ Poloniæ exponebant necessitatem, in quorum participiū infallibiliter vocari Germaniam, ne Aula quidem illa per-

negabat

1656. negabat. Aperuêre dein in pacificandas æmulas gentes, Christianissimi studium, ast in suspenso Regi Casimiro habitum, donec suscipiendum nec ne? consilio & assensu Cæsaris definiretur. Nucleus rei erat, in sociale amorum fœdus Domum Austriacam contra Suecos impellere, considerabili motiuo, quominus exitiabilem belli flammam, ex vicina Polonia in Germaniā vno tenore & violentia quādoq; prorupturam, iunctis viribus, vtriq; comprimerent. Qua dein Cæsaris accepti gratia Legati, vtq; perductū negotiū in effectum fuit, ex rerum & temporis ordine memorabo. Similiter ad alios Monarchas itidem expediti legati, vrgendo bello vel procurandæ paci iuêre; Ad Ordines Imperij Andreas Olszowski Decanus tum Cracouiensis ad Mag: Moschouiæ Ducem, Ignatius Bakowski Succamerarius Chelminensis; Nicolaus Prazmowski Maior Regni Secretarius, ad Principem Transiluaniæ Ragocium: Ioannes Gninski Præfectus Gneznensis, ad Regem Daniæ: Pinoccius in Angliam Belgiumq; alij alio: dixisses non ingrata quadam vicissitudine, sepositis Gradiui operibus, togata consilia resumi, vt sub clypeo, pertractato reconciliandorum animorum negotio, mox populis bello defessis desiderabilis pacis aurora illucesceret. Eiusmodi Aulicorum ministeria negotiationem vocant, à mercantium ingenio & moribus traducta metaphora; quibus licitari, nomina contrahere, permutare, mutuari fas, pro more aut quæstus obuentu: pari modo nostri negotiantes soliciti agunt, suadent, vrgent, conciliant, minantur, ex vsu Patriæ aut autorum ingenio solertes, & ambidextri: nonnunquam ab amussi & canone officij recedentes, seposito publico priuatum curant: nam & veri negotiatores decoquunt, aut cautiones soluendi plerumq; destituunt Creditoribus. Comperio ex Instructionibus præcisè vetitū, qui peregrè legationibus destinati, nè quàm spem adipiscendi Regni Poloni cuiquam facerent, adiecta clausula: *Nullo autem pacto in Tractatus alios se ingerant, vel spem aliquam*

quāRegnādi in Polonia Electionis successionisq;, aut quod prætensionem in Regnum sapiat, faciant scripto dictoq;. Cum contra anno vertente patesceret, multis vicinorum factam spem regnandi obiecto diadematis illicio, quicunq; pro exhibendo succursu exorari se paterentur: etsi pigrum in alleuationem proximi sæculum, oscitantiùs postulata nostra audiuit, postpositis necessitati precibus, nisi præsenti commodo subsidia emerentur. Quid enim omnium inopes, vastata Patria, nimiùm cupientibus daremus? Regnum alteri Regum possessū, alteri infessum, ingratū tulissem? donum succurrenti? hinc despecta procis virago nostra, cui miseria tantùm, & vastitas dotem constituerent. Ast, qui rem familiarem prouidè tractant, non desolatione in tempus, aut pessundato vicini agri statu mouentur, quin acquirant; inuenit Polonia etiam cum miserrima fuit, competitores: prouocauitq; auidius deuorata spes pluribus orexim, vt fortius menti credulæ imprimerent, Regnum, post orbum & inclinata ætate Principem, tanquam operæ pretium infallibiliter recepturos. Sed Dei munus est, pupillam libertatis in hanc diem illæsam manere: posteritas periculosæ ignosce temeritati, vt naufragos in discrimine, etiam nos necessitas in extremis, extrema tentare docuit. Pluribus tamen obiecta offa palatum excitauit, vnde animorum offensa suborta: nam, dum præcocia adipiscendi Regni desideria, mora aut repulsa destinet, conceptæ spes in implacabile odium degenerabant. 1656.

Prouisis quæ ab extra facerent, Rex apud inferiorem Casimiriam traiecto Vistula, adiunctis Exercitus Ducibus, se itineri commisit. Quippe, vt præsens in Prussiam iret, vel maximè coarctati Gedani res poscere videbantur; cuius in eam diem vt varia fortuna, sic laudatissima pro Casimiro constantia fuit. Non suasu impelli, non illecebris abstrahi, non minis terreri valuit sibi constās Vrbs: pro nihilo sumptus, discrimina, imò cædes suorum duxit, firmissimè tuita legitimi Regis partes; nec minus

1656. prudenter artium Protectionis Sueticæ intelligens. Territorium Vrbanum hostis inuaserat, Hauptum interceperat, apud Dirsauiam Winterum Tribunum septingentis propè cæsis clade affecit; interclusus defluitandis commercijs Vistula, classis Wrangelij infesta maria tenuit: attamen tot inter aduersa, rationum vt vocant Status, quàm fidei periculum facere maluit. Hinc, à Rege Casimiro festinandi in succursum causa; qui per viam Lenciciam deflectens, reperit in partes Electoris transcriptam, eiusdem obtineri præsidio. Ergo, positis in adsito castris, requisitus per Fecialem Schonegus loco Præfectus, vt restitueret Vrbem Iuris Regij, autori & Domino; sacramento se, quo Electori obstrictus, excusauit, acrior in verbo, quàm mox in opere animosus. Productis itaq; in quassandos muros tormentis, vt alacri militaris multitudinis assultu, non amplius sesqui horæ spatio captum est oppidum, cōtinuo vis in arcē, in quàm se præsidiarij receperant versa, vbi breue interstitium armorum obsecrans Præfectus, mox clementiæ Regis se arcemq; permisit. Inde Choyniciam, celebre olim sub Crucigeris commissis prælijs & cladibus oppidum, quod IoannesGeorgius Anhaltinus Dux insederat, auspicia Suetica secutus, sed sinistra; namq; prius aduentum Polonorum sentiens, quàm venire posse credens, adhibita vi à regijs, gratiam demissius Casimiri requirere debuit, quàm superbè oblatā ante contēpserat: dediditq; protinus oppidum ea conditione in Pomeraniam emissus, neu tam ipse, quàm qui cum eo essent milites, intra geminos menses contra Regē Regnumq; Poloniæ militarent, nullâ noxâ finibus Regni excessuri: dehinc, ab ala Equestri in Marchiam deductus, extra limitem emigrauit. Sequitur mox Calissium in nomen Regis deditum, quod Venceslaus Sadowski Bohemus, pro Sueco Rege impositus tuebatur; qui itidem subsidij anceps, suasu & curâ Stanislai Starkowiecki Krzywinēsis Castellani, cum præsidio Thorunium deductus, Vrbem pro Casimiro consignauit.

Caro-

Carolum interea Suecum, robustum illud in omnem casum pectus, inclinantis potentiæ anxietas, & solicitudo, sensim exagitabant. Non desunt quippe felicibus suæ ærumnæ; mel in ipsa dulcedine inamarescit, ac virentes arbores teredo intro consumit. Heduigis Regina Frauenburgi victorem maritum non ita pridem salutauerat, non sine iacturæ & præcipitis abscessus à Zamoscio exprobratione, non omnis quippe mulier nec semper ad illecebras facta, sunt quæ consilio & prudentia valeant; Sueciæ Regni Senatus acriùs per literas absentem conueniebat, quominus aliena relinquens curaret propria; Scaniam à Dano, Liuoniam à Moscho rapi, nec se sine Rege & Exercitu existentes sufficere, vi aut consilio in aduersos. Ericus, quin etiam Comes Oxensterna Cancellarius Sueciæ, salubris cuiusq; consilij autor, ambigui interpres, pessimi corrector, immatura morte extremum diem clauserat Elbingæ, Carolo desiderari cæptus, vbi esse desijsset. Elector vel consulturus sibi, vel vires reparaturus, Regiomontē abscesserat; quippe Gasieuius cum Scythis Ducali Prussiæ imminebat, Opalinius in Marchiam intentus egit; præter sparsam non sine terrore de aduentu ingentis Exercitus cum Casimiro famā, & cuncta in deterius inclinabant. Hinc singula respectans omnibus impar, crebrius tamen non inutilem audaciam expertus, fortioribus consilijs animum aperire ostendit. Ac primò Douglassium in Curlandiā, Izráelem in succursum Prussiæ submisit, ipse ab Oliuero Cromuello, vt tunc vocabant, Angliæ Protectore, solicitissimis precibus auxilia requirens: etiam licet distractus, Gedanum quâ pollicitis, quâ incursibus vexare non destitit: ipse prope Liuoniæ fines progressus, belli gerēdi, aut cōciliādæ pacis media cū Moscho speculabatur: Interea Vincentius Gasiewski Cāpidux Lithuaniæ, dū per Prussiā vastationes spargit, obuiā hostem habuit apud Prostki, Ducalis Prussiæ pagum. Sub Georgij Friderici Comitis de Waldek imperio, expedierat Exercitum Elector, ditiones suas miserrimā desolatione 1656.

 vasta-

1656. vastari dolens, ac quantocius imminentem tempestatem obiectu armorum auersurus. In subsidium Valdeco aderant sex legiones Suecorum, Ductore Izraële Tribuno, cui etiã Boguslaus Radiuillus sese adiunxerat, nec dum abdicatis Sueci partibus, & adhæsione indivulsus. Interfluebat acies Pis fluuius, modicus alueo, & pectore tenus vadabilis; quem Electorales feruore in conflictum, an contemptu paucitatis festinando transgressi, dato signo in certamen descendebãt; nec Lithuani detrectauere prælium, sed pro fuit recondere ferociam: quippe commoda valle & insidiarum capace, prope mille è suis locauerat à tergo cum Wołouicio Gasieuius, Scythas item, quorum non temnẽda aderat manus, infernè vadum tentare præcepit, ipse cum robore suorum in præcursores illatus. Facilis prima in aduersos velitatio, quoad traductis per flumen machinis Electorales, vno tenore in procurrens agmen Lithuanum inuecti sunt. Retentabat flagrantes Radiuillus, subodoratus insidias, ac Scytharum ingenij gnarus, quibus moris à recessu pugnam ordiri; ij tamen dum feruidiùs quàm consultius in prælium ruunt, Gasieuiani flexu habenarum giratis equis, etiam Scytharum cateruis, campos implẽtibus, primo hostium legiones sustinent, mox propellunt, dein in subsidiarum agmen illati, omnem Electoralium aciem dissiparunt. Disiectis, fuga prælio nocentior fuit, nam cænoso traiectu impediti, & lunati flexus indagine à Scythis circumclusi, vndiq; ferro cõcidebantur, quod si aliquem benignior fortuna ex rete illo extraxerat, nihilominus tamen spes effugij irrita mansit, Scythicorum caballorum pernicitate, gradarios Germanicos præuenientε. Tria Millia extra dubium in acie cæsi; machinæ cum vndequadraginta Vexillis raptæ; Ductor Valdeccus sagittâ latus transfixus, ægrè euasit; Radiuillus captus; Izraël (sub cuius signis Carolus Rex, tyrocinium militiæ deponens, Germanico bello meruerat, indeq; Magistrum suum appellare solitus) non iam in Ægyptum à Pharaone, sed

sed à Sefer Casiaga Scytharum Præfecto in Tauricam ductus; eandem sortem Engelij duo fratres Angli, Generalis Walwrotus, Hornius, Scharfenbergus, Kochius, Brunellus Amersteynus &c: subière; etiam Weymariensi Duce captiuitatis socio; Cannebergus ac Bannierus Tribuni elapsi, Purdek, Heltz, Hemminger Legati legionũ, cum septemdecim ordinum Præfectis interempti sunt. Euenit victoria ista die VIII. Octobris, non exiguo totius Prussiæ Ducalis luctu, iam ob amissum florem & robur Exercitus, iam ex præsenti clade, maiora mox discrimina imminere præuidente. 1656. Etsi Scythæ captiuis ac præda onusti, societatẽ armorum, (ob subtractum sibi à Lithuanis Radiuillum,) violatam incusantes, celeriori reditui obtentum quærere viderentur. Nihil tamen abitu rapacis turbæ permotus Gasieuius, post victoriam in Varmiensem tractum mouit, vbi Ottonem Derflingum Electoris Tribunum, cum tribus legionibus Posnaniâ remeantem, summa celeritate dispersit. Ast mox & ipse fortunæ vicissitudinem expertus, à superueniẽte Gustauo Steinboko, haud procul lacu Habo, subita aggressione disiectus & victus fuit; eo notabiliori detrimento, quod dispalatis Lithuanis, ac vti accidere necesse erat, confusis, à prælio apud Prostki in detentione existẽtes Suecorum præcipui, ex custodia elaberentur.

Vt armorum tædium sæpe ad resumenda pacis media impellit, ita rursus non succedentia publicæ tranquillitatis studia, in flagrãtiores belli curas partes accẽdunt, crebriusq; illa quæ sibi ineuitabilem casum imminere pars præuidet, alteram in exitium trahere, pro solatio pereundi habet. Suboluerat Sueco, Mag: Moschouiæ Ducem, quem hostem in Liuonia expertus, cum gente Polona, de restabilienda pace per Delegatos agere, ac propè esse vt cæpti tractatus concluderentur: hinc pupugit summoperè in partes nostras potentis vicini conuersio, cum non tantùm Liuoniæ & post eam Pomeraniæ, sed ipsi quoq; Sueciæ Regno, non iniustum metum robustus Septemtrionis Dominator incuteret

1656. —terer. Ergo intelligens discriminis Carolus, quem suum facere non poterat Moschum, ne vicissim nos cum eo in fœdus coalesceremus, omnem mouit lapidem, sepositaq; in temp⁹ nobili illa seu elatione, seu magnanimitate, præcursorem amandat Forguelum, recens à Scythis liberatum, qui abrupto cum Moschis paciscendi negotio, instanter Poloniæ Suecorum insinuaret amicitiã. Fecit vir ambidexter, ac publicato scripto (Proiectum appellant) ostendebat sine cuiusquã mediatione, inter vtrasq; gẽtes pacem perpetuam conciliari posse, non integrarum viginti quatuor horarum impẽdio: cuius pretium foret, Regni Poloniæ vt ante bellum totalis Casimiro restitutio, Regnicolis tranquillitas, fœderatis tuta commercia, hostibus metus, confinijs pax, & suum cuiq; redderetur. Vbi altius expensa propositio, huc se dare non visum, suspecta pacem flagitantis, qui oblatã aliquoties fastuosè spreuisset requisitione; tum quod apertè Carolus mediationem Cæsaris, in Gallum pronior auersaretur. Ideo re infecta redijt Forguellus, non sine mittentis Sueci indignatione, enatumq; consilium pleriq; censuêre, vt flagrantibus incitamentis persuaderetur Ragocius, quominus spe Regni Polonici illusus, honoris læsionem armis vlcisceretur. Res ita se habet.

Georgius Ragoci Transyluaniæ Princeps, aliquot retro annis à Casimiro apud Szocauam, submisso in auxilium milite adiutus, formidolosam Valachorum cum Cosacis
Anno Christi 6154. coniunctionem cæde Thymothæi Chmielnicij consopierat; vicissim bellanti contra eosdem Cosacos apud Zwaniec Regi, præstitæ gratus operæ, expedito Hungarorum subsidio, redhibebat officium. Hinc supposito constantem affectu, ac in amicitia perduraturum, nunc arctis Poloniæ rebus in exhibendum auxilium prensare Rex instituit, misso in Transyluaniam Nicolao Prazmowski, Maiore Regni Secretario; qui promouendo negotio illicium daturus, adipiscendi Diadematis spes ita ostentare iussus, si exemplo Henrici IV. Regis Galliarum, repudiato quod nunc amplexus

plexus

plexus Caluiniano dogmate Ragocius, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium accederet, Regnumq; legitima Electione post fera moderni Regnantis fata quæsitum, obtineret, stabiliretq;. Nec quicquam vltra in præmissis conclusum, firmiter asserẽte Prazmouio, in fundamento religionis Catholicæ radicatis Polonis, non alium in solium Regni admissuros, nisi qui eandem profiteretur. Hinc differendi materiam nactus Princeps, dum fortè cum Prazmouio in patentissima porticu sermones miscet, & Confessarium Legati ex frigore, quod tunc fortè intensius accidit, horrescere aduertit, *Quid (inquit) bone vir alges gratis, trade vestem, mox pellibus subsutam reddere iubebo, contra algorem remedium: nec quidquam pro beneficio debebis, nisi, vt quàm ego profitearis religionem.* Ad hæc improuiso pulsatus dicterio vir religiosus, ac renutu supercilij iocum detestatus. *Habeo (respondit) gratiam tantæ munificentiæ, sed operis exhibitioni intercedo; exuuijs vulpium haud indigeo, nec fidei vnquã vel pretio Orbis mutandæ desertor ero.* Tum Ragocius *Si vobis natiua religio adeo cordi est, vt subinde frigore emori, quàm illam mutare malitis? eccur meam in qua natus sum, vt abdicem, ob Regni vestri pollicita, boni suasores impellitis?* Et eum Prazmouij legatio exitum habuit, æquiore credito non reddito in res Polonas Ragocio, quoad spes magnas, & arduum finem subinde coquens, vrgendum satius diadema, quàm expectandum duxerit. 1656.

Adulto Nouembre, Casimirus Gedanum iter instituit, cum affertur reducem ex Liuonia Carolum celerrimè contendere Mariæburgum, vt traducto per recens fabricatum pontem milite, ac vtrâq; ripâ frænato Vistula, æmulo Regi vires in experimentum prælij objiceret. Proin exploratũ dimissus Marius Iaskolski, Excubiarum Præfectus, apud Quidzynum, dubia adhuc dum luce, in Quingentorum Suecorum agmen incidit, quos per mappalia solutos securosq; nullo negotio dissipauit, multis ex abrupto margine in flumen aut restagnantes fluuij lacunas præcipitatis: etsi

nostri

1656. nostri pro recepto militiæ more,(similia Suecis redhibētibus) deditītios sub conditione (Quartier) incolumi vitâ seruarent. Eo tumultu Comes Konigſmarcus iunior, dum aquis se committit, & superandis vorticibus impar equus succumbit, flumine absorptus interijt. Ille Konigſmarcus, qui in arce Thęczynensi trecentos Polonos, cum Ioanne Dziuli Centurione, data incolumitatis fide portas aperientes, fœdè iugulari præceperat. Filij fatum, ne non naturæ ordo inuerteretur, tragicus patris casus, triduo fermè antecessit. Ioannes Christophorus Konigſmarcus Campi Mareſchallus Sueciæ, laude militari per Germaniam celebre nomen, tunc natu grandior, Vrbis Bremæ Gubernatorem agebat, eratq; in confinio iam suggerendi consilia, iam militares delectus submittendi, dexter Carolo minister: etiam in præsens accersitus, Scotorum à Wiſmaria subsidium deducebat, portu Pilauiensi excipiendus. Thuldenus Fol: 293. Ast subinde vis ventorum obstitit, vt diu tempestate iactatus, haud quaquam quò destinauerat adpellere posset: quin etiam militum discordia, aut remigum contumacia distractus, vicino mari oberrabat. Cognito Gedanenses hostium classem circa proximum littus vagari, mox armata nauigia in occursum emisere, cum quibus postquā Konigſmarcus animo & vento adſpirantibus prælio experiri decernit, tandē impar ac circumuentus, Wintero ac Bomgarto Gedenensium nauium Trierarchis, submittere vela cogitur, seq; dedit. Tribus onerarijs præter armatas naues, diuersū apparatum, vt pote scloporum, ensium, telorumq; omnis generis, ac pulueris pyrij copiam subuehebat, etiam non temnendam signatæ pecuniæ vim, quæ omnia in manubias venêre capientibus. Sed maior præda Dux ipse, primò in Vrbem ductus, ac à Magistratu honorificè tractatus, dein in Pharo seu Laterna sub honesta detentione mansit; Reiggero loci Præfecto, curâ captiui demandatâ.

Quæ inter Casimirus Gedanum peruaserat, summo Ciuitatis plausu acceptus, die XV. Nouembris. Comitabatur

batur introeuntem Polonæ militiæ flos selectissimus, iuuentute militari in assistendum Principi, feruida ornataq;. 1656. Sed maximè lætum ad recessus maris degenti populo, Hastatorum vidisse militiam, tractu illo vix vnquam conspectam, nisi qui in Polonia negotiati, in commeantes lanceati militis turmas incidissent. Contra, ex incolatu Vrbis, numerosæ armatorum Ciuium phalanges, honoris causa occurrebant Regi, intra mænia deducturæ; ac ex omnibus machinis trina explosione fulminatum, solennitate pompæ ad multam noctem extracta. Magistratus demum in Prætorio salutauit Principem, cuius nomine Vincentius Fabricius Vrbis Syndicus, eo sensu peroravit. *Fama est in extremo Semptemtrionis recessu gentem reperiri, vbi elongato supra æquatorem Sole, menstrui spatio molesta perduraret nox, quæ omnia tenebris inuoluens, & eius climatis mortales triginta sex dierum luce orbatos, in continua tanti temporis cogeret versari caligine. Vbi verò sub magni luminaris reditum, longissima nocte damnatis noua illucescit dies, non diē modo ac solem, sed vitam tenebriones diuturni, præ desiderio lucis recepisse lætantur. Similiter Gedanum, cimmerijs obrutum tenebris obscurissimam noctem biennio egit, quâ artifex calamitatis nostræ Septemtrio, inclitū hoc Regnum ab anno præterito in huncusq; diem inuoluerat. Ast vt volentis erat, ob delicta populum castigare; ita miserentis Dei opus est, quod ex tam spissa caligine liberati, solem Patriæ nostræ, Te Rex Serenissime intuemur, redditumq; inclito Poloniæ Regno lucis iubar, simul & nobis, imo huic Vrbi, dum te sospitem & incolumem adesse, nobis gratulamur. Ad huius sideris ortum, vt aues oscines solent, diuturno mærore pressi leuamus capita nostra, prorumpimus in voces, conamur verba; quorum quandoq; in magna lætitia, minor prouentus esse solet. Sed iactent verba eorum prodigi Oratores, nobis defectus facundiæ rebus supplendus erit. En ecce habes Rex Serenissime Vrbem tuam Gedanū, ad exortum huius magni luminaris gestientem? en Venerabilis Senatus lacrymas excutiente lætitia, ad legitimi Domini ac*

 Cle-

Clemẽtiſſimi Regis pedes prouoluitur? en Vrbicæ militiæ Præ-
1656. *fecti, Ordinum Ductores, trierarchi nauium, cuſtodes portus,*
nautæ, milites, remiges, & quidquid ſub iuriſdictione noſtra de-
git te Dominũ ſalutant, te incolumem lætantur? Obliuiſcimur
cuncti quæ præterijt miſeriæ, te præſente vulnera non dolent, ca-
lamitas non afficit, vis hoſtium non ſentitur, quia his omnibus
Deo iuuante mederi vis & potes. Sed quorſum verba, ſi actu
& re ipſa, vt tibi paternæ ſolicitudinis, ſic nobis debitæ fidei er-
ga te documenta commonſtrare licet. Et ea quidem abunde
vbi deponis hoſpitem comperies exhibita iam nunc Magiſtratus
Portarũ Vrbis claues, Maieſtati tuæ tradit, palam vt ſit, Ge-
danum in ſola optimi Regis tutella & præſidio conquieſcere velle
&c. Ad hæc Cancellarius Regni Korycinius conuenien-
ter reſpondit. *Vtcunq; moleſtæ noctis tædia, auidum lucis*
premant populum, dum luminare maius tetra inuoluit caligo,
ſol tamen excuſſo tenebrarum inuolucro, beneficos lucis ſuæ ra-
dios expedit tãtiſper occultatus, & ecclypticâ lineâ, inter mul-
tiformes ſignorum Zodiaci tropicos diuertens, lucet terris non
exoratus, ac in ſublunaria vim productricem benignus inſpirat.
Pari modo & ad ſimilitudinem ſolis Rex Sereniſſimus, optatũ
cũctis ſidus adeſt; Patriæ & veſtri cauſa huc veniẽs; neq; enĩ
ſol niſi in commoda mortalium oritur. Hoſtes infeſtiſſimos
diſperſit aut abegit; conueniens quippe erat, vt ſplendor qui ex
participatione diuinitatis oritur, omnẽ ſũ illam Aquilonis tem-
peſtatem diſpelleret. Quare & fidem veſtram ſummè collau-
dat Sereniſſimꝰ Rex & conſtantiæ gratulatur Ciues ſtrenui; ac
quamuis conſciam recti mentem, æquiualentem factis heroicis
mercedem eſſe ſciat, cura tamen erit Regi optimo & ſuoptè in-
genio meritum æſtimanti, vt id in memorem & gratum Prin-
cipem inclinata Ciuitas, benè collocatum agnoſcat. Iam verò
claues portarum Magiſtratui reddit, quas immotus pollicitis,
infractus minis, vi inconcuſſus, in eam diẽ fidiſſimè conſeruaſſet;
etiam ad manus Regiæ oſculum inuitat; ad illam inquam
manũ, per quam digitus Dei in Vncto ſuo magnalia operatur.
&c: Seuerinus quoq; Karwath è Societate Ieſu Eccleſia-
ſtes,

ſtes, publicè habita Rege coram concione, palam & diſer- 1656.
tè conſtantiam Ciuitatis laudauerat, nihil obſtante religio-
nis diuerſitate aut reſpectu; ne dum vnum Gedanum ex
peruicaciter aſſerta fide extollit, totum Regnum remiſsiꝰ
ſeruatæ notâ reſpergeret.

Breue dein cum Moſcho ac exitu anni expirans armi-
ſtitium, nouis conſilijs ianuam aperiebat. Tranſlatis ille
vt memoraui in Liuoniam armis, Rigam Prouinciæ caput,
ingenti Exercitu circumſederat, aſpirante ſub primordia
ſucceſſu: quippe Suecorum Ductor Comes Turn, ad pri-
mum congreſſum Moſchis obiecto Equitatu, actus in fugã,
ac cum Tribuno Cronmanno cæſus, etiam plurium eo con-
flictu obeuntium notabili iactura, improſpere dimicaue-
rat: dehinc Gabriele della Garde Vrbem propugnante, vbi
obſeſſos in defenſionẽ obduratos, ſuperq; promiſſũ à Carolo
ſuccurſũ, ingruentis brumæ aſperitas iuuat, re infecta Mo-
ſchus obſidium ſoluere cogebatur. Vnde licet ſine effectu
imò cum probro reiectum ſe doleret, nequaquam tamen
allaborantium Caroli Miniſtrorũ ſuaſũ adduci potuit, quo-
minus vel opimis propoſitis conditionibus, ad fædus cum
Suecia reſpiceret; ſeu abnuente cælo, duos longè potentiſ-
ſimos Poloniæ hoſtes, inter ſe conuenire: ſeu naturâ inſo-
ciabilis: aut deniq; pinguiore offa à nobis ineſcatus. Qui-
bꝰ verò conditionibꝰ Tractatꝰ ij nobiſcũ coaluerit, quamuis
ex manuſcripto Pauli Konoiadzki Nobilis Boruſsi copia ſup-
petat, quia tamen Originale Pactorum videre non contigit,
deſino in incertis prolixus eſſe. Poſt alios tamen de eligẽ-
do in Regem Poloniæ Magno Duce articulos, circumſcri-
pta fuit pactis belli Suetici continuatio; Liuoniæ Æſtoni-
æque Polonis reſtitutio; Pecuniæ pro exoluendis militum
ſtipendijs ſubminiſtratio; aliaq; inſtitutum breuitatis ex-
cedentia. Finita tranſactione in Niemieza die 5ta. No-
uembris, Anno 1656. à parte noſtra operantibus, Ioan-
ne Caſimiro Kraſinſki Palatino Płocenſi; Chriſtophoro
Zawiſza Mareſchallo Lithuaniæ; Cypriano Brzoſtowſki

 Referen-

1656. Referendario; ac StanislaoSarbiewſki Grabouecenſi Præfecto. Nec ſanè abſurdum conſilium quo bellum cruentiſſimum ſiſtebatur, ſi modo ſub duobus Regibus ſtare vnum Regnum, & indiuiſibile Diadema gemina capita exornare poſſet: aſt concordiam animorum non vſpiam gentium reperies, ex diuiſis inter binos Principes populi ſtudijs: vt nec Orbis machinam, ſi duo ſoles, ſubſtituram. Sanè ab ijs pactis iterum ſe Polonia difficilimo bello implicuit, antidotum ſalutis rata, quod toxicum fuit: multi tamen factum extollebant, velut nihil à Fato rebus Poloniæ conducibiliùs ſuggeri potuiſſet, ex præſumpta iſtarum gentium coniũctione, exitium Portæ Ottomannicæ vaticinati: repertis, qui nouiſſimæ illi à Daniele prædictæ Orbis Monarchiæ, tandem in decurſu ſæculorum exoriendæ, ſubſterni fundamenta, veracisProphetæ falſi interpretes affirmarent.

Digreſſu Regum tracto cis maritima bello, netunc quidẽ in meditullio Regni ab armis feriatum, relinquente poſt ſe Carolo præſidijs inſeſſas arces, quæ demum expugnandæ, illi tempus, noſtris vires diſtraherent. Præcipuè in recuperandam Cracouiam vti Principem & Matricem Vrbem, vota omnium vertebantur: ſimul & mandata Caſimiri, qui Ducem obſidendæ, Georgium Lubomirſki Regni Mareſchallum, in Pruſsiam abiens, deſtinauerat. Nec is ſegniter iniunctam fũctionẽ ſuſcepit, ſexdecim Quartianis cohortibus ſecum adductis; Hijacintho Szembergio Boguſſauienſe Præfecto, Michäële Staniſſawſki Vexillifero Halicienſe, Andrea Sokolnicki Haſtatorum Protribuno, Petro Sladkowſki, Mártino Dembicki, Vladiſlao Lubowiecki, alijſq; alarum turmarumuè Præfectis, aſſociatus. Quippe ſupplebat vires Cracouienſis, Sandomiriẽſis, ac Lublinenſis Palatinatuum Nobilitas, quin etiam Montani & transſtulani aggreſtes: vt propè octo Millium populare agmen numerari potuerit. Vbi compertum Mareſchallum in obſidium adeſſe, idq; præcurſorum volitantes globi planũ facerent, nihil intermiſit ſolertiæ Wirtius ad omnia intentus, etſi ante firmiſsimis vndiq; operibus Vrbem circumdediſſet. Apud Biezanow pagum caſtris Poloni conſtiterant, primò Wieliciam, locum quæſtu ſalis perutilem recepturi, dein ab auſtrali parte intercludendo paſſui, quomin9 præuiſo à Trãſyluania diſcrimini iter præſcinderet. Con- 1656. uexerat in ante ex Fodinis Wielicenſibus Præfectus ad depoſitorium Caſimirienſe, ingentem ſalis congeriem, venditioni deſtinatam, vnde illi facilis pecuniarum conquiſitio: cum id natiuum menſarum condimentum, bello & pace, diuitum æquè pauperũ condire edulia ſoleat. Vnde frequenti redimentium ſalem concurſu, licitatio mercis, compendium lucri Wirtio adferebat; dumq; ipſe contributionibus Vrbem axhaurit, ac militem diuturna ſpe exhibendi ſtipendij differt, interim præſentiſsimo venundati ſolis prouentu, in immenſum ditabatur; donec quæſtum ſuperuenientes Poloni intercepiſſent. Legionis primipilus (Maior) Szacht vocabulo, tuendi depoſitorij curam ſuſceperat, in hunc cum tribus cohortibus deuolat Szembergius, ac obuium & certamen offerentem, reliquis diſsipatis obtruncat, Depoſitorio in ſuam poteſtatem vendicato. Conſtricta dehinc Vrbs, non tam vallo & operibus, quod ſanè ob vaſtam loci circumferentiam præſtare haud poſsibile, ſed per emiſſos armatorum globos, infeſsis vndiq; itineribus; eoque modo ingreſſu ac egreſſu vetitis omnis communicandi ratio Suecis præcludebatur. Iam verò in eminenti ad Caſimiriam colle Rekawka, (hìc Cráci Conditoris Cracouiæ extare tumulum, vetus refert traditio) ſuper excitatum ſuggeſtum, è cõpluribus machinis pulſata mænia, datiq; in Vrbem, vel Vrbe egreſſos hoſtes ictus, in circum pedite aggreſtibusq;, vim aut aſſultum oſtentantibus. Interea de deditione actum, promiſsis æquè minis pertentato Wirtij animo, aduerſum vtraq; inexpugnabili: nam in omnes figuras ſe vertens, vel molliora reſpondit vt eluderet, vel minas iocis diſcuſsit, vt contemneret; Georgium

1656. um Forguelum confidentèr admittens suasorem & parariū, hominē qui tantùm ideo bipes esset, vt vno pede apud Suecos, altero apud Polonos consisteret. Non tamen quidquā colloquijs interuenientibus effectum, Gubernatore nihil ex officio intermittente, ac etiam tunc fortiter agēte dum modestè loqueretur. Neq; dolis abstinuit; quippè Exercitu in conspectum Vrbis producto, duos nebulones pretio corruptos immiserat, qui tuguria Castrorum ad tolerandam cæli brumalis iniuriam constructa. tum in vsum pabuli fænum ac stramina conuecta, monachali alter, alter muliebri vestitu, subiecto igne incenderant, ausu impunito, nec minori cohortiū damno, quàm confusione. Nam quidquid militi armorum, vestium, alimoniæ, vorax flamma, vbi restinguentibus caret sæuior, penitùs absumpsit. Continuis dehinc velitationibus actum, vt propè muros exporrecta planities, velut palæstra decursoria haberetur, in qua nobiles ab vtrinq; pugiles singulari plerumq; certamine depugnarent. Cadebant sæpenumerò Sueci, aut capiebantur, etiam nostri pariter, & isti quidem notabiliore iactura, ostentandæ virtutis impulsu, aut equorum fiducia, subtus mænia temerè subeundo.

In tertium mensem protelatą obsidionę, vndequaq; afferebant nuntij Ragocium Trāsyluaniæ Palatinum, nouam & atrocē in Regnum Poloniæ irruptionem adornare: etsi ante cudi iniquam hostilitatem constaret Mareschallo, diu tamen tristi rumori negata fides. Rem dein indices ab exploratoribus intercepti patefaciebant, ij vel maximè qui ad Wirtium arcani conscium per Zipheris scriptos codicillos, ex Transyluania missitabantur. Insuper Ragocius ipse, quo animo in Poloniam esset non vltra occultandum ratus, datis ad Mareschallum literis haud diffidebatur, bello se accinctum, nec Polonis vsq; adeo amicum, adiecta disgratiæ causa: nempè ob perperam reiectum tractatum, nuper cum Prazmouio pro quærendo Diademate Polono institutum, quem interea abrumpi, an continuare Respublica

blica vellet, quærebat? prætendens ex interueniente silentio, enormem sui læsionem. Proin dignitati ac securitati vindicandis, armorum remedio consultum iri. Datum Albæ Iuliæ, die XIV. Nouembris, Anno 1656. 1656.
Amoliendo quod imminebat discrimini dum medio destituimur, & vires infra sunt, arripuit consiliū Mareschallus, conueniendi per literas Transyluanum: moderaretur affectui neu insperata metamorphosi, pristinam cum Regno amicitiam exueret, stabilem semper nec rebus suis incommodam expertus. Aderat Michaël Staniſſawſki Vexillifer Haliciensis, honorata è Roxolanis familia, non inidoneū dehortandi ab armis Ragocij instrumentum creditus, qui super mittentis commissa, iam Casimiri Regis ab deuincto mutuis officijs Principe alium affectum requireret, iam à Cæsare pro suo in Vasallum iure, hostilitati intercedente, ab vtrisq; literas ferret. Qui specie festinantis in Transyluaniam pergens, dum vel longinquo itinere moras trahit, vel industria à Ragocio distinetur, subinde iam Hungarici belli procella, submontanum tractū repentina incursione inuoluebat. Cui malo impar Mareschall9, simul extra spem subsidij absente Rege positus, continuatam in eam diē Cracouiæ obsidionem, sumptu & labore ingentibus, soluere abducto Exercitu coactus fuit.

ANNA-

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECVNDI, REGNANTE IOANNE CASIMIRO, LIBER TERTIVS

Elenchus Contentorum.

An. CH. M. DC. LVII.

HEduigis Suecorum Regina in Prussia hospitatur. Ludouica nostra habito Czestochouiæ Sen: Con: Gedanum pergit; quàm Duces Exercitus Choynicijs salutant; dein superuentu Suecorum ex via Calissium retrouertit. Czarnecius interim Steinboci agmen distinet. Sapieha Tykocinum expugnat. Transyluanus Poloniam hostiliter inuadit; Causæ, veriùs prætextus belli mouendi;

uendi; Rex Suecus Gedano incommodat, dein in Poloniam abit Ragocio iungendus. Casimirus Gedano Czestochouiam redit, vbi cum Senatu de imminentibus instituta deliberatio. Viennam pro submittendis auxilijs Legati abeunt. Ferdinandi III. Cæsaris obitus, simul Leopoldi Filij in Imp: Rom: Electio. Tandem auxilia Austriaca comparent; Ragocius Cracouiâ mouet; ac Sueco iunctus tendit versùs Brzescie Lithuanorum. Mareschallus Lubomirski in Hungariam cum copijs Polonicis penetrat. Landzkoroński Campestris Dux moritur. Daniæ Rex Sueciam bello adoritur, vnde Carolus deserere coactus Transyluanum; qui in regreßu apud Magierow à Polonis fusus; dein ad Nigrum Ostrouum affugiẽtibus ab eo Cosacis constrictus; tandem reprimendæ vi impar, dedit se veriùs quàm paciscitur. Interea Scythæ cum Hano adsunt, qui Transyluanos iniecta manu diripiunt, aut repugnantes trucidant. Kimeni Dux captus; ipse Ragocius vix euadit in Transyluaniam, quo redux, Principatu à Turca detruditur. Hungarico bello perfuncti Poloni, Poznaniam deditione recipiunt. Branicki Succamerarius Cracouiensis in confinijs Silesiæ interemptus; Iaskolski ad Imp: Turcarum legationem obit; Chmielnicij itidem ad Regem Casimirum per Internuntios submissio, cui paululum superuiuens moritur, belli fax & perpetuus Poloniæ turbo. Bienieuius ad Cosacos mißus; Cracouia obsidetur, quã demum in manus Regis Gubernator Vrbis Wirtius consignat. Gembicki Episcopus Cracouiensis; etiam Wittembergus Suecus, Fatis cedunt; Casimirus in Prussiam tendens occurrentem Bydgostiæ, Electorem Brandeburgicum, hospitem excipit; vbi amica vtrinq; compositione reconciliantur. Poloni, in Pomeraniam Suecorum, excurrunt hostiliter. &c.

HActenus inter Reges mutuis odijs & armis actum, demum & sequior sexus nullâ fragilitatis reminiscentiâ, in casus & discrimina belli veniebat: Heduige Suecorum Reginâ transmissâ nauibus mari Baltico in Poloniam adpellente; etiam Ludouica nostra ex Opoliensi seceßu, dein Czestochouiâ vbi tunc commorata, offerre se discriminibus haud dubitauit. Prior lætorum gustu, ne non sine consorte triumpharetur Polonia; hæc in viriles curas accincta, quominus marito qualiscunq; fortunæ socia adesset; ambæ Sarmatici Regni meditámenta diuerso fine agitantes. Sueca tamen, seu peregrini cæli àerem fastidiens, seu in deterius vergente Mariti Anno christi 1657

1657. riti Regis ſucceſſu, pro innata ſexui timiditate, feſtinato regreſſum in transmarina maturauit. Ludouica nihil ancipites belli caſus morata, inter infeſtas vtrinq; acies, Gedanum ad Regem Maritum ire decreuit; in eum finem complures è Senatu Czeſtochouiam euocans, quibus itineris rationibus & neceſsitate eundi expoſita, cunctorum aſſeſum, magis, quòd ita vellet, quàm vt expedire cenſerent, extorſit. Permouebat ſiquidem mediationis Gallicæ conſideratio, Antonio de Lumbres operam quominus Regis ſui interuentu bellum Sueco-Polonum honeſtis conditionibus dirimeretur, prolixè offerente; etiam noſtra intererat, altiore inter Gallum & Suecum confidentiâ, adhiberi negotio Reginam penitiùs mentem Miniſtrorum Galliæ introſpecturam; ne arbiter Rex damno noſtrô Colligatæ & deuinctæ ſibi Sueciæ gratificaretur. Primas Regni Leſzczynius, etſi maximè neceſſariam cenſeret Reginæ præſentiam Gedani, dum tamen animo obuerſantur tendentis vndiq; pericula, & irreparabilis dato caſu iactura, propè diſuadebat iter, niſi dum obfirmatam in propoſito videt, vitandæ offenſæ aſſentiri cogebatur, præſertim, vbi ita Regem velle ex literis compertum fuit. Itaq; ſat exili à Wolborio comitatu mouit, quoad ſuperueniens Caſtellanus Kijouienſis Czarnecius, (nam huic munus deducendæ conſortis Rex iniunxerat) Mille CC. Equitū ala, præſidium itineranti circumdaret. Vir enim in omni negotio agilis, & continuo motu exercitus, obſequentiorem militem inter opera belli experiebatur, eodem, vbi deſes agit, diſciplinam aſpernante. Quod etiam tunc euenerat. Habebantur apud Gedanum in Caſtris copiæ, ſemeſtri planè ab opere belli vacantes, niſi quod in Electoralis Marchiæ ditiones inuecti populatores, præter promiſcuam oræ direptionem, pecudum armentorumq; greges in Caſtra deducebant. Clauſa interim Vrbe intromitti Rex quemquam, (niſi ex ſpeciali permiſſu) vetuerat; ne gregarij per ganeas Vrbis diſtenti, caſtra vacua relinquerent; dein: aliquo caſu (vt inter multos & diuer-

ſos ſolet) excitatâ rixâ, in eo concurſu hominum tranquillitatem Vrbis turbarent. 1657. Vnde excludi aditu indignati, ac ſubinde per intemperiem àëris imbrium moleſtiam ægrè ſub dio ferentes, tum notabile equorum damnum paſsi, primò ſinguli, mox omnes incuſabant. Iniquè obſtrui portas Vrbis emorienti famę militi, nec fas eſſe buccellam panis depellendæ inediæ emere, cum interim ſatellites & aurigæ Regij delicijs diffluant, permutatis Ducum mandato militiæ munijs, vt intra muros Germani recepti, veſtphala dape ſaginentur; Eques interim Polonus, poſtquam ſexies ſupra decem eo anno collatis ſignis depugnaſſet, ſub Ioue frigido in ſtatione maneret, deſertus & ieiunus. Eò demum querelis proceſſum eſt, vt triennio retenta ſtipendia in memoriam reuocarent, repeterentq;. Quæ poſtulata, vbi per Delegatos audacius apud Regem perurgent, opportuno conſilio in hyberna dimittere placuit, ſpe conceptâ, ſegregatos fore modeſtiores, ac dum ſuppetunt alimenta, moleſtam interim ſtipendiorum requiſitionem in aliud tempus differri poſſe. Itaq; cum venia Regis in hyberna (Conſiſtentiæ) abiêre cohortes, ſecutis Ducibus, vt aliqua Imperij & diſciplinæ militaris ſpecies eſſet. Quod vbi cognitum Suecis, intimas tunc vires in inſula Mariæburgenſi recolligentibus in ſparſim tendentes Ductore Steinboko prorupêre; alio agmine vacua iam apud Fulcinum Caſtra Botycherus Tribunus inuadebat. Et iſte, ex deſerto vallo, ac morticinis repleta Caſtrorum area triumphabundus, ridenda ſanè, de reportata ex Polonis victoria, quorum ad XX. Millia inuaſis caſtris trucidaſſet, nugigerus bellator typis euulgauit: magis viriliter egit Steinbokus, qui veſtigio abeuntium inſiſtens, legionem Wiſniouecij Ducis ſecurius tendentem, per Aſchembergum nobilis audaciæ Tribunum aliqua clade affecit. Eodem fermè tempore Ludouica Choynicios venit, cum ex refugis noſcitur, haud procul Polonos cum hoſte manum conſerere, qui iam ſparſâ in diuerſa carraginem cum impedimentis diripuiſſet. Nocte concubia Czarne-

1657. cius, aditu ad Reginam imperato, in ſuccurſum laborãtib⁹ abire ſe nunciabat, ſimul vt tantillam moram Choynicijs ſecura traheret, obnixè rogauit; connijciens haudquaquam paſſuram deſtitui ſe præſidio armatorum, ac ſub ictu propinqui diſcriminis, intra inualidi oppidi mænia ſolam relinqui. Aſt illa nihil, implacido diſcuſſæ quietis horrore commota, Czarnecio ſomni interruptionem deprecanti, reſpondit. *Imò (inquit) cum Deo bono perge quantocius Czarneci, ac pro animo tuo & neceſſitate præſenti hoſti occurre. Ego interim hîc immota donec redis ſtationem tuebor.* Mox maturato abitu Czarnecius, ſub diluculum in Suecos incidens pugnauit proſperè, excuſsitq; prædam victoribus, quám quinq; cohortibus fuſis retulerant. Sic, ad ſatietatem Aſchembergum vltus, eadem die ſub veſperam actor & nuntius victoriæ Choynicios redit, pretium operæ captiuos vltra L. adducens, inter quos complures Gallos in gratiam Reginæ libertate donandos, offerebat. Simul affuêre ſalutandæ, vt quiſq; è Proceribus militiæ potior: quippe, vt abeuntem Exercitum ſequerentur Tribuni, Rex permiſerat, quomin⁹ ſub ordinario imperio digreſſo milite, legitima diſceſsio & ex permiſſu facta videretur. Duces in conſpectũ admiſſos Regina lætiore vultu accepit primò, ſed mox, vbi de Rege Caſimiro Gedani relicto, mẽtio incidit, propè dedecus in frontem exprobrauit. *Quæ hæc (inquit) animorum mutatio eſt? quæ furia lymphauit mentes veſtras Poloni? Probrumne dicam ex perfidia, an labem ex leuitate? nec ſcio an non philtrum aliquod Sueticum iterum vos faſcinauerit? Regem veſtrum deſeritis proh nefas! Iusiurandum Tyſsouecijs præſtitum conuellitis, piaculum eſt. Si in gratiam hoſtium Caſtra reliquiſtis, ecce ij è veſtigio inſtant abeuñtibus: ſi præcipiti fuga euadere ſatagitis, mox alium hoſtem eumq; recentem à Tranſyluania habituri. Miſeret me veteris virtutis veſtræ, plusquam pudet leuitatis. Sed exhibete vos per Deum Patriæ filios, ac Regi ſubditos, imò vobismet ipsis vos reddite. Date iſtum fœminæ, Reginæ tamen veſtræ, honorem, vt velut officij cauſa*

ſa obuiam mihi datos ſiſtam Regi, & ex obſequio promptos laudare poſſim, quos ſpreto redeundi ſuaſu, culpare cogar obſtinatos. 1657. Quæ iram inter ac renidentiam vultus effata, complurium pudorem & ſolicitudinem excitauit, pro muliebri affectu zeloſius quàm conſultius in ſalutantes inuecta: donec expoſitis abitus rationibus, maximè quod graui anni tempore, non milites, non equi, iniurias cæli famiſq; amplius tolerare potuiſſent; inſuper, voluntatem Regis digreſſum in hyberna permittentis, luculenter demonſtrauerint. Poſt mulcendorum animorum perita, minis preces mutauit, in regreſſũ Cohortes incitans, etiam additis quantum in præſens licuit promiſsis, aut largitione. Itaq; pluribus vt cum Regina reuerterentur perſuaſum eſt: omnes vt redirent haud conducere viſum, iam quod ora illa diuturnis pabulationibus exhauſta, nequaquam in alimoniam famelicis ſuffeciſſet; ſed magis, quod Ragocius tranſmiſsis Carpatijs montibus, Cracouiam cum ingenti Exercitu tendere nuntiaretur. Etiam Regina, ab eo itinere, quod cum extremo deſtinauerat diſcrimine, abſiſtere debuit, omni Gedanũ verſùs via armatis à Steinboko inſeſſa, & quo ſe tantæ manubiæ verterent, vigili & indefeſſa cura attendente. Quibus maturè perpenſis, tandem iuſta conſideratio propoſitũ iter diſcuſsit, conuerſoq; itinere Caliſsium, inde demum Czeſtochouiam redijt.

Demorante Gedani Rege Caſimiro, rurſum à meridie noua lues viſcera Poloniæ inuaſit; ne non tantùm pelagus agitari ventis ſciremus, aut ſolum mare belluarum ferax eſſe, etiam per Carpatios montes à Tranſyluania, quale nec Africa habuit informe belli monſtrum, in Regnum hoc impetu vehementi decucurrit. *Bellũ Tranſyluanicum.* Monſtrum ſanè, contra veterima nouaq; fœderâ, contra omne fas & iuſtitiam, Regno Poloniæ illatum bellum, ab Georgio Ragocio Tranſyluaniæ Principe; haud ita pridem Ius Nobilitatis Polonæ, efflictim ambitum conſecuto. Is nupero Coſacorum bello, miſsis vltro citroq; auxilijs obſtrictus, & amicitiæ Regiæ illi-

1657. illigatus, nulla repentinæ hostilitatis causâ, ne prætextu quidem, inuios montium nemorumq; saltus, ac obiectas separatis naturæ Alpes Carpatias emensus, acrior ex amico hostis, in Regnũ hoc veniebat. Scire expedit, quis ille & vnde? Transyluania, pars olim Daciæ, Romanorum Prouincia habita, maximè Traiani Imp: contra Decebalum bello gesto inclaruerat. Origo genti ab Hunnis Scythiæ populo deducitur, nec in hanc diem moribus discrepant. Claritudinem peperit Attilæ famosum nomen, adeò, vt flagellum Orbis dici meruerit. In illa demum transmigratione gentium, ac fatali Orbis decursu, dum Romana potentia fatiscit, Hunni cum Auaribus occupauêre Pannonias, dehinc inter se iuncti, etiam nominis ethymologiam miscuêre, ex Hunnis & Auaribus Hungari dicti. Cæterum Transyluania Moldauiæ Transalpinæ australi latere cohæret, à meridie montib' nemoribusq; distincta, tergo reliquæ Hungariæ iungitur. Mediam nobiles fluuij alluunt Tibiscus, (Cissa) Marissus (Maroz) tum alij. Qui Regioni dominatur, Waywoda seu Palatinus dici consueuit, consimili Regulis Moldauicis titulo & dignatione; nunc supergressi istorum opes Transyluani vocabulum Principis vsurpant. Olim ditio ea sub imperio Regum Hungariæ manebat; primum Ioanni Hunniadi celeberrimo Duci in Feudum collata, sed ita, vt Comitis Bystrycensis dignatione contẽtus, titulo & insignibus Transyluaniæ parceret. Rursus, sub Annum MDXLI. Stephanus Maylatus, insessa Fogaras arce, ab Ioanne Zapolio Rege, fiduciario iure concedi sibi extorserat; quoad in viscera Hungariæ sese insinuãtes Turcæ, vasallos isthic suos constituerent. Quid Bathorij, Botschaij; demum Ragocij et plagæ dominati, erga vel contra Christianitatem præstiterint, ex historijs & rerum moderno statu palam est. Nunc pacatis Turcarum cum Austria rebus, pertedere segnis otij Ragocium cæpit, dumq; ab amico putatitio requirimus auxilia Poloni, subita metamorphosi in hostem euasisse deprehendimus. Pridem inter Ragocium ac Georgium Lubomirski

mirski

mirski Mareschallum Regni interueniebant mutui affectûs commercia, seu (vt fit inter conterminos) ciuili elegantia ac amicitiæ officijs Principibus viris certantibus, seu interuentu affinitatis, strictiorem inter vtrosq; parante confidentiam. Adoleuerat ista longiori tempore constans & stabilis & quàm vt innui, submissis ad Zwaniec auxilijs, etiam Regno addictam mentem Transyluanus nuper probauerat. Magnam inde spem concepit Mareschallus, non negaturũ iterum auxilia contra hostes Regni Principem, qui nuper eo beneficio à Rep: erectus, etiam talionem præstiti officij laudabiliter exhibuisset. Dumq; in eo negotio, iã literæ, iam internuntij commeant crebriores, huc mutuis correspondentijs deuentum, vt identidem insinuaret Mareschallus; si Ragocius opem quassatis Poloniæ rebus opportunè suggerit, indignè oppressos armis iuuando, non ingratam fore aliquando Reip: operam, & plurimùm valiturũ medium, ad præoccupandos eo beneficio Polonorum animos, vbi olim eluctata malis Polonia, post sera sterilis Maiestatis fata, solio Sarmatico Regnaturum adsciscit. Talia circumspectus insinuabat, supponens futurum, vt licitis & practicabilibus modis quærere Ragocius diadema, non violentus rapere vellet. Nec displicuêre ea Casimiro vndecunq; præsidia conquirenti, vt Nicolaus Prazmowski Maior Regni Secretarius in Transyluaniam iret, mentem Ragocij pertentaturus, ac explorando vado, inijcere iussus mentionem; sed mentionem tantùm, suspenso in totum negotio, donec prius in suscipiendam religionem Catholicam, firmandasq; Patrias libertates Ragocius disponeretur: quod & factum obiter vt memoraui delibata negotij materia, nullaq; conclusione ab vtrinq; consecuta. Ast eiusmodi instinctus, in causam solitæ Heroibus febris sufficiebat, vt Ragocius, quæ mortalibus ab æuo ingenita regnandi cupido est, confestim assequi præsumens, diutius expectare diadema nollet. Accendebat & æmulatio, quod ad eiusdem sortis brauium, iam Domum Austriacam, etiam Moschum vocari inaudisset. 1657.

1657. ſet. Non incommoda rebus Sueticis, ea Tranſyluani à nobis ſe alienantis ſideratio, quem immodico ambitu Regni deflagrare, vt comperit Carolus, per ſubmiſſos eò ardentius incitabat, quominus conteptus & illuſus, vindicaret à contumelia honorem, ac quo imaginem aliquam Iuris faceret, titulo ſibi in Regnum Poloniæ armis quæſito, in ſpeciem Ciuilis Contractus decedebat: æquè transfundentis quàm acquirentis Iure nullo. Igitur Tranſyluanus ſeu aliena ſuggeſtione ſeu proprio occecatus affectu, palam decreuit contra Polonos Albæ Iuliæ bellum, quidquid militaris iuuentutis Prouincia aluit, in nos armans, quàm ſatius & ex ordine cõtra Chriſtianitatis hoſtem vertiſſet, vel in ſubſidiũ amicæ genti retinuiſſet, diutiùs Principatu & vitâ potiturus. Ad ſubitum inſperatæ hoſtilitatis nuntium, Mareſchallus Regni Cracouiam tunc obſidens, eximendis præoccupato animo ſcrupulis, per Michaëlem Staniſſawſki Halicienſem Vexilliferum conueniebat, iniuſta arma diſuadens, dubium belli euentum ob oculos ponens aſſequendi Diadematis modum & viam aliam explicans, deniq; ad veterem beneuolentiam tutioremq; gloriæ viam, familiarius hortabatur. Claudiopoli Ragociũ decreto iam bello adibat Staniſſawſcius, qui dum poſt exhibitum ſalutationis officium, exponendi quorum cauſa veniſſet, opportunum tempus captat, ex illo Ragocius ãticipatiuè quid noui in Polonia ageretur requirit? Cui ille, vtinam verò ad antiquam formam & modum, omnia hìc & ibi haberentur. *Iam verò (inquit) antequam quidquã proloquar, ſine me Princeps pro innato candore tuo, vt ſciam, ad amicum te Regno noſtro, ac contra venerim? ne interim ad nondum hoſtem verba facturus, in cõtrarium proemia formare cogar. Amicitiam ſiquidem tuam conſtanter obſeruando Poloni, hoſtilitatem neutiquam promeruimus.* Tum Ragocius: *Quandoquidem probè cognita tibi, ex me ipſo intelligere vis, ſcias oportet, vt propediem hoſtem me experiatur Polonia, quia amicum conſeruare neſciuit.* Demum accito Cancellario exponi iuſsit, vt ſibi, oblatione Regni, non ſine graui contumelia,

lia, illuſum eſſet; velut crepundijs, quæ inſinuata pueris, mox ſurripi ſolent. Abunde ſibi ſine ærumnoſo Regno dignitatis & fortunarum, nec afflictiſsimum dominatum ambire: id vnicè dolere, quod oſtentata ſpe diadematis ludificatus, enormi contemptu læderetur; ab amicis edoctus, eaſdem ſpes Regni in Domum Auſtriacam transferre Polonis altiùs fixum manere. Proin iniuriam armis ex æquo reparandam. Excuſauit Staniſſawſki ex nulla Contractus realis (vt vocant) interuenientia, qui demum conſenſu mutuò, verbis ſolennibus, aut ſcriptura authentica firmatus, partes obligare ſolet. Nihil horum interceſsiſſe, ideo, ex nulla obligatione conſequenter nullam iniuriam prætendendam, Dein, ex vi legum Poloniæ cardinalium, debuiſſe in anteceſſum ſtatui de Religione Catholica Romana, & antiquiſsimis Regni libertatibus in ſolidum conſeruandis. Ad hunc obicem tollendum, iniectam mentionem à Prazmouio, ſi à ritibus maiorum diſcedere Princeps nollet, vt Filium minorennem ſpei regnandi admotum, ac adoptionis iure habendum, in Aulam Caſimiri mitteret, in ſinu Regis, & oculis gentis educandum. Libertatem Polonorum in concordibus eligendi Regis ſuffragijs vel maximè cõſiſtere: igitur indici prius Comitia, congregari Ordines, profiteri inter Candidatos nomen, concurrenti ad Solium Ragocio expediebat, demum vnanimi conſenſu Regem proclamandum. Inſuper, nulla à Principe tam æris quàm armatorum ſubſidia indigenti Regno exhibita, vnde euaneſcente promiſſorum effectu, pro quibus deferendi Regni pretium petitur, etiam alteri parti propoſita abrumpere fas fuerit; cùm, vt conditio contractum faciat, ita non impleta reſoluat. Nec æquitati conſentaneum, quod à bona voluntate offerentium proceſsit, ad neceſsitatem trahere, ac prompti animi teſtificationem hoſtilitate penſare. Hæc legatus ex commiſſo, ego ex literis Inſtructorijs inſerui. Etiam in eum finem cooperabatur Ferdinandus III. Cæſar, per Epiſcopum Nitrienſem Hungariæ Cancellarium, ab iniqua vicini Regni impetitione

1657. one dehortatus Ragocium; idem præſtitit Franciſcus Weſſelini Palatinus Statuū, Regni Hungariæ nomine; Mater inſuper Principis, vbi benignioribus monitis non profeciſſet, diras imprecabatur; ſecus ceſſuræ expeditionis, vates magis quàm mora: at, fruſtra omnia, Fato ſuo obſtinatum in præcipitium trahente. Vt enim phrænesi laborantes iacturam rationis niſi poſtquam conualuerint non ſentiunt: ita temeritate dum in bella ferūtur Principes, magis ſpes ex cupiditate, quàm futuros caſus & incertam Martis aleam apprehendere ſolent.

Dum infeſto animo & agmine in ditiones Regni ingruit Ragocius, in anteceſſum euulgari fecerat literas Vniuerſales, cauſas & rationes, cur Poloniam hoſtiliter intraret, exponentes; religionem, libertatem, clementiam ac omnia in integro pollicitus, ſe vt bello temporumq; malis mederetur venire profeſſus, Eo tenore. *Georgius Ragocy D. G. Princeps Tranſyluaniæ, ac partium Regni Hungariæ Dominus, necnon Siculorum Comes &c: &c: Vniuerſis & ſingulis, comprimis Statibus, Ordinibus, atq; incolis inclyti Regni Poloniæ, præſentes viſuris lecturisq;. Cum fatiſcentibus ac indies vergentibus in deterius Reip: Poloniæ rebus, in præſenti ſuo ſtatu, Ordines Regni nihil opis vltra, præſidijq; videntes, Coronam Regni, iam antea, tum recens mediante ſolenni Legatione nobis obtuliſſent; necnon pro veteri noſtra in Nobiliſſimam hanc Gentem, animi propenſione & benè merendi ſtudio, Chriſtianaq; inſuper ducti pietate, Ipſi in perſona cum copijs noſtris, turbatum Reip: Statū componere (Deo adiuvante) apud nos conſtituerimus. Proin operæ pretium facturi, beneuolè monere & adhortari omnes & ſingulos exiſtimauimus, vt lectis præſentibus, qui incolumitatem ſuam ſuorumq; pignorum, tum bonorum conſeruationem ſartam tectam velint, propinquantibus nobis ad fines Regni, tempeſtiuè occurrant; ſuamq; nobis hac vel alia ratione propenſionem ſtudiumq; teſtentur. Qui verò id facere abnuerint, atq; clementi oblationi noſtræ ſe ſe oppoſuerint, non nobis optimæq; ac prorſus innocuæ intentioni noſtræ adſcribant neceſſe eſt, ſi quid malorum ſors*

ſors

ſors belli & temporum iniquitas inuexerit. Nos omnes patrocinium noſtrum amplexos, clementer & placidè ſuſcepturos, à præſētibus belli temporumq; malis vindicaturos, afflictumq; ſtatum quātum licebit reſtauraturos, ac inprimis Libertatem conſcientiarum conſeruaturos, bona fide pollicemur. Daturi Deo iuuante operam, vt pax alma refloreſcat & tranquillitas priuata ac publica, inclyto huic Regno poſtliminio reſtituatur. Quas literas ob maiorem certitudinem ſubſcriptione manus noſtræ munitas, ſigillo quoq; noſtro firmari iuſſimus. Datum in Caſtro noſtro Kolos Monaſtor, die vltima Decembris, Anno CH. 1656. 1657.

Evulgato per viciniores Prouincias Edicto, mox Mareſchallus Lubomirius contrario ſcripto, vim immeritam Tranſyluano exprobrauit, futiles demonſtrans inuadendæ Poloniæ cauſas, nec ex deſtinatione felicē iniquiſsimi belli exitum ominatus: reperto qui adiret Præmyſlienſe Vexillifero Ioanne Woiakowſki, viro prompto, & in efferendum, quæ vltra literas commiſſa animoſo, ſenſus Epiſtolæ erat. *Quo animo in Remp: noſtram Celſitudo Veſtra feratur loquuntur Vniuerſales eiuſdem literæ &c: Sanè eſt quod mirer & doleam, Cel: Veſtræ potiora fuiſſe periculoſa ac indecora, quàm tuta & laudabilia. Evulgato quippe ſcripto, ſpecioſus aſſerendæ libertatis præfigitur titulus, interim hoſtili incurſu, præcipua legum Regni baſis, libera Electio præcipitanter tollitur; iubetur occurrere venienti ſeruitutis ignarus populus, ſed niſi id faciat mancipiorum loco habendus, id eſt ferro igneq; puniendus; promittitur Senatui antiqua dignitas, quæ eadem in tam grandi negotio, inuaſi nulla cauſa Regni, palam conuellitur. Illa ipſa auita, vera, ſanctaq; Religio (pro qua Maioribus noſtris tot fuſum ſanguinis) ad libertatem conſcientiarum, & dogmatum credendi vt quiſq; velit licentiam reſtringitur. Sed & in detentione D. Staniſlawſki legati, affinis mei, publicum negotium, priuatumq; amicitiæ ius violatum, quid aliud expectare iubet, niſi omnia diuina humanaq;, in victimam recens enato ambitui deſtinari &c &c: vocatum ſe Cel: Veſtra ad Poloniæ ſceptrum,*

& per

1657. *& per abruptos tractatus, illuſum quæritur? Fateor legatum à Sereniſſimo Rege meo ad Cel: Veſtram miſſum, ſed non abrupto, ſuſpenſo tantummodò tractatu rediſſe, quia religionis ratio, primos àb vtrinq; vt par erat habuit reſpectus; quid mirum, dilatum id ad Remp: fuiſſe, an Principem diuerſæ Religionis in Regem accipere expediret? Iam verò petendi regni viam ex forma ſtatus noſtri Cel: Veſtræ monſtratam, vti legatos ad Comitia Generalia mitteret, probè ſciens, apud nos Regem, non niſi conſenſu gentis & liberis omnium vocibus deſignari. Ergo hoc non erat abrumpere tractatus, ſed ſuſpendere &c:* Demum poſt alia. *Neq; tantùm Cel: Veſtra in armis reponere ſpei debet, vt mente excidat cauſæ iuſtitia; hac namq; vacillante vinci immoderatam potentiam liquet, bellaq; iniuſtè cæpta infauſtè finiri, creberrimi euentus oſtendunt. Tempus docebit magisnè ſalubria ſuaſerim ego, an Cel: Veſtra ſecuta ſit &c: Datum ex Caſtris ad Cracouiam die 27. Ianuarij Anno CH: 1657.* Detentionem an moram Staniſſawſcij apud Ragocium in diuerſa tunc rumor trahebat. Pleriq; ob infeſta ſtrepentibus armis itinera, reditum diſtuliſſe; multi violenter retentum cenſebant, ne ſcilicet intima conſiliorum, & quæ alia cognita legato, dum redit pateſcerent; quidam ipſo volente, & dimiſſuro Ragocio, vltro adhæſiſſe; ſed quia Poloniam tot hoſtibus, acceſſu Tranſyluani imparem iudicaret, ſpecie retenti manſiſſe, incertum, an metu periculorum. Sanè fatiſcente poſthac Mareſchalli gratia, obiecta fuerat, procurata legati circa latus Ragocij mora.

Ipſo anni exordio Tranſyluanorum copiæ fines Regni intrauêre. Ne tamen Cæſaris Ferdinandi de non mouendo Polonis bello commonefactionem, in totum ſpreuiſſe ille videretur, per Franciſcum Riday neceſſitatem armorum excuſauit, accitum ſe in ſucceſſionem Regni Poloniæ quæſtus, & poſtquam in ſtipulatam deductæ conditiones eſſent, abruptum ſuâ contumeliâ tractatum; iam quod probè ſciret, eiuſdem diadematis oſtentatione Suecum, inſuper pari illicio Moſchum ludificari. Vnde non Regni ambitu, non vltionis accenſum impotentiâ, ſed honoris læſi vindicandi cauſâ, bellum illudentibus mouiſſe, donec reparatur iniuria continuandum. Primum à Tranſyluania armatis iter, per inferam Pocucij oram, quâ Carpatij montes in decliuiora miteſcunt; hic ſuperato Pruto fl: (antiquis Hieraſſus) vltra vinginti Hungarorum Millia cenſa ſunt; Moldauis præterea Valachiſq; etiam Leuenſis vtriuſq; Tyræ ripæ accolis prædonibus, ſupra X. Millia in ſocietatē belli pertractis. Penes Ianuſsium Kimeni Exercitus imperium; Gabor Bakoſsi Magiſter Equitum; Stephanus Gieroffi Excubiarum, Gabriel Bethlenus armamentarij curam obtinebant: Michaële Mikeſsij conſiliorum & literarum Principis intima expediente. Vltra radices Alpium progreſsis, X. Millia Coſacorū Vkraijnenſium, ſub Antonio Zelenecki, ac Popenko Tribunis ſe ſe adiunxêre: & ij quidem nuper iurati Tranſyluaniæ hoſtes, iam nunc præpollente in Polonos odio, veteres offenſas abdicabant, in obſequium Ragocij deuincti Iuramento. Aſt, laterem lauat, quiſquis iuriſiurandi vinculo Coſacum fideliorem credit, naturam citiùs aut vitam deponet, quàm vt eo nexu adſtrictus innatam peierādi leuitatem exuat. Senſere mox limites Regni ingreſſum Hungarorum, non infeſti modo, ſed plusquàm hoſtilis agminis, cum reuixiſſet in Ragocio Attila, & gens Hunnicæ originis memor, ſupra humanam crudelitatem in innoxios ſæuiret. Continenti incendio reluxit ſubmontanus tractus, vbiq; cædes, flamma, deſolatio, oſtenditq; indiſcretus à primo limine Princeps, alium in vniuerſalibus literis, alium in factis præſentibus, ſibi animum ſuppetere, nec tam ad Regnum, quàm in exitium Poloniæ deproperaſſe. Prima vis in Samboriam conuerſa, oppidum non infrequens, at nullis operibus firmum, & agreſtibus tantùm montanis, aut qui alij ſalis foſſores hic exiſtunt, inſeſſum. Introgreſſus paulò ante Guldinus Centurio cum LXX. legionarijs, triduo ferè aſsilie͂tes Hungaros egregiè ſuſtinuit oppidum defendendo: pari ſucceſſu Premyſlia, dein Iaroſſauia tentata, niſi quod iſtæ præbito lytro

1657.

1657. lytro securitatem pecuniæ debere maluerunt. Omnium constans opinio erat, Ragocium iter destinare Leopolim, isthic sedem belli locaturum, subsidijs ex Hungaria & Vkrayna commodius recipiendis: iam quando vellet expeditum in viscera Regni iter habiturum, pro regula belli nullum à tergo hostem relinquendo. Sed omisit Cracouiam, vnde in cætera regimen festinans, nec magis in alias curas intent' nisi vt Metropoli recepta, quantocius insignibus Regni potiretur. Eas nimiùm cupientis spes nonnihil remorata arx Lancutensis, Mareschalli hæredium, quàm ille nisi mox se dederet, admotis tormentis, quassari & solo æquari iusserat: sed plus in verbo furoris quàm in opere efficaciæ ostendit, præsidiarijs mentionem dedendi planè reijcientibus, & muris Fortalitij solidioribus, quàm vt perfunctorio iactu labefactarentur. Tuebatur locum Pniowski Nobilis Mazouita, Desultoriorum Lubomirij Ductor, quem in perferenda extrema promptum vbi constitit Ragocio, & maturandum iter Cracouiam vrget, nulla notabili edita opera, incensis tantùmmodo circumiectis mappalibus properanter Hungari abscessère.

Conclamatæ penitus res nostræ, inq; desperato statu salus Reip: posita videbatur, quæ Suecorum vim ægrè sustinens, vbi huic Transyluanus iũgitur, ambobus omnino impar esset. Sed quid olim saluando Izráëli Deus, rubri maris aquas diuiserat, etiam tunc inter geminum coniuratorũ hostium Martem, nouissimè periclitantem Poloniam, non sine prodigio conseruatam voluit, per coniunctorum disiunctionem agendo. Cõstabat liquido malè affecto corpori Regni, ante omnia caput reddi oportere: Regem scilicet Casimirum, cui tantisper Gedani demoranti, interceptis ab hoste itineribus, in Regnum redire haud integrum erat. Ad illum, sub elapsi anni finem, diuertisse Ludouicam Reginam memoraui, quæ demum viarum difficultate per occurrentiam hostis absterrita, retro in Clarum Montem redierat. Hic subsistẽtem infallibiles conueniebant, de Transyluanici belli

belli, & iam in viscera Regni infesta Ragocij irruptione nũtij augebat anxietatem, solutum Cracouiæ obsidium, dispersus & exhaustus miles, incerta vndecunq; auxilia: sed præcipua solicitudinis causa, abesse Regem, hospitem an detentum Gedani? lubricum sanè in discretione Vrbis coronatum caput haberi? quæ quãtumuis fida & stabilis, non ideo tamen ex congruo prouisum securitati Máiestatis, intra circumferentiam mæniorum peregrè subsistentis. At herculè maneret illic tantùm depositum in securo? Quis intra Regnum improuiso rerum turbini occurret? quis salubrium consiliorum autor, grassantem felici audacia Transyluanum auertet; aut superuenienti Sueco inconcussum pectus objiciet? 1657. Talia Regina iam absenti per literas Primati, iam præsenti multo suasu Senatui ingerebat, donec omnibus consultissimum videretur, omni possibili modo reducendum Gedano Regem, nec aliter, nisi sospes redit, saluti Patriæ, & dignitati Maiestatis prouideri. Itaq; reducendi negotium sedulitati Czarnecij procurante Regina commissum fuit; quod eo modo executus, in adeunda pericula audaci confidentia veteranus, iuxta & circũspecto consilio. Abeunte ex Prussia Polonico Exercitu, adeo licenter vagabantur isthic Sueci, vt præter abactas prædas, & miserandam Prouinciæ direptionem, Carolus Rex, dum Gedanensibus non vsq; adeo nocere armis; quà terra, quà mari valet, vel elemẽtis ipsis contra eos indignabundus pugnauerit. Exundauerat verno tepore auctus Vistula, solitum alueum supergressus, cum ille operoso commento, perfossis quibus violentia fluminis coërcetur aggeribus, ac deriuato cursu aquarũ, fertiles illos Zuławæ Gedanẽsis territorij agros repentino diluuio superfudit. Pascua, sata, Domos, Palatia, amænasq; hortorum delicias, & quidquid eà plagâ manu factum, inundante elemento obrutum est, incolis ad primam increscentis aquæ violentiam, periculum refugientibus, aut qui præuenti malo, culmina ac summitates ædium, sed frustra, irrepẽtibus. Fidem superat repentina calamitas; vbi modo arua, aut mappalia

1657. palia, subitò locus patiens nauigiorum fuit, & quâ pridie agrestes rusticabantur, iam nunc mira metamorphosi rei nauticæ locus concessit, ac pro aratro, phaselli, immensum æquor sulcabant. Pertigit ad vsq; mænia Vrbis eluuies, non sine Motlauæ periculo, quæ in depressioribus sita, iam involui increscente aqua cæperat.

Ad Suecos revertor: quorum Aschẽbergus apud Choynice; Steinbokus Swiecie versùs, Douglassus circa Mæuum partitis stationibus, substiterant; in summam quo se vereret Rex Polonus intenti. In hos Czarnecius, sparsa per præcursores aduẽtus famâ, deuolat; ac Tucholiâ in obliquum profectionem instituens, simulansq; propinqui hostis ignorantiam, iter prosequitur, velut recta Gedanum pergeret. Obijcit enimverò contra tendenti Aschembergus legionem Mille ducentis Steinboci Equitibus iunctam, ac in conferendam manum prouocat, eò flagrantiùs, quod exacto anno apud Iarostauiã à Czarnecio fusus, par pari referre, ac militari talione cladẽ pẽsare niteretur. Sed non ea mens & consilium Czarnecio, vt ex benèplacito hostis pugnaret, ampliùs è re sua ducenti, si præferocem & pugnæ auidum, protelato certamine differret. Itaq; declinando congressũ per cõpendia viarum modo, concitato cursu abibat, rursus in speciem respirantis, de die subsistebat, parato in conflictũ agmine, & seu eundum, seu pugnandum esset, pariter expedito. Sensit artem & ingenium Steinbokus; quid enim erat prælium destinare & progredi, pugnare velle & continuo cursu lassari, in longinqua rapi & à suis abduci, nisi militare veterani stratagemma, quo elicere partem à toto contenderet, ac abreptis æstu pugnæ promptioribus; dispartitas Suecorum vires, omnibus impar, singulos diuisim conciderer. Itaq; haud impediri abeuntis iter volebat; diuersa Douglassij ac complurium Tribunorum opinione, omnino fugere aduersarium iudicantibus, vbi supra vires suas potentiam Suecorũ intellexisset. Nec sanè tendentis celeritas, multum à fuga aberat, cum decem milliaria per diem conficere minus esset,

equis

equis Polonorum in pertinacem cursum asuefactis: molestum imò arduum insequentibus Suecis, (nam præualuerat consilium insequendi) apud quos grandiores equi, pedibus crassis, ac pernicitate nulla, in cõcitatiorem gressum impulsi, lassitudine protinus succumbebant; etiam denso frigore cænosa viarum congelante, per prædura terræ fragmina excussis soleis incedẽdo, cespitabant aut prouoluebantur. Ad hæc ex præcedendi ratione, quâ ibant nostri, repertos commeatus quos non absumpsissent corrumpebant, sequacibus conculcata tantum stramina, aut semesas fruges relinquendo. Obnixè tamen insequebãtur Sueci, futurum fore iudicantes, vbi in traiectum, aut angustias loci, vel demum ad ripam Vistulæ propulsum agmen deueniret, mox omnis effugij præclusa possibilitate, velut aues visco hærentes circũueniendum. Ita consectatorio curriculo pererrata Prussia demum in Mazouiam vtriq; deuenẽre. Płocko celebris sede Episcopali Ciuitas in ripa Vistulæ iacet, diffusa in immensum alluentis amnis latitudine, nec minori profunditate, quæ patet ex facili nauium frumento onustarum decursu, etiam siccissimo anni tempore. Hic, accensis quo species pernoctantium maneret in statione ignibꝰ, maiorem noctis partẽ quietus substitit Czarnecius; ast primo diluculo non rapiditatem ac cæcas profundi amnis voragines, non tepidas nocturnis frigoribus aquas moratus, cohortes flumen ingredi iubet: tertio iam tranandi amnes experimentum daturus (Pilcam apud Warkam Wieprum apud Gołąb equis transmiserat) iam nunc velut exercitâ nandi dexteritate palam ostendit, haudquaquam metui à se insequentes, qui obstantia elementa superaret. Plurimis horrori vndarum immensæ latitudinis spatia, multi spem enatandi ob profunditatem aluei consumpserant, cum efficax incitamentum facinoris Dux ipse signis præuius, impulsu calcarium equum in vastissimum flumen agit. Deerat hortamentis verborũ tempus, suppleuit opere cunctos antegressus; cum non tam validè præcepta in bello trahant, quàm intrepidè discrimina

Cc in

1657. in oculis militum occupantium Ducum exempla, stimulus audaciæ existant. Inalbescebat cælum, cum secutis, Ductorem cohortibus, ac equorum beneficio in altum progressis, iam signiferi rotatis super aquas vexillis militariter ludebant, Tubicines buccinis occinebant, alij pias cãtiones modulabãtur; complures remissis frænis, voce aut palpo manus, admonebant equos, pertinacis in vlteriorem ripam natatûs. Eo modo (quatuor nonnisi ex gregariis, imbecillioribus in enatandum equis, absorpsêre vortices) superatum flumen est. Vbi adulta dies, Sueci inuolutam rete prædam censentes, omni virium connisu assultũ festinant, mox in aduersa ripa conspectis Polonorum signis, tam celerem amnis traiectum mirantur & fremunt; demum & ipsi conquisitis pontonibus consequi parant, non iniusto metu, ne vlteriori Vistulæ ripa subsistentes Suecos repentinus hostis inuolueret, aut noxia celeritate Prusiã Ducalẽ popularetur.

Per id temporis Paulus Sapieha Palatinus Wilnensis, armorum per Lithuaniam Præfectus, Tykocinum arcem CCCC. Suecis infessam, & in qua tunc defuncti Radiuilli Vxor cum familia degeret, dum non suasus, nec honestæ conditiones in dedẽdum locum inclinant, summa vi oppugnauit. Hunc, vt secum iunctus occurreret Casimiro, solicitauit Czarnecius, sed is neutiquam Tykocinum, nisi deditum aut captum, relinquere conatus; in adultum vsq; Martium obsidionem cõtinuauit: eo demum fine terminatam, vt Tribunus Erskienus retinendum fore locum diffidens, defosso subtus murorum fundamenta pyrio, (qui mos Suecis) arcẽ maiori parte euerteret. Fama erat disperijsse hìc pluribus sæculis congestam Radiuillorum opulentiam; imo quòd mirère, nuper defuncti Ianusij Ducis Palatini Vilnensis corpus dilato tantisper funere, flammis è pyrio in sublime datum, rogum inuenisse in nubibus. At Czarnecius, dum Sueci amnẽ traijciunt, tridui morâ refecto milite, ad extimum vsq; Mazouiæ limitẽ deflectens, subitarijs congressibus iam ad Chorzele pagũ, iam ad Działdouũ oppidum Electorali milite qui occur-

occurrerat disperso, eadem celeritate, rursꝰ superato Vistula 1657.
tandem ad Dersauiam penetrauit, vt sic destinati cursus agonem Gedanum veniens, consummaret. Sanè non ingratus hospes sero diei Vrbẽ veniens, cum facibus ad fores Regiæ, ab effusa & lætante plebe Vrbica deductus. Demissè dum salutat Regem, in eum memorant sensum prolocutum. *A prima iuuenta ad hanc canitiem, sub Patris, Fratris, Tuiq; Regum meorum auspicijs miles, iam nunc in censum publici cursoris transcriptus, ad Te Ser: Rex, vt quæ in visceribus Patriæ nostræ agerentur, relatũm venio. Vtinam lætiora adferre, nondum malis Poloniæ satiatâ fortunâ permisisset, & tot aduersa perpessi, tandem aliquãdo grata pacis vicissitudine recrearemur. Ast, nec dum sudum àëris horizonti nostro redit; & præter violentam Aquilonis tempestatem, recens à Cárpatijs montibus procella Poloniam exagitat. Siquidem vomica & probrum Christianitatis Ragocius, nullâ causâ, nullo demerito, hostiliter Regnum inuadit, & perditissimam gentium colluuiem in rapinas & cædes trahens, omnem oram Poloniæ ferro & igne populatur. Quæ etsi referentibus alijs Tibi nota Rex, hùc me tamen Ludouica Regina, non magis salutis tuæ quàm Patriæ incolumitatis anxia, huc Primas alijq; Proceres Regni delegauêre, quominus in nouissimo discrimine laboranti Patriæ in succursum adesse velis, rogaturum. Equidem modò sospes adsis, iniquiore astro transacta prælia virtute corrigemus, sicubi lapsi aut vacillauimus, resumptis animis iterato pensabimus, abolebimusq; vel præsenti morte clades & dedecora: etsi quidquid hoc biennio deterius actum, magis id malignitate Fati, quàm ignauia nostra contigerit. Ergo Rex Ser: vt redeas, Regina coniunx & Senatus & vniuersa Patria à te impetrari æquum censet, vt te Duce & auspice, destinatam furori gentium Patriam viriliter vindicare, & fumantis Poloniæ bustum, sanguine hostili restinguere valeamus.* Hæc militariter, melior bellator quàm orator, prèsse suo more dixit; inerat quippe asperior pronuntiatio ex læsione palati à vulnere, quo per vtramq; genam globo olim traiectus fuerat. Sub noctem Rex adhibitis in consilium qui

1657. qui adlatus, in arcano decreuit abitum in Regnum, non vltra triduum differendum; sparso interim de industria per Vrbem rumore, Czarnecium Lithuanicis copijs iunctum, in citeriorem Pomeraniam ducturum. Ergo necessarijs in viam ordinatis, ac Christophoro Grodzicki tunc rei armamentariæ Præfecto, in Prussia relicto, Rex, confirmatis in fide Magistratu Populoq; Gedanensi, ab Vrbe discessit: præmisso in antecessum cum septem turmis Woynilouicio, vt is versus Hauptum progressus, Mariæburgensi Insulæ adiacentes pagos popularetur, velut subsequentis Exercitus præcursor. Consecutus frontem tenuit Czarnecius, cum nouem turmis Equestribus; medio agmine institit Rex binis hastatorum signis septus; postremum agmen in recessu Illustrissimo Vexillifero Regni moderante. Exiles sanè si aperto Marte depugnandum foret vix trium Millium copiæ: sed ex necessitate multum pro defensione tanti cōmissi ausuræ, & veteranorum Ducum ingenio & fortuna præualidæ. Ita, accelerato per Pomerelliam itinere, nulla cuiusquam impetitione, aut occursu: & quod mirum dormitantibus Suecorum Chiliarchis Calisium Rex penetrauit, donec inde Czestochouiæ, vbi tunc cum Senatu Regina sisteretur. Dei opus erat, inter tot laqueos incolumem euasisse; qui, etsi Gedani propria & fida Vrbe liber, at extra Vrbem, omni intercluso passu, velut in custodia à Suecis tenebatur: vtq; dici non ineptè posset, in libertate captiuum, & in captiuitate liberum extitisse. Czestochouiæ summo gaudio exceptus, quodq; desperatam aduentus famam sine noxa præuenisset, lætabundi omnes gratulabantur. Complures è Senatu hic compererat, nempe Ioannem Tarnowski Archiepiscopum Leopoliensem, Florianum Czartoryski Cuiauiensem, Ioannem Zawisza Vilnensem Episcopos; Vladislaum Myszkowski Cracouiensem, Ioannem Leszczynski Posnaniensem, Ioannem Tarło Lublinensem, Hieronimum Wierzbowski Brzestensem Palatinos: Castellanum præterea Woynicensem, Ioannem Wielopolski, ac Boguslaum Leszczynski Thesaurarium

rarium Regni, Legationi Viennensi destinatos; Primate, in 1657. quo tum consiliorum vis, ob invaletitudinem ex podagra, absente. Cæpto dein consilio, superuenêre, Ioannes Warszycki Castellanus Crac:, ac Georgius Lubomirski Mareschallus Regni, præter sigillorum Præsides: proposita deliberationis Thesi. Spem pacificationis Sueco abrumpente, vt qui pro solita phrænesi nimiùm sibi fidens, adæquatis conditionibus in deponenda arma flecti nolit; apud Moschum pro pace & præsentibus auxilijs agendum. Hunc quippe in dogmatibus religionis facilius conciliari posse Ecclesiæ Romanæ; tum plurimùm ad rem facere, si in Liuoniam auersione belli & Lithuaniæ euacuatione cooperatur. Assensu omnium excepta propositio; missusq; confestim Ioannes Szomowski Opocznensis Præfectus, explorando Ducis animo: quominus ineunte Majo Legatos mitteret, de condirionibus ponendorū armorū disceptaturos, sicq; concluso tractatu inter finitimas gentes non ingratum bello finem imposituros.

Vnum porro necessarium erat, vt promissis vndecunq; auxilijs, inopia publica aliquo modo subleuaretur, Ærario Regni cessantibus contributionibus vacuo omninò & æneruí; quia istæ sine Comitijs indici non solent: Comitia haberi nequibant, ac licetsi necessitate legem frangente indiceretur tributum, nullatenùs dum hostis vbiq; grassatur exigi poterat. Patrimonium Principis, quod apud exteros apennagium, nos Oèconomias ac bona mensæ Regiæ dicimus, planè auersum bello conciderat; Salis fodinæ, magna arcis Cracouiensis Procuratio, Præfecturæ Prussiæ, hostium in manu habitæ; officinæ nummulariæ, Telonea, ac vectigalia sublata; mercaturæ rationes interuersæ, agricultura squallentibus aruis rara, tum intercluso Vistulâ, nulla frugū in Balthicum exportatio. Vnde depleta re nummaria, ne in nomen quidem mutui sumere afflicta permittebat fides, desperata solutione dare abnuentibus in mutuum Creditoribus; simul omnium indigos diuersa premebant mala, publicam egestatem communi causante calamitate: cum pecunia

1657. cunia, non stimulus tantùm belli, sed elementum quoddam habeatur. Inter subleuandi ærarij media, instituta contributio fuit, (Accyza) ab omnibus quæ in escam vertuntur, ac potabilibus liquoribus; vt Trigesimum Floreni grossum vltimus consumens penderet. Prærogatiua generis ambientibus venum exposita, scilicet qui à fundendo suo vel hostili sanguine (mos maiorum erat virtute ea parare decora) abhorrerent, exhibito quod condictum esset pretio, vti ad Ius Nobilitatis admitterentur. Indicta quinetiam geminatis Restium literis publica Expeditio; stimulati submontani agrestes, quominus arborum concedibus, viarum angustias per Carpathum obsepirent, hinc inde commeanti Transyluano claustra obiecturi, aliaq; ex vsu præsenti.

Eodem temporis, humanis excessit Stanislaus Landzkoronski Terrarum Russiæ Palatinus, Campestris Exercituum Dux, sexagesimum prope ætatis annum attingens. Inclaruerat bello Vkraynēsi in quæuis pericula promptus, etsi variante vt solet fortunâ, animo semper idem. Tiszouecensis Confæderationis pro autore magna parte audijt, popularis sæpe apud militē dum spe alliciens multa promittit, crebriùs ingratus, dum nihil præstat. Zwanecensi expeditione Regimen Exercitus adeptus, apud Casimirum opinione virtutis, & gratiâ floruit; Secessus militaris ad Cracouiam, multum autoritati eius detraxisse visus, tanquam coercendo militi impar esset; imo quod Tyrawski ac Pracki cohortis eius commilitones, seditiosi cætus capita haberentur, conniuentiæ imputatum. In congressu cum Suecis apud Woyniciū propè captus, ægrè manus hostium euasit; Varsauiensi prælio animo magis suo, quàm priori in bellis fortunæ respondit. Campiducis, morte vacans munus, delatum Georgio Lubomirski Regni Mareschallo; Palatina Russiæ dignitas, cum Kowelensi ac Ratnensi amplo reditu Præfecturis, Czarnecio Kijouiensi Castellano cessêre: si recentia Heroum merita æstimas, minus adæquatum excellentissimis vtriusq; virtutibus præmium. Etiam Iacobus Weyher Palatinus Mariæ-

burgensis obijt, priscâ integritate & spectatæ inter arma industriæ Heros. 1657.

Finito Rex Senatus consilio Czestochouiæ, mutandi aêris causa Dankouiam profectus est, quod locus amœno situ & aurâ salubri placeret; vbi Stanislaus Warszycki Castellanus Cracouiensis loci Dominus, haud vulgari humanitate Regem excepit, & tractauit: necessarijs è penu priuato largè suppeditatis, etiam notabili pecuniæ summa tanto hospiti gratificatus. Debita eximio Senatori laus, ex liberaliter habito Rege, Regiq; eo gratior fuit, quòd Warszycius adhuc dum à Zigismundo III. Patre in Senatum adscitus, ne micâ quidem è pane Reip: in eam diem participauerat. Neq; illud extra encomium, toto Suecorum bello, non extra limitem Regni digressum, non in partes hostium vlla arte traductum, aut se Protectioni & oblatis fauoribus insinuantem, inter externorum ludibria, & Suecorū iniurias circumspectè versando, probi Senatoris officium impleuisse, etsi notabili bonorum iacturâ.

Ragocius exinde magis destinata hostilitate quàm amicitia læsa ferox, superato apud Opatouecium Vistula, rectà Cracouiam, Hebdomade magnâ appulit; præmonito literis Wirtio Vrbis Gubernatore à Carolo Sueco, vt venientem intra Metropolim admittens, præsidio Hungarorum permitteret firmandam. Sed idem arcanis codicillis iubebatur, Arcem solicitè retinere, iam si volet intrare Princeps, velut hospitem, & cum tolerabili familiarium comitatu, intromittendum. In diem XXVIII. Martij ingressus in Vrbem Ragocy incidebat; is etsi pluuius ac nubiloso cælo fædus, solēnem nihilominus pompâ, Hungari eo modo instituêre. Præibant longo ordine cohortes, dein vt quisq; splendidior eques, penulatus incessit: post primores militiæ, Priceps ipse seiugi carpento vehebatur confessoribus Sueci Regis Legato, ac Stanissawscio Haliciense Vexillifero. Ab ortu præiacet Vrbi protensa planicies, quàm campum iaculatorium, (Strzelnica) vocant, quod hîc, pro Vrbica militia, ad colliman-

1657. mādam è sclopetis metam artis exercitium, ac publica quædam libratorum palæstra habeatur. Eius campi medium trasuectus Ragocius, occurrentem Wittium excipere intendebat, cum repente horribili fragore immugit cælum & astra detonant, mox collisis vehementer nubibus vibratum fulmen, adequitantem rhedæ armigerum prosternit, exanimatq́; quo item cælesti igne consternati seiuges, non frænis regi aut cohiberi, imo excusso peruicaciter aurigarum moderamine, per abruptas viarum orbitas vagi, currū non sine insidentium periculo, præcipitabant in lapsum. Currui adstites, aut qui ponè in comitatu erant, haud ferebant auxilium, siue proprio metu attoniti, siue insperati atrocitas periculi, animum torpentibus eripuerat. Ragocius ex afflatu obsurdescens dum è curru in terram prosilit, adeo violenter ad terram allisus & concussus fuit, vt pollicem dexteræ manus luxaret. Sub hæc prodibat Vrbis Gubernator, dumq́; in tempus ferocia equorum, & consternatio animorum componitur, officiosè in Vrbem inuitauit, molestissimo imbre, longa proëmia, etiam nouitate casus præcidente. Ita confusâ ingressus pompâ, Vrbem introijt Ragocius, vbi triduo hospitatus, in præsidium Ianussium Bethlenum cum binis Millibus Hungarorum relinquens, breui mora, ipso nempe Sabbatho magno Paschatis peruigilio Pinczouiam versus cōtendit. Siquidem Carolus Sueciæ Rex, lustrato apud Louicium Exercitu, in intima Regni acceleratis passibus deueniebat, nouissima vt existimauit ipse belli opera, defungi intēdens: taliq́; socio, & qui vltra Decebali fortunam rei Polonæ malleus esset, confestim iungendus. Formidolosa sanè coniunctio, tergeminos hostes in Poloniam fæderari, ac velut Trigono Martis, ne vnius quidem impetitioni sufficientem percelli; vel ipsis Colligatis Principibus adeo properè triumphum canentibus, vt vbi excidium nostri ad inuicem condixissent, iam Regni Prouincias se velut cohæredes partirentur: in eum modum exdiuisione facta, vti Minor Polonia cum Russia, Mazouia, Podlachia, in sortē Trāsylua-

syluano cederet, omni Vkraynâ appendicis loco eidem adiectâ; Electori Maior Polonia, Brestensis, Siradiensis, Lanciciensis Palatinatuûm latifundia; pro se diuisor Rex retinebat Prussiam, Pomeraniam, Casubios, & quidquid eo tractu ad ipsum Balthici maris littus extenditur. Lithuania velut Moschi quoq; ratio haberetur extra sortē posita mansit, etsi ambigui qui non sua partirentur essent, an corriualis iste vniuerso Regno inhians, assignata portione acquiescere vellet. Ita tunc herciscundæ Poloniæ rationes in diuiduū ibant, si modò vt sortiri aliena, ita malè parta retinere, inuito Deo licuisset. 1657.

Sandomiriensi tractu propè Opatouiam Carolo Sueco & Transyluano congressis, binosq; Exercitus ad inuicē iungentibus, vtriq; explosis pro more bellatorum machinis inuicem se salutauêre: gētes disciplinâ, habitu, ingenio, inter se difformes, ne in Religione quidem vnius sensus aut cultus, nisi quatenus consimili in Ecclesiam Catholicam odio conspirarent. Tranato Istula per Lublinatem agrum, Leopolim versus iter destinatum, subinde emergēte rumore Zamoscium peti, Carolo in eliberationem Wittembergij, qui isthic in custodia teneretur, enixè contendente. Nec aberrabat à vero fama, siquidē haud multum á via deflectere iudicans Suecus, summo animi ardore Zamoscium iter conuertit; arduam quidem expugnatu Vrbem, quod superiori anno expertus, & nunc festinatas curas remoraturam; at saltem ciuilioribus medijs experiundo hæredis Zamoscij animo, vt in eliberationem detentorum Polemarchorum assentiretur. Quem in antecessum per literas Georgius Niemierzycz Kijouiensis Succamerarius, veteris familiaritatis fiducia in eum sensum conueniebat. *Excelsum animum, nec à Maiorum claritudine degenerem indolem tuam Zamosci, si quis vnquam magni facit, certè Ser: Sueciæ Rex, eximijs Heroibus semper amicus Princeps, ac virtutem etiam in hoste solitus æstimare. Aucta tibi in immensum gloria, ex liberali Præfectorum Sueticorū tractatione, qui contra omne fas intercepti Varsauiæ, apud te*

1657. *detinentur. Iniquitatem certè carceris, ſubleuas humanitatis officio, & dum in præſens calamitoſis tractabilẽ te exhibes, abũdè gratitudinem mereris. Ac vt intelligas, meritum à munifico Rege rependi velle; vt omnis quæ tibi hæreditaria ditio eſt, à rapinis licentiaq; prætereuntium Exercituum immunis exiſtat, datis qui noxam auerruncent (ſalua Guardia) proſpexiſſe. Iterum quippe Suecorum Hungarorumq; Exercitus, victoriarum curſu Regnum hoc peragrant, & niſi Poloni incolumitatem ſuã odiſſe deſinunt, numeroſarum gentium armis obruendi. Quippe Caſimirus extorris Regno nuſquã certo loco conſiſtit, Exercitus Polonos victor præſeagit, ſubſidia externorũ nulla comparẽt, reſiſtendi poſſibilitas omnis præciſa manet, & nihil ſpei reliquum, niſi quãtum ex victorum clementia obtineri liceat. Hac & tibi Zamoſci vtendum eſt, adi coram Seren: Regem, ac ei quos in detentione habes Suecorum Præfectos, maiori generoſitate ſiſte, quàm eos Caſimirus contra datam fidem intercepiſſet.* Reſponſum à Zamoſcio. *Literæ, quas à te Niemierycz accepi. haud diſſentiunt ab animo autoris, vt qui communis Patriæ deſertor, in ſimile flagitium alios corrumpi velis. Illibatam tamen, nec vllis fauorũ crepundijs, aut aduerſorũ terriculamentis conuellendam fidem meam ſcito. Etiam ſcribere mihi amplius deſine, niſi meliori actu deſertæ Patriæ probrum eluis; non aliter reſponſi, vices obtenturus. Ex animo ſiquidem à talium conſortio abhorreo, qui viſcera Patriæ viperarum inſtar lacerant. Quantùm ad detentos Suecos, nonniſi ad arbitrium & mandatum ſolius Caſimiri æquè ſibi ac Niemiericio legitimi Regis teneri dimittendos ſed iã iſtos pro vadimonio fore, ſi qua patrimonio ſuo ab hoſtib9 infertur noxa aut detrimẽtũ, nõ aliter poſthac libertati niſi damno compenſato reſtituendos &c.* Sic requiſitionis ſpem vlteriorem animoſum ſcriptum præcidit, vt omiſsis Vrbis, & intro exiſtentis Heri tentamentis, in Lithuaniam hoſtiles Exercitus profectionem inſtituerint.

Cur autem Lithuania peteretur; ratio conſilij poſthac patuit. Suecus in cui9 arbitriũ totũ ſe Ragocius dabat, nimia promittendo, & præſentia in ſuum commodum vertẽs, enixè

enixè metuebat Liuoniæ, quam exacto anno Moschus obſeſſâ Rigâ afflixerat; præuidebat nimirùm haudquaquam ex voto in Polonia ſe belligeraturum, ſi formidoloſa potẽtis vicini impetitione, retro abſtrahitur; ac inutiles lauros forè quos peregrè parauiſſet, ſi domi & in proprijs ditionibus periclitatur. Itaq; facilius trahendum in partes aduerſarium exiſtimans, vbi in eas vires eualuiſſe Colligatorum robur cerneret, in Lithuaniam tetendit, vel hoſtem inibi reperturus Moſchum, vel amicum redditurus. Breſtiæ (Brześćie) Lithuanorum aliqui conuenerant ex noſtris, quò & Moſchorum internuntios venire rumor tulit, & mox ſubmittenda contra Suecum auxilia promittebantur. Id certis relationibus accipiens Carolus, præuenire conſilia, conſultoresq; diſsipare deſiderabat, cùm ſpes, ſubeſſet ſi primo occurſu Colligati vires oſtentarent & animos, facilius poſthac Moſchum ad ineundæ pacis leges deſcẽſurum: & Exercitus Polonus aperto certamini impar, obliquis per Podlachiam diuerticulis, congreſſum aut prælium, planè declinaret. Certè recedebat, ſed identidem opportunitatem rei benè gerendæ circumſpiciens; ac ita ſubductis in longinqua Colligatorum armis, datum tempus Czarnecio fuit, quominus in Poloniam retro cum ſuis abiret, & Mareſchallus cum Vexillifero Regni in Tranſyluaniam hoſtiliter incurrerent: prior vt Caſimiro Regi vocatus aſsiſteret; iſti talionis iure iniuriam repoſituri, grauem Poloniæ Tranſyluanũ ad defendenda propria auertendo, ſolito belli morè, quominus Carthaginem propugnaturus ab Italia Annibal detraheretur. 1657.

Breſtia, inter Bugi ac Muchawiec amnium confluentes, loco admodum paluſtri ſita eſt, niſi quod tunc nec operibus, nec à re frumentaria quantùm ſatis prouiſa exiſteret, Frequens intro populus, ex municipibus conueniſq;, ſed numer9 magis quàm præſidiũ, qui vbi foſſæ exteriores primo incurſu ſuperatæ, & depreſſo ſitu oppidũ ad ictus machinarũ pateſcit, metu ne pyrobolarium globorum iactu incenderentur

rentur ædificia, solùm ostentato assultu terrefacti incolæ in
1657. breui locum dedidêre, tantùm, vt vita & bona incolumia essent, quæ vtraq; promissa, mox abruptâ fide, seruatum nihil. Iam quippe á socijs Hungaris & Sueci condiscebant inconstantiam, & æmulabantur crudelitatem. Subinde Arci Præfectus in deditionem inclinauit, quamuis ab initio maiorem animi firmitudinem præsidiarij (quadringenti erant) ostendissent, triduo hostem sustinendo. Hinc Sueco indignatio, vt Præfecto Præsidij obnuntiari iusserit, nisi ineptus strenuitatis ostentator locum protinus tradit, mox tot mortalibus, quod arce clauderentur, extrema arcessiturum. Qui imperioso mandato fractus, huc flexit, vt arcem arbitrio hostis minantis permitteret, concessa Salua Guardia seu libero commeatu emissus, etsi præsidiarijs in abscessu ab Hungaris miserum in modum mactatis aut spoliatis. Hoc primum Colligatorum armorum facinus extitit, Brestiam subegisse; ad eam si dici mereretur Ciuitatẽ, Hebraico vel maximè habitatam populo (nam hìc priuilegiatũ Gymnasiũ Apellæ isti habent) obhæsit potentia Europæ formidolosa, Poloniæ terribilis; cæpitq; compaginata sensim dissolui machina, non humana aliqua arte aut ingenio, sed Primâ Causâ sic volente; vt velut Gyndes fluuius, à Cyro in complures riuos diductus euanuit deriuatus, ita illa gentiũ colluuies, Deo volente terreret coniuncta, diuisa interiret. Retinendæ in nomen suum Brestiæ Ragocius præsidium reliquit Hungarorum, Michaële Bakosy sub Gubernatoris nomine imposito: cætera tanti agminis colluuies circumcirca discursu facto, passim direptionibus & incendijs cuncta deformabat, etsi, quæ acerbior rapina exerceri potest, illâ, quæ in sepulchra & loculos mortuorum grassatur. Varsauiam inde repetendam iudicauêre Colligati ex eo, quod Austriacis auxilijs erectum Casimirum ac contra tendẽtẽ, nullibi securius excipere possẽnt, quàm in omnem casum præhensa Vistulæ ripa, & promptiori ex fortalitijs Prussiæ, vbi opus, subsidiorum accursu. Interim per viam non vsq; læta no-

ualia

ualia ambobus nuntiabantur; Carolo quod Fridericus III 1657.
Daniæ Rex veterum iniuriarum haud immemor, Suetici Iuris Prouincias bello aggrederetur, classe infesta Balthicum mare teneret, Bremæ & Mindensi ditioni immineret, ac propediem armati Exercitus Danorum in Pomeraniam excensuri sperarentur. Ragocio adferebant nuntij, Mareschallũ Lubomirscium in ditiones eius hostiliter irrupisse, & nisi succurrerit quantocius, in Prouincia exermi, ac præter senes imbellemq; sexum penitꝰ viris destituta, omnia ferro & igni concidenda. Turcas etiam ægrius ferre, inconsultâ Portâ Ottomanicâ Vasallũ, bello vicinæ gentis implicari. Quin iam ægrè inter socios Principes conueniebat, planè sui dissimiles, & diuersa volentes. Caroli quidem arbitrio circa belli progressum, duci se patiebatur Ragocius, quæ iussa, quæ indita pro oraculis accipiens: ast, non vnius genij & climatis mortales, ingens morum animorumq; dissidium exercebat, vt non modo segregari Castris, sed etiam dum proficiscuntur disiungi agmine expediret. Suecos pabulatum digressos excutiebant Hungari; iam verò Cosaci, si quid prædæ notabilioris penes istos, trucidabant eripiendo. Vnde in Castris rixæ, tumultus, cædes, sæpius vlciscendi aut repugnandi æstu eo delatis partibus, vt ex priuata offensa exitiabile certamen immineret. Varsauiam vbi ventum, facile Vrbs antecedentibus casibus eneruis in potestátem venit, similiter vt Brestia direptione militari mulctata. Fidei Hungarorum se commiserat (nimirum in sortem Transyluani ex pacto diuisorio transcripta) cum reclusis Portis vim patitur, qualem expugnata vix pertulisset. Violata templa, expilatæ Ciuium domus, paucis vitam ferrum indulsit, igni quoq; in suburbana sæuitum, vt ne Regio quidẽ Palatio flammæ pepercerint. Inhumanum planè facinus in deditios sæuire, etsi ab insolenti milite extra scitum Ragocij patratum constiterit, imputatum tamen Principi nefas, cum etsi non iussisset, vetare tamẽ pro imperio debuerát.

Interea mortalitatem expleuit Ferdinandus III Roma-

 norum

1657. norum Impe: , magno Christianitatis, nec minore populorũ sibi subiectorum desiderio. Ferdinando II. Patre viuente Diadema Imperij susceperat, Rex Romanorum Electus Anno CH: 1636. (quod mirêre) inter bella cum Suecis grauissima; obijcientibus Austriacæ domus æmulis, legitimæ Electioni ex præscripto Aureæ Bullæ, quæ Carolina dicitur, septimi Electoris defuisse suffragium. E Collegio namq; Electorali Treuirensis Præsul in detentione habitus, suffragio renuntiandi Imp: destituebatur: etsi plurium consensui in inaugurationibus Augustorum eiusmodi, obstare vnus nescio an ex iure potuerit? Initia imperij Ferdinando III. admodum turbulenta contingêre, Suetico Marte cuncta per Germaniam susq; deq; permiscente, quas inter bellorum turbas agitatus, pacem animitùs procurauit, nec tamen studio pacis, omninò à bello abhorrens. Sed præcipua ex pietate laus, quæ peculiaris Austriacorum virtus creditur; & cui plusquam Electorum suffragijs, fortè iam septemdecim Cæsarum laureas, domus ista debeat. Spatium imperandi vnus & viginti anni componebant, quibus vt deterrimo Imperij statu solium inijt, ita sublatus è viuis, tranquillas admodum res, & opima pace florentes reliquit. Ante mortem quadriennio, Ferdinandum IV Filium consortem Imperij præmaturo fato extinctum cum extulisset, iam tunc Leopoldum Iuniorem Hungariæ ac Bohemiæ sceptris admotum, quominus successorem se viuente conspiceret, id consilij agitantem mors intercepit. Ab eo auxilia Casimiro Regi promissa intra verba tantùm stetêre, seu solita vergenti ætati cunctatione, seu pactorum cum Suecis respectu; certè sub mortem indilatè præstanda Filio Leopoldo commendauerat. Qui demum cunctationem Parentis vtcunq; sarcijt, vbi Ioannes Leszczynski Palatinus Poznaniensis, ac Ioannes Wielopolski Castellanus Woynicensis Legati, primò dolorem Regis nomine ex obitu optimi Imp: testati, simul decreta ante auxilia, ex fæderum tabulis vt mitterentur, amputatis dilationibus effecêre. Igitur sexdecim Millia quâ peditum

quâ

quâ Equitũ militiæ Austriacæ, ab extimo Silesiæ limite in Poloniam ingressa sunt, sub titulo præstandorũ contra Ragocium Transyluaniæ Principem auxiliorum; nam hactenus Sueco parcere visum, obtentu pacis Osnaburgæ post Monasterij cum ea gente initæ, & in speciem retinendæ. 1657.

Marius Iaskolski Excubijs Castrorum Præfectus, aliquoties in Tauricam Legati perfunctus munere, ad Turcã tunc expeditus; qui dum limitem Hungaricum transit, ab immisso Prædonum globo ex itinere retractus, ad matrem Ragocij Potokum Hungariæ oppidum deductus fuit. Constabat ex inhumana Legati tractatione Iura gentium violata; eò magis, quod arcana literarum quæ Ottomano ferebat, contra omne fas latrones eripuissent. Vnde innotescente iniuriâ correptam à Bassa Silistriæ ob facinus Ragociam, subibat mox pænitentia, excusabatq; factum, à licentiosis hominibus patratum, quod sibi ignoranti nequaquam imputari posset. Res interceptæ prout conquiri potuêre redditæ conciliatusq; Iaskolscius, á muliere inuidiam facti á se in totum amoliente, ne Turcam irritaret, iam haud occultè indignantem, sine scitu suo Poloniam oppugnari: non quod non volupe esset sanguinariæ genti, Christianos cognatis inuicem armis inter se collidentes spectare; ast illigari nolebant Transyluanum ingenio & opibus ferocem, hostibus nostris, Sueco præcipuè, qui palam iactaret, quantocius subacta Polonia, totius mox Europæ vires, in Turcam conuersurum. Verior coniectura suberat, ex metu coniunctionis Moschouiticæ, ad aquam extrema necessitate adigi Polonos nequaquam optaret Turca. Sanè res consideratione nòn indigna. Extremis laborat Polonia, & tot procis inconciliandam amicitiam petitur; vbiq; opem, succursum, commiserationem quærit, nihilominus reperti, qui eneruẽ formidarẽt, & ad incitas redactæ ambirent confidentiã. Tot gentibus inuasa, tot arcium præsidijs grauata, abundat armis & milite, affluit sufficientia annonæ, vt medimnus siliginis exili admodum pretio venunderetur, sola premente rei nũ-

mariæ

mariæ difficultate. Quò altior indago Moſchouiticæ potentiæ cum Polono iungēdæ, animo Turcæ inſidet, eò 1657. gratior Iaſkolſcij Conſtantinopolim aduentus fuit, & celerior ex mente mittentis expeditio. Auxilia ſi modo indiget Rex à Barbaris pollicita, Scythæ in rebelles Coſacos animaduertere iuſsi; Ragocio ni confeſtim reuocatorijs parens à bello Polonico abſiſtit, priuatio Dominatus interminatur: adeò æternæ Prouidentiæ eſt, naufragis portum, elatis caſum, depreſsis ſalutem, deniq; abiectis deſperatiſq; firmiſsimum præſtare aſyllum.

Ad Coſacos quin etiam, quominus ad frugem & obſequium Maieſtatis reduci poſſent Reip: nomine miſſus Stanislaus Bieniewſki, cum Ludouico Iewłaſzowſki, ille Wołhyniæ, hic Smolenſcenſis Caſtellani, promptus ingenio prior & exercita facundia, neq; defuit alteri ſua dexteritas. Iam Chmielnicium ætate defectum vigor & robur, nondum natura & conſuetæ artes deſerebant; præſto lachrymæ, ſermo reſipiſcētiam ſpirans, vix verbum ſine aduocatione Numinis, vix colloquium ſine debita veneratione Maieſtatis, in Patriam zelus, in Conciues officium, palam & ſine modo iactata: Moſcho interim peruicax adhærebat; Scytharum amicitiam veterem, aut ſaltem odium recens præſenti penſione redimebat; nouiter Tranſyluano in nos bellum adornanti, XII Coſacorū Millibus ſubmiſsis Exercitum auxerat: quæ omnia Bienieuius iam arguens vt conuiceret, iam dehortans vt pæniteret, iam ſtimulans vt in ſpem clementiæ adduceret, quantùm verbis valuit, eleuare non deſtitit. Ad quæ Chmielnicius reponebat, Precarium ſibi in Coſacos regimen, apud quos quot capita tot ſenſus eſſent; partes & obſequium Moſchi Plebem amplexam, huc conſenſu populari tractū ſe, quia vnus cunctis reſiſtere non poſſet. Ragocio iungi nunquam ſibi placitum, veteri Coſacorum hoſti, & ſuo filicidæ. Quod Antonius ac Zelenecki exleges ac aduerſum ſua imperia contumaces, in cauſam apertè deſcenderint, improbrari à ſe factum, imò pro capitali crimine

ne puniturum, & reuocandos protinùs, ſi modo ſceleratis 1657. hominibus maneret aliqua imperij militaris reuerentia. Ad Moſchi patrocinium quod attinet. Arcta iuriſiurandi religione deuinctum ſe Mag: Duci, nec expedire vt vno pede in cymba Charontis ſtando, violatione iuramenti cælites irritaret. *Aſt tuear (inquit) ego in extrema vitæ integram fidem? Georgium autem Filium meum, ſi in hunc Rex transfert ſuo iure regimen Exercitus Zaporoſcenſis, nulla religio pro legitimo domino ſtare prohibebit: ac dum in obſequia Regis annis effætus ſenex non ſufficio, aſt hic (Filium monſtrans) iuuenis, fide & meritis militaribus promerebitur Maieſtatem. Idq; ſine diſgratia Moſchi fieri poterit, vt quem ego ſtabili obſequio, etiā vos diademate Regio, vt publicus fert rumor ornandum, iudicaſtis.* Dein ad Antonium Coſacorum Tribunum reuocatorias dedit, niſi mandatis paret, ſpreti imperij nefas, capite expiaturum minitans.

Varſauiæ, quæ à geminis hoſtibus miſerum in modum tractatā, Carolus Rex cum Ragocio in concilium præcipuos vtriusq; militiæ Proceres vocauit, præfatus de rebus ſummi momenti acturum: mira indole Princeps, & nuſquam in ſpeciē lætior, niſi, cum aduerſis pulſaretur. Arrecti omnes expectabant, renidenti ori conformia audire, cum ille obuerſus ad Ragocium infit. *Iamverò debitam exdiuiſæ Poloniæ ſortem, communi noſtrûm Marte euictam ac poſſeſſam, fauſto omine cape, amice ac Princeps Celſiſſime. Aduerſarios victricibus armis repulimus, Regnum Poloniæ infeſtis ſignis peragrauimus, Exercitus hoſtiles fracti aut diſſipati, Vrbes captæ, aliæ præſidijs inſeſſæ, nemine ſe vltra opponente cuncti imbellia fatentur; quid ni iure noſtro vtimur, vſucaptione acquiſita ineundo? cum ex infallibili regula iuris, quod nullius eſt, occupantis fit. Si ergo ſciuimus vincere, neq; victoria vti ignoremus: His præmiſſis, tu quam placet viam inibis Princeps Cel:, ego me in Pruſſiam dabo, maleuolis victoriarum mearum curſum iniquiſſimè obſtruentibus, arma oppoſiturus. Steinbocus intereate, cum ſelecta Suetici Exercitus parte, comitabitur; facturus omnia*

Ee

1657. *mnia quod è re & imperio tuo fuerit: sic licet disiuncti, pro communi societatis bono insimul agemus, vt rursus compositi à latere difficultatibus, validius adinuicem coniungamur.* Accepit ea Ragocius (tàm sæuire promptus, quàm timere facilis) ne intima animi sensa proderet, ore inelaboratam firmitudinem composito, gratiasq; obiter egit tractatæ in eam diem societatis, etsi retinendæ in posterum anxius; vnde responsum formanti dum fluctuat animus, & verba in respondendum desunt, tractum curiosis omen, valedicere deinceps non salutaturum. Quippe, cor etsi fibrarum munimentis ac pectoris muro inclusum, commotio interna affligit vel maximè: hinc palpitando prodit intrinsecas passiones. Quo non sine cordolio Ragocius ægerrimè tulit, commilitonem Regem abstrahi repentino abitu in longinqua, serò vel nunquam rediturum: sibi interim à fronte Cæsaris militiam, & quadrifariam diuiso Exercitu Polono, Duces gentis vndiq; circumfundi. Hungariam quinetiam quà sua est, incendijs fumare & desolari, non à Polonis modò quos læsisset, sed à Weselino quoq; Palatino populari & affine suo, spreti moniti Cæsarei iniuriam vlciscente. In relictô Suecorum subsidio exilem restare spem, quorum Steinbokus duo quidem millia numeraret, ij tamen ægrè vnum Mille in câpo complerent, raro sub signis milite; quid si subsidium id euanescet, ac Germanus miles externi imperij fastidio, aut commilitij Hungarorum pertæsus, sensim dilabetur? actû de se, & ex disiuncto periclitaturum velut nauem, quæ integra natat, diuisa mergitur: sanè vera sed sera, in considerationem veniebant, quæ tamen sub abitum ex Transyluania maturiùs perpendisset.

Subsistente Casimiro Dankouiæ, quod Warszycciæ Familiæ fortalitium est, Austriacus miles limitem Regni intrauit: Hatsfeldius Comes, Montecuculi, Zuza, Sparrius, Bucchaymus, Heysterus, Succhius &c: Præfecti, sub Generalium aut Tribunorum nomine. Quos Rex salutatum admissos, dein conuiuio adhibitos, magnificè tractari voluit; etiam

am

am transeuntibus legionibus luculenter præbito commeatu, 1657. quem proximioris tractus suppeditabat Nobilitas, data reponendi pretij post bellum cautione. Exhibitum id auxilium à Leopoldo recens inaugurato Hungariæ Rege, rem diu desideratam, pro peculiari officiositate multi accipiebant; etsi quibus penitior rerum intelligendarum sensus, plurimo cõstiturum succursum, in præsens gratum, mox grauaminosũ, prudenti coniectura dispungerent: ex eo vel maximè, quòd Salinæ Wielicenses, præcipuus mensæ Regiæ prouentus, exnunc conuentionalitèr hypotecatæ seu pignori traditæ forent, quoad pro expẽsis belli parti auxiliãti satisfieret; quin etiam summæ Neapolitanæ in vadimonium eius Crediti cedebant, proueniente censu in fiscum Cæsareum tantisper inferendo. Constitit ad præduras conditiones Legatos nostros reclamasse Viennæ, dum Austriaci Ministri minus liberali pactione ad priuatum commodum velificati, nulla afflicti ac planè exsucci Regni cõmiseratione ducuntur. Ast Casimirus, animi etiam inter fortunæ angustias retinens, vt assentirentur perscripserat, identidem dictitans, satiùs partem pro toto dare, & in tempus cum indigentia conflictari, quàm pro semper miserum esse.

Bello gerendo accinctus Rex, in Clarum Montẽ primùm diuertit, (die IX Iunij) quassatæ fortunæ asyllum loco sacro quærens, & tot ærumnis solatium; etiam expertus humana subsidia tarda, & futilem in mortali ope confidentiam; recurritq; per preces ad DEIPARAM, in cuius manu Filius ille teneatur, per quem Reges regnant, & Regna de gente in gentem transferuntur. Vbi constitit Suecum ab Hungaris disiunctum, & Ragocium nihil magis quàm retrò abscessum meditari, iamq; non expectato donec pons construeretur, apud Zawichostum quà pontonibus quà nando in celeriorem abitum traijcere. Vistulam protinus ad insequendum hostem Casimirus Rex mouit; præmissis leuioris armaturæ cohortibus, quæ abeunti imminentes ac tergum carpentes, regressum Hungarorum donec ipse superuenit

 tan-

tantiſper diſtinerent. Ipſe mox cum graui Germanorum
1657. agmine ſubſecutus, copias ad Pinczouiã Marchionum ſedẽ, explicat, & in ſubigendam ex itinere contendit. Oppidũ in ripa Nidæ fluuij loco amæno iacet, Arcem in eminenti cliuo ſitam Nicolaus Gnoinſki haud obſcuris Patritius natalib⁹ ſed leue & turbulentum caput, Quingentis mixtim Suecis ac Hungaris tuebatur, ſubeuntesq; Germanos primò animoſè ſuſtinuit; aſt vbi ad D. Annæ ſacellum ſuggeſtus erigi, tormenta locari, & nihil quod impreſsionem moraretur intermitti videt, haud cunctãter locum dedidit, abijtq; emiſſus; etſi ſeueritatis exemplum in eo ſtatuere Czarnecius maximè vellet, cum in dimittendo præualeret Regis conniuentia; non tamen rigidior Dux impunè tulit popularium contumaciâ illudi Regiæ benignitati: Siquidem interceptos qui occultas literas ad Wirtium ferebant, Szlichtyngum ac alterum Nobiles Arrianos, iudicio militari damnatos, apud Michałow pagum laqueo ſtrangulari iuſſerat, nulla paſſus interceſsione pœnam mitigari, ex condigno diſciplinæ militaris retinens, & aduerſus flagitia indeprecabilis. Traiecto interim Viſtula Hungari, omnia in præcipitem abitum maturabant, impedimenta caſtrenſia quæ recedentibus oneri cremata, machinæ lacunis merſæ, commeatus in aquas præcipitati, morbidi deſerti, captiui obtruncati, potiora tantum quibus ex meliori metallo prætium ſpolia, clitellarijs iumentis, aut ſinu abdita, relictis paſsim curribus, in viam nullo ordine rapiebant. Horum cum Czarnecio cohortes Polonæ, apud Solec ſuperato flumine, tergo abeuntium inſiſtunt, vel à lateribus aſſultant, vt numero impares, ſic animo flagrantes, ac ſæpius expertæ, à metuente in viam tantũ quâ fugeret intendi oculos, non in eos qui inſequerentur. Acceſit dein Generalis Potocius à Sokalo veniens; tum Hilarius Połubinſki Notarius Campeſtris cum Lithuanorum Tribus Mill:, ſiniſtrum latus iam fluctuãtis hoſtis vndiq; premendo: ſi flumen, ſylua, traiectus, aut loci anguſtiæ occurrerent in via, ſubitarijs incurſibus pugnatum, paſsim cædes, & ve-

& veſtigia retrouertentium cadaueribus conſtrata. Reficiendo ex via militi apud Magierow ſubſiſterat Tranſyluanus, 1657.
cum ne dimidiæ horulæ ſpatio permiſſa quiete, ingruunt Poloni, reſiſtere auſos diſpellunt fugantq;; reliquis ſubitum terrorem incutientes. Apparebat facilè hic fundi, ac ſemicinctos interneciuè deleri potuiſſe, niſi Kimenius cum Equite aggerem ſtagni prior occupaſſet, quem ſuis vt omni niſu hoſti præriperent Czarnecius mandauerat. Quod dum acerrimè expediunt, in ipſo capite molis, traiectus globo occumbit Ioachimus Łacki Myſzkouianæ cohortis Loricatorum Optio, lethali vulnere, loco tamen haud decedens, donec animam efflaſſet: penſata iactura vltra Mille Hungarorum cæde; funeſto experimento in diem XI. Iulij incidente, quo præda ingens Polonis recuperata, media parte impedimentorum multato Tranſyluano: ac tunc, ſi quando, verificato illo biblico ænigmate, de comedente exijſſe cibũ, vbi prædator hoſtis in rapinam venit.

Oſtendebat nihilominus abiens ordinati agminis Ragocius ſpeciem, cum iterum ad Rozwolence fuſus, ſenſim animo concideret, Hungaris metu & inediâ fatiſcentibus, Coſacis tergum & effugium reſpectantibus; ſed maximâ deſperationis cauſâ, vbi Hanum Crimenſem cum numeroſis Scytharum copijs ſuperuenire inaudiſſet, hinc nouiſsimo caſu conſternatus, in ipſo periculi limine ſpem ſalutis omnẽ conſumpſerat, antequam periclitaretur. Erratum præterea ab illo, (vti accidit corrumpi cõſilia dum nouiſsima inſtãt) quod cum Montana verſus tutior regrẽdienti tractus eſſet, planè læua mente in campeſtria Wołhyniæ abduci ſe pateretur, donec ad Nigrum Oſtrouum deflecteret. Hìc tandem quid de perituro Exercitu ſequior conſtituiſſet fortuna, explicare decreuit. Ab læua Miedzybozum arx Sieniauiæ Domus erat, ex aduerſo Deraznia flumen, vadis fallacibus imperuium, & anguſto ponte vix ſextidui mora ſuperandũ, obtendebatur abeunti. Tribuni Coſacorũ vti itineris gnari, frontem recedentis Exercitus ductare ſuſceperant, quorum præ-

1657. præcipuus Antonius vt rem desperatam aduertit, traducto in aduersam fluminis ripam suorum agmine, pontem sublicijs deijciens, securum Cosacis abitum præstat, intercludit Hũgaris. Quæ vbi præ oculis nouissima ruentis fortunæ periodus à socijs deserto, Polonis impare, (nam Mareschalci Lubomirscij ex Hungaria reditus vires nostras notabiliter auxerat) id demum consilij occurrit, vt á clementia remedium perditis rebus quæreret Ragocius, per submissos apud Generalem Potocium Delegatos pro pace agendo: confestimq; aderant per Deum orantes, ne in exitium eorum arma verterent Poloni, qui addicerent victoriam causâ & fortunâ superioribus; neq; omnino Heroicum esse in vltionem obdurari, quam iam veteris beneuolentiæ argumenta, iam Christiani nominis fraternitas, in gẽtem vicinam mitigaret suaderetq;. Responsum. Si pax & incolumitas Principi Transyluano cordi est: exnunc gradum sisteret; non aliter ferro Polonorum quod protinùs stringitur retentando, nisi in vestigio victum se professus, pacem postulet, aliquin si recedit interneciuè delendus. Aduolat confestim Michesius perfunctoriè negotium componi posse sperans, sed dum speciosa tantum dictu, & magis laudes victorum quàm pacem conciliantia adfert, á Czarnecio interpellatur. *Pacem Hungari vultis, vobis apprimè necessariam; neq; auersamur Poloni, modò honesta ea & cum redhibitione illatorum damnorũ condici possit.* Tum ille in extemporaneam animositatem verba cogens. *Turpè inquit pacem Hungaris emere, quam nec Polonis vendere concessum: & donec ferrum in manu est, frustra pro auro licitamur.* Tetigit ardentem Czarnecium responsi promptitudò, eò magis quò Togatus armato talia diceret, proin promota intrepidè acie in hostem ingruebat. Iam ante Poloni suis Ordinibus instructi stabant, vnde læuo cornu cum Połubinscio Lithuani, ad datum signum oppositam Kimenij Ducis stationem adorti, horribile vndecunq; surgentis prælij exordium fecere, reuibratis ab exerto ferro fulgoribus, aduersam aciem perstringendo: cum Ragocius ioco procul extre-

extrema instare comperiens, misericordiam, fauorabilius pace vocabulum, per submissum Druszkieuicium nostrum implorat, ac redhibitionem damnorum spõdet, modò Christiano in præsens sanguini parceretur. Vidisses ab equis semipendulos Hungarorum Præfectos, supplices manus tendere, lemniscatos illos auium pennis pileos ad terram demittere, & exercitam nuper ferociam precibus pro conseruanda vita mutari. Vnde statim Potocius in cohibendum assultum signum dare iussit; diuerso aliquorum sensu, vt qui nisi præsenti excidio hostium, victori Gradiuo litare intenderent. Verùm Generalis natura & annis in misericordiã pronior, vel quod mandata Casimiri Regis nuper accepisset quibus iniunctum; *si vindicta diuina Transyluanum afflixisset, vt subacto demum parceretur, incruentum bello finem imponendo. Vltionem priuati hominis passionem esse, regnorum in eo Status Maximam verti, vt prius securitati quàm affectui consulatur. Facilè edomandum hostem, suo fato ac causæ iniquitate prostratum, in id solùm vel maximè virtutem bellantium Ducũ conniti oportere, quominus materiam infestam in commodum Reip: verterent, Medicorum morè, qui experimentalibus & venenatis, sanitati humanæ parare antidota solent. Sic Vologesis Parthorum Regis in melius societas Romanis, quam hostilitas cessit; Veneti Gonzagam ex infestissimo aduersario auxiliarem adiunxère; pluribusq; doceri exemplis, ex acriore hoste ignoscendo stabiliorem amicum reddi.* Ex eo inhibentis arma Regis mandato, æstus animorum remittere debuit, ad mediaq; descensum, quibus cæptus iam conflictus dirimeretur. Quod conficiendum quantociùs negotium dum perurgent Hungari, neq; nostri protelauère. Conuentionis ea series fuit. *Princeps Transyluaniæ Ragocius, missa solenni Legatione Regem Remq; pub: Polonam obtemere motum bellum, loco & tempore condicendis, deprecabitur. Pro spolijs ex Ecclesijs, Aulis, oppidisq; Regnicolarum actis, & quocunq; nomine prædis & direptionibus, X I I. Centena Aureûm Nummûm Hungaricorum Mill: numerabit. Scytharum Hano Regni auxiliari, in preti-*

Pacta cum Transyluano.

1657. *prètium operæ, dona largietur. Transfugas & proditores scriptaq; omnia quibus ad inuadendum Regnum solicitatus est tradet. Amicitiæ ac Colligationi cum Rege Sueciæ renuntiabit. Captiuos cuiuscunq; conditionis in libertatem asseret. Cracouiam ac Brestiam præsidijs euacuatas restituet. Partem Exercitus sui cum machinis ac apparatu, sub imperio Ducum Regni militaturam relinquet &c: Transacta & conclusa in Castris ad Miedzyboze die 23 Iulij Anno CH: 1657.* Verum non in hoc populus ille iustificatus est, etsi in manu tenenda pacta protinus obsides Ragocius traderet; Franciscum Abafi, ac Stephanum Gierosi, è Nobilitate Transyluanica præcipuos, ac vadimonio pares. Rigidior in fædifragos diuina Nemesis, acrioribus pænis innocuum sanguinem expiandum volebat. Superueniebat quippe Hanus Crimensis cũ sexaginta Scytharum Millibus, iræ cælestis (vt credi par est) executor & instrumentum. Is vis dum pactis in folium rescriptis, quâ extenduntur in latissimam planiciem prata cõfestim truci clamore, ac diductis alis in Hungarorum agmen suos immittit. Obtẽdunt nostri pacta & vim inhibẽt; Transyluanus suppliciter deprecatur, & lytrum offert; ostentatur vis & reconciliatæ gentis protectio; sed displicent verba, despicatui minæ sunt, ac contemptis serò exoluendi auri promissis, violenter in aduersam aciem incurrunt Barbari geminæq; horæ spatio nonnihil repugnantes Hungaros in totum concidunt, aut captiuant. Hærent nostri ad subitum impetum, accurrente interea ex Scythis Delmen Aga, ac breuiter Hani nomine quæsto, quod Poloni in hostem suum clementius quàm in amicos agerent, cui improuidè vitam concedentes, socijs belli manubias, sibi ipsis eriperent securitatem. Eum Ragocij expeditio finem sortita, vltra Nouem Mill. Hungarorum in acie cæsis, captiuatis reliquis: etiam Kimenio Exercitus Duce postquam egregiè se ferro tutatus, non inulto fine in potestatem capientium veniente. Cum Ragocio ipso fortuna benignius egisse visa, quem pridie Ioannes Sapieha Notarius Campestris, in montana abitũ matu-

maturando discrimini subduxit: vti fermè fugæ infamia sæpiùs est praui consilij pæna. Sic, bellum causâ iniustum, 1657.
progressu inglorium, fine funestum autori extitit, ac velut ignis è stuppa ortus, in momento deflagrauit. Ad reditum in Transyluaniam Ragocij, in iniqui belli motorem Principem omnium diræ & execrationes inardescebant, dum matres filios, vxores maritos, & vt quisq; suas necessitudines requirit. Infausta deniq; coronide pessimo facinori annexa, vbi gratiâ Imperatoris Turcici diminutus, etiam Principatu Transyluaniæ exautoratus fuit

Adnotare lubet, propè fatidica Casimiri Regis in literis tunc vniuersalibus, publicam expeditionem Nobilitati indicentibus, verba. *Quoniam voluntati Diuinæ placitum, hanc Remp: insultibus hostium vndiq; quassari, vt nulla parte pacata, alijs rursùm super alios hostium prematur incursibus, etiam nunc Principe Transyluano Regni ditiones inuadente. Proin superesse amplius nihil, nisi cum debita humilitate his flagellis è manu Paterna acceptis, in immensa Dei omnipotentia ac Iustitia spem reponere, quod Is Qui vno digito potestates mũdi versat, eam ex nouissimo discrimine eripere, cum volet, poterit.* Adfuit magnæ spei successus tragico Transyluani casu, qui sacris profanisq; infestus, nihil ex nobis tulit, præter iratos Deos, & sui perditionem. Neq; minus considerabile, vt vinceretur Ragocius, à quatuor Orbis partibus confestim Duces Polonos conuolasse. Czarnecius quippe abeuntem ab Occasu vrsit; Generalis Potocius in frontem occurrit; aquilonare latus Lithuani impetiere; demum Lubomirscius, casu ex Hungaria à meridie superuenit, quò cum expedito agmine per Carpatiorũ montium claustra penetrauerat, eo consilio, vt in hosticum translato bello, ea in ditionibus proprijs pateretur inuasor, quæ in nostris licere sibi arbitratus est. Quidquid in Hungaria, illi aut Transyluania possessum, id omne talionis Iure ferrum & flamma corripuit, nisi quod in ampliore Regno vberior Hungaris sæuiendi materies, certè incursione nostrorum excusabili, cum ex ordine Iustitiæ &

1657. naturæ lege vim vi repellere liceat. Et ne vt ab illo iniquè contra nos, sic aduersùm Ragocium à Polonis arma mota absq; causa legitima censerentur, euulgatum tunc Manifestum erat, sinistris vicinarum gentium suspicionibus amouendis. Id, quia ad cognoscendas belli causas facit, haud grauatim inserui, de tenore tali. *Nemo dubitat naturæ legibus cautum esse alteri non facere ea, quæ sibi facienda quis minimè optet; prohibere tamen iniurias ac vim vi repellere licet, vel ex ipso naturæ instinctu, quæ Leonibus vngues, equis vngulas, tauris cornua, canibus dentes dederit: etiam hominibus diuersa armorum genera elargita, quibus propia defenderent, illatas iniurias vlciscerentur. Notum Orbi, Polonos cum Transyluaniæ Principatu, nullum vnquam discrimen aut controuersiam, vel amicitiæ, vel confinij, vel mutuæ correspondentiæ, ab immemorabili tempore habuisse, quinimo cum inclyta gente Hungarica semper, sed vel maximè à Ludouico, Alberto, Matthia, alijsq; DD: Pānoniæ Regibus, sacrosanctum pacis fœdus, imo & vsq; nunc laudabilem coluisse amicitiam, vt Polonorum Hungarica, Hungarorum Polonica capitibus sæpe diademata imponerētur. Quod si non vacat vetusti temporis acta respicere, in Stephano Battoræo recentioris memoriæ documentum manet. Nec defuerunt genti, in bellis contra Turcam gestis præsentissima Polonorum subsidia: Etiam in turbis domesticis Boczkaij, Betlemi, Mosis Siculi, vel ipsius Stephani Ragocij Patris, mediationibus ac consilijs fraternè Hungaros prosequuti Poloni, incolumitatem eorum ac si propriam animitùs respeximus. Nouissimè hostes professis Valachis Cosacisq; Ragocio, quâ fide ac dexteritate res eius adiutùm nostri iuêre, nemo est qui ignoret. Hinc consurgētibus in Regno Poloniæ bellis, à nemine prius quàm ipsomet Ragocio flagitatum auxilium. Compellatus quidem eo nomine D. Ferdinandus Imperator, ast dum longiori deliberatione postulatum differt, neq; res nostræ moram patiuntur, ad Principem Transiluaniæ desideria Reip: conuersa sunt, oblataq; ei Coronæ spes, si opem ferre laceratæ vndiq; Poloniæ dignaretur. Verùm vbi mel sperabatur inuenta sunt spicula, cùm vanus Princeps requisita ope elatus, maiorem in animo locum ambitioni dederit quàm rationi; potiusq; duxit violenta Tyrannide occupare Regnum, quàm illud amicá Electione quærere: ignarus consequentiæ, quòd, qui libertatem alijs adimit, suam ipsius perdat necesse est &c: Nullis itaq; legitimè adipiscendi Regni admissis medijs & consilijs, fastu tumidus, Poloniæ Regnum scripto dictoq; suū esse divulgans, infestis armis fines nostros inuolat, Rom: Imperatore, ac beneuolentibus vicinis, frustra immeritam vim deprecantibus &c: Ingressus igitur Regnum Poloniæ Ragocius, cum Hungaris, Siculis, Moldauis, Valachis, Cosacis, aliaq; gentium colluuie, patentes vbiq; publicari fecit literas, Poloniam se protegere velle, ac restituta pace decennalem belli flammam extincturū. Egregius sanè Pacificator si non magis mortuorū hostis! dum cadauera ab impio eius eruūtur milite, obuia quæq; ferro & igne vastantur, exuruntur, pessunduntur! &c: Mactantur vti pecora homines, tormentis enecantur Christiani, hi ad veru alligātur assandi, alij sera per medium scissi; illi in lebetibus coquuntur, isti pice & resina obliti ad ignem torquentur; plurimi detruncatis manibus pedibusq;, mortem per preces & suspiria desiderabant. Non decrepitæ senum ætati indultum, non imbelli sexui parcitum, infantes pede arrepti ad parietes alliduntur, stipem petentibus mendicis eruuntur oculi, detruncantur auriculæ, aut barbarum in morem à dorso cutis deglubitur: cui feræ truculentiæ etiam hostis ipse Suecus indoluerit, & eam exprobrauerit Ragocio. Nemini itaq; dubium, præsertim inclytæ genti Hungaricæ videatur, quod irruptionem Poloni in ditiones Ragocij instituerint, præter tot tantaq; scelera & inauditam Tyrannidem, immerito bello lacessiti. Nemo miretur, si oppida pagosq; exuri, si campos stratos cadaueribus viderit; nec moueatur horrida Ragocianæ ditionis vastatione, cum maiora in Polonia autor patrauerit &c: Hoc tibi sit inclyta Hungarorū gens manifestum Polonorum, qui vltro citroq; illatam deplorant calamitatem, dum vicem pro vice reddunt, tibi Princeps inimice. Datum in Castris ad Mohacz die 6 Iulij Anno CH 1657.*

Manifestum Polonorum.

1657.

Poznania recepta.

Maiores Poloni sub hæc, in eliberandam Poznaniam, Electo-

1657. lectorali præsidio infessam (quippè ea Prouincia in sortem vt memoraui obuenerat Brandeburgico) animos arrexêre. Podlachiæ Palatinus Opalinius, cum Christophoro Grzymułtowski Succamerario Poznaniense, contractâ sub signa Prouinciæ Nobilitate, Præsidiarios coangustarũt ante; quoad Christophorus Grodzicki Armamentario Regni Præfectus (hunc Rex Gedano abiens, apud Hauptũ seu Głowã munitionem commorari voluit) superueniens, vastam illam & trino interluentis Warthæ alueo ambitam Vrbem, obsidione regulata cingeret. Inerat Wedige Boninus sub nomine Electoralis Commissarij, penes quem omnis iurisdictio in militem & Ciuem; Christian⁹ Kleyt Colonellus, Ioannes Raysfeldius excubijs Præfectus, Wilhelmus Hubertus, Thomas Brassius, tum alij duorum Mill: præsidij Ordinum Ductores. Ad primum congressum vt ferè principium belli hinc incipit, vtrinq; machinarum telis, aut subitarijs excursibus dimicatum; donec nostri Insulam quæ Cathedrali Basilicæ subest, compluribus è præsidio cæsis inuasêre, demum erepto equis ac iumentis pabulo, mitiora loqui obsessi incipiebant: liberum commeatum emissario requirentes, per quẽ consultus Elector, in necessariam deditionem assentiretur. Quo redeunte, & concessibilem Vrbis traditionem, (si modò honorificè abire militi liceat) afferẽte: in eas vt Vrbe educeretur præsidium leges, vtrinq; cõuentum. *Electorali præsidio Vrbs euacuabitur. Ecclesiarum apparatus omnis, libri Actorum publicorum, Metricæ, Archiuia, Deposita Nobilium, mercimonia Ciuium, & bona incolarum, de toto & in solidum salua & integra existent. Debita per præsidium contracta dissoluentur, seu in parata, seu commutatione rerum: si alicui iniuria illata. D. Colonellus seu Commendans Poznaniensis compellatus, ante egressum præsidij, vnicuiq; iustitiam administrabit: Post egressum omnes prætensiones cessabunt.* Hæc pro Vrbe. In fauorem egredientium adijciebatur. *Præsidium cum suo præsenti statu Vrbe exibit expansis signis pulsatis, tympanis, accensis funiculis, quod Lanebergem seu Dresdam Marchiæ addi-*

tis

tis securitatis causa cohortibus deducetur. Machinas bellicas quæ sunt Electoris propriæ secum exportabit. quæ Suecorum fuêre, pro vsu Vrbis relinquentur. Præsidiarij Kurnicenses cum armis rebusq; suis, ante præsidij Poznaniensis discessum, præbito Saluo conductu incolumes dimittentur. Officialium ac militũ Sueticorum vxores, filij, proles, cum omnibus eorum bonis eadẽ stipulatione comprehendentur &c: Transmitto minutiora capitulationibus eiusmodi per modum appendicis inseri solita, verbis magnifica, rerum vacua. Exiêre dehinc modo vt præmissum Electoralium bina propè Millia, è Kosciana, ac Kurniko in eum numerum adiuncto milite. Deducendis dati adstites, Ioannes Gninski Gneznensis Præfectus, cuius operæ multùm debita receptæ Vrbis gloria; Wilhelmus Butler Capitaneus Radzynensis, ac Franciscus Rydzinski Ensifer Calisiensis: recepto vicissim Colonello Muntzero, qui sine omni dolo consignatæ Vrbis obsidem ageret. Eo modo emancipata Poznania, seipsam in se quæsiuit, & postquã biennij soporem excussit, demum recognouit nudatam se decoribus, orbatam incolis, mercimoniorum vacuam, similemq; ijs qui ex letargo mentem recipiunt. Hoc tamen felicitati eius imputauerim, vt quæ prima hostem admisit, etiam ante alias Poloniæ Vrbes, seipsam sibi reddidisse gratulata est. 1657.

Cracouia obsidetur.

Poznaniam ex ordine Cracouia sequitur, Gentis Polonæ Matrix, & Regni Metropolis: conueniens quippe erat, vt belli Suetici ignis, qui ab Occidente cuncta incendijs suis populatus, minorem quoq; Poloniam quà Ortum respicit aduferat, iam nunc paribus spatijs vt cæpit, ita simili reuolutione extingueretur. Hìc in solida eminentis Cliui rupe, quî Wawel dicitur, extructam magnificè Arcem videre licet; in cuius subterraneo specu monstrant cauernam Draconis, vbi olim monstrum horrendum ac vorax amplo cubili receptũ, armenta circumsitæ oræ depascebatur; idem nunc præstitit Sueticus Leo, eo magis noxius, quod ille subtùs terram, iste supernè pro nido domiciliũ Regum occupauerat. Pau-

 lus

1657. lus Wirtz ſub Gubernatoris titulo, á Carolo Rege commiſſam cum Arce Vrbem tuebatur; ſub illo tria præſidiariorũ millia Phinnones pleriq;, etſi cætera deeſſent contumaci virtute, ac irremiſſâ bellorum diſciplinâ, duratus miles. Nec defuit officio ſuo Præfectus, cui operum militarium ingenioſo, recentibus munitionibus circumdare Vrbem per biennium abundè temporis ſuperfuit. Res frumentaria, pecora in eſum carnium, molæ pneumaticæ ac truſatiles excitatæ, publici putei expurgati, aquæ fluuiatiles canalibus deriuatæ, ligna pro vſu, ſal pro neceſsitate, & omnia quæ humana vita ad vſum poſtulat, tempeſtiuè prouiſa: ſubiecta præterea areſto priuatorum promptuaria, ac quidquid alimoniæ potusq; in Ciuium reconditorijs eſſet, omne id in publicas tabulas Præfectus redigere iuſsit, occurrendo extremæ vbi obſidium premit inediæ. Quin etiam reliquerat Tranſyluanus Ianuſsium Bethlenum cum binis Hungarorum Mill: pro præſidio, quominus ad ſe pertinentis in Vrbē dominij ſpecies maneret: ac liquido conſtitit manutenendæ Cracouiæ in Principem Ragocium á Suecis Ius tranſcriptum fuiſſe, cùm die, XVI Maij Wirtius cōuocatis per edictũ tàm Magiſtratu quàm Tribuũm Præfectis, palam & disertè Communitati denuntiauerit, Ser: Sueciæ Regis voluntatem, quominus Cracouia in adminiſtrationem Iuri & armorum, Præfecto Hungarico traderetur. Cæperatq; officio fungi Bethlenus, ad iuſiuradum in nomen Ragocij incolas adigens, ſed impar cæptis deſtitit, maluitq; Collegam Suecum in munere pati, quàm ſolus committi diſcrimini. His viribus, in diſpoſitionem & gubernium Wirtius rurſus tuendam recepit Cracouiam, dum & Hungaros retinedo loco impares aduertit, & ipſe minus ſecurum cum Suecis egreſſum præuidet; tam Germanico quàm Polono Exercitibus propediem in obſidium loci venturis, indeq; tutior in nido manens, Regem Polonum vireſq; hoſtium intra muros cenſuit opperiendas. Die XX Iunij Generalis Sparrius cum ſelecto Germanorum Equitatu, primus in conſpectum Vrbis

bis ſe dedit, ſuperato flumine apud Krzemionkam non nihil ſubſiſtens; qui mox per Tubicinem à Præfecto Vrbis ſalutatus, ſubmiſſæ ex Vrbe annonæ viniq; honorarium tulit, etiam vtroſq; de nocte congreſſos, vti olim Germanico bello notos adinuicem, ſermoneſq; miſcuiſſe, fama vulgauerat. 1657. Ineunte Iulio acceſſu legionum formali obſidio conſtricta Vrbs fuit, auxiliaribus Germanis alacriter admodum operas ſubeuntibus, ſeu quod omne principium feruet, ſeu dum Equitatus Polonicus conſectandi Tranſyluani partes ſuſcipit, ne interim noui hoſpites feriari viderentur. Summum eius militiæ imperium, penes Melchiorem in Hatsfelt & Gleychem Comitem, Cæſaris Ferdinandi Campi Mareſchallum, per armorum ſtudia haud obſcuro nomine prouectum ad famam; ſecundas partes obtinebat, Franciſcus della Baume Comes Zuza gente Gallus, ſed dudum auſpicia Auſtriaca ſecutus; tum Monte Cucullius Comes Italus; Otto Chriſtophorus Sparrius; Lá De Sonches; Buchaymus &c. &c. Varias Vrbis regiones metatione complexi (lineam circumallationis dicunt) operi inſtitere. Caſimirus interea Niepołomicijs per tranſennam venatione recreabat animum, quæ Heroibus inter labores aut diſcrimina, generoſa quædã reſpiratio, ac animi laxamentum habetur. Detonuêre ſubinde à Cæſareanis machinæ, ea Vrbis parte quà S. Floriani templum portæ cognomini obijcitur; etiam ſuggeſtu ad Portam Sławkouienſem excitato, nam hìc ſitu humiliori terreum ingens extabat munimentum, militari vocabulo Kawalier Szanc dictum (nos Rauelinum aut exteriorem munitionem, quæ muro prætenditur intelligimus) quòd vicino molendino cohærens, cornuti operis mole, ac robuſto præſidio inſederant Sueci. Quippe rotundis in antiquam formam mænijs circumacta Vrbs, dum in ſummam protegi nequit, haſce externas operas, ingenioſus talium Gubernator circumpoſuerat, vnde primam ingruentibus vim objiciendo, rurſus iſtas ex eminentibus murorum pinnis turribuſq; propugnaret. In harũ vnam continuata è machinis verberatione

ratione collimatum adeo violenter, vt fatiſcente in quo machinæ tabulato, propè ruinam turris minaretur. Sub initium obſidij Togatis vel maximè conſtabat omnis Caſimiri comitatus, donec militares recentes à victoria venirent. Ex Senatu adfuêre Andreas Trzebicki Præmiſlienſis Epiſcopus; Ioannes Tarło Lublinenſis, Hieronimus Wierzbowſki Breſtenſis, Caſimirus Kraſinſki Płocenſis, Chriſtophorus Tyſzkiewic Czerniechouienſis Palatini; Ioannes Wielopolſki Woynicenſis, Alexander Sielſki Łancicienſis, Gratus Comes in Tarnow Kijouienſis, Caſtellani. Stephanus Korycinſki Supremus Regni Cancellarius, Boguſlaus Leſzczynſki Theſaurarius, Lucas Opalinſki Mareſchallus Curiæ &c. Superueniebant demum complures alij, multis etiam poſtquam non opus prolixa ſtudia offerentibus. Ludouica inſuper Regina haud ſuſtinens recuperationi Vrbis deeſſe, die XX. Iulij Caſtra ingreſſa eſt, ſecutis è veſtigio binis peditum cum re tormentaria legionibus.

1657.

Deſtinabatur interea á Ducibus Germanis vertenda in muros impreſsio, (aſſalt) præcipuè è regione Portæ quæ profana (Swiecka) dicitur: illic enim humilior murus, acceſſuq; operum via militaris ad vſq; mœnia deducta fuit. Hinc crebra detonuêre tonitrua, verſùs Diuæ Annæ portulâ, eiuſdemq; magnæ Matris Templo contiguæ ædes pyrobaralibus globis infeſtatæ, non ſine euidenti Collegiorum Academiæ diſcrimine: niſi diui Tutellares domicilium doctrinarum protexiſſent, quod in binis turribus inſcriptione literaria grata beneficij Vniuerſitas teſtatum reliquit. Ad hæc ſuggeſtus circumquaq; erigendis machinis conditi, excitata iaculatoribus opercula, obſidionales viæ ad vſq; mœnia productæ, etiam pro recenti impugnantium more acti ſubtus terram Cuniculi, quibus Minarum vocabulum, præcipuè apud dirutum Diui Caſimiri templum, quominus eggeſta in cumulos rudera, latomos ſpecuumq; orificia cōmodè tegerent.. Ad Caſimiriam rurſus per interiacentem adripam fluminis planiciem, Equeſtres tàm ſingulari quàm plu-

plurium concurſu experiebātur, crebrioribus iſthac Suecorum globis excurrentibus, in ſpem veniente Wirtio, diuturna propugnatione fatigandi obſeſſorum vires, donec ſuperueniunt à Carolo ſuppetiæ. Sic inter oſtentatam vim geminæ diffluxerant hebdomades, ſatius ducentibus nonnullis lenta obſidione & minore ſanguinis diſpendio, quàm ſuperfluâ famâ & incerto ſucceſſu recuperationem loci attentare; etiam ex Vrbe nuntiantibus profugis, non vſq; obduratum Præfectum, vt in deditionem perſuaderi non poſſet; oblatis præſertim à Regina luculentis conditionibus, modò inconcuſſam vi Cracouiam conſignaret obſeſſori Regi: alij in excutiendum iugum conſpirare Ciues affirmabant, vbi ab extra vis inſonat, aliquid pro libertate auſuros; Tribusq; opificum ac ſeruitia, quominus tumultum concitent, rei gerendæ occaſionem præſtolari, interno motu à defenſione præſidiarijs auertendis: tum quæ alia intenta aut commenta ſuggerendo, quæ tamen omnia infra dexteritatem Præfecti fuêre. Siquidem ille, dudum præuiſo caſu, Ciues exarmauerat, Forum ſtationibus, muros præſidiarijs inſedit, plateas vicoſq; torquibus ferreis aut palis obſepijt, ædes publicas priuataſq; occluſit, nec tantùm viros exitu ædium, ſed fæminas quoq; feneſtrarum proſpectu arcens, totam Ciuitatem velut carcere clauſam tenuit; inſuper animos ſubtili explorabat artificio, cum flexanimum ſe in deditionem oſtendens, quæ agerentur dicerenturuè in populo excerperet, Iudæis maximè Arrianiſq; vſus delatoribus. Ne tamen aduerſùs oblatam Regis benignitatem in totum obduruiſſe videretur; bis per Tubicinem temporis interſtitium dari poſtulauit, quo ceſſantibus armis, de ſtatu Vrbis Carolum Regem conſulere poſſet. Etiam Palatinus Breſtēſis Hieronymus Wierzbowſki, iam ante aliquot colloquijs Wirtjo innoteſcens, familiariter per literas ſubmonebat. *Non expectaret Præfectus armorum experimentum, quod propediem muris à tanto Exercitu admouendum eſſet: alıter qui modo ın Vrbe velut carcere clauſus teneatur, ibidem cum ſuis ın intempeſtiuæ peruicaciæ pœ-*

1657.

 nam

nam ſepulchrum inuenturum. Conſumptam ſubſidij ſpem omnē
1657 *Rege Sueciæ per maritima diſtento, Ragocio profligato, ipſum*
tandem vi maiore nido alieno extrahendum, ſi modo adſpiranti
Regiæ clementiæ vela non ſubmittit. Simul per officium mi-
ſit præcocium fructuûm fiſcellam, ac aliquot perdices ca-
ptiuo internuntio vſus. Adhæc Wirtius, ad quamvis au-
ram mobilis & verſutus, edulijs inſpectis ac ſtationario mi-
liti traditis, ad literas repoſuit. *Fidem & exiſtimationem*
vnicuiq; ſtudioſè conſeruandā; præcipuè Vrbium Præfectis, qui
pro cōmiſſo loco conſcientiam committenti, famam toti Orbi o-
bligare ſolent. Se quoq; hac gemina compede ſtringi, vt nolit
gratis Regi ſuo perfidus eſſe, vel apud gentes quibus innotuit mi-
litando, traduci leuitatis. Cracouiam milite & operibus va-
lidam, eripi è manibus ſuis tardè nimis poſſe: eam tamen ſi ſe-
cus alea cadit, non inglorium defendenti ſepulchrum fore; quod
antequam eveniat non vnius Poloni exequijs ſe adfuturum. O-
blatam Ser: Regis Poloniæ clementiam magni quidem facere,
ſed protunc in vſum vertendam, dum ineuitabilis neceſſitas coget
tentare extrema: nunc rebus integris deditione hiſcere abſit, Sue-
cis ſatius ducentibus glorioſè in armis mori, quàm dedititijs turpi-
ter viuere: cum etiam Pactio Varſauienſis magnopere terreat,
ſatiusq; muris Cracouienſibus quàm ergaſtulo Zamoſcenſi claudi
omnibus deliberatum ſit. Addidit præterea impreſſas Theu-
tonicè nouellas, velut penſaturus oblatarum perdicûm miſ-
ſile, quæ ingentes armorum Sueticorum paratus contra Re-
gem Danum referentes, propediem in Poloniam redituri
Caroli ſpem facerent; mira in recipiendis ab extra nuntijs
vſus ſolertia, vel fæminis tabellariorum imò exploratorum
vicem obeuntibus. Quanquam & ſagarum præſtigijs vſū
ferunt, aliquot eius farinæ vetulis in contubernio habitis;
obſeruatusq; ſæpius vel ipſe egreſſurus Vrbe, vel è ſuis ali-
quem emiſſurus, ſuſpectum aliquod Magicæ ſuperſtitionis
ſpeculum contemplari, vnde in abſtruſos euentus inſpiceret,
futurorum ſcrutator per illicita media. Hæc ex fama pu-
blica, in quam plurium relationes conſenſêre, retuli; alio-
quin

quin non imputaturus conuitiū viro militari, niſi ſæpè ma- 1657.
gnas virtutes non ſine miſtura vitiorum eſſe ſciam, & Suecis
eiuſmodi genios fouere perquam familiare habeatur.

Deliberatum dehinc apud Regem, præſentine & indilā-
ta vi? an lenioribus medijs & cunctatione, in ſubigendā Vr-
bem agendum foret? in alterutro diſcrepantibus Procerum
ſententijs, cum alijs placeret excluſa mora oppugnationem
vrgere, alijs ex aduerſo pectora ac mænia expugnatu ardua
videbantur. Vnde Rex accitis vtriusq; militiæ Polemarchis,
pro hoſpitum prærogatiuâ primo loco Tribunorum Auſtri-
acorum ſenſum exquirebat. Verum, ſub dominatione na-
ti, excuſauêre ſe militiæ regula, quæ præſcriberet bellantium
partes, agere & obſequi, Regum imperare: laudabilis cer-
tè modeſtia ſi in finem perduraſſet. At noſtrates, in biuio
hærebant, repertis certare ingenio, qui manu nollent. Ex-
tollebant fortunam Regis, cui nihil arduum eſſet, nihil im-
peruium, imò ea propitiati cæli benignitas manifeſtò pate-
ret, vt pro eo externi, vicarijs armis, Reges, in hoſtes Poloniæ
depugnarent, ipſo interim ſolo Nominis terrore reliquum
belli profligante. *Semiuictam iam immiſſo terrore Vrbem,*
diſtractosq; bifariam Præſidij animos, vbi extra ſpem ſuccurſus
poſiti Sueci, Caroli receſſu conſternantur; rurſum Hungaros,
animo planè deijceret præceps ex Regno Ragocij fuga. Inde
ſperandum in breui, qui demum ſolidæ gloriæ fructus cenſeri de-
bet, citra vulnera & cædes vſurpata hoſti recuperare, & Sue-
cos ſine ſanguine viciſſe. Reſpiraret interea bellatoris militis
manus ferrumq;, dum victoriam conficit venter, corporis huma-
ni Imperator & Oeconomus. Cæterum auaros nimium famæ,
quicunq; violento aggreſſu occupandæ Vrbis lauream concupi-
ſcunt. Nam ſi in irritum vis exeritur inglorium erit; ſi ſuc-
cedit impreſſio, ſane tragicum & dolendum, Vrbem Regum Co-
ronatricem, vniuerſalem velut tumulum, tàm hoſti quàm Ci-
uibus extitiſſe. Eo modo, in recuperatione Vrbis, Vrbem amit-
tendam; notabiliori Ciuium iactura quàm Suecorum, vbi fa-
cilius erit proſternere inermem, quàm aggredi armatū. Quan-

Gg 2 *tumcunq;*

1657 tumcunq; animi præſeferat Wirtius, ſimulatum feruorem eſſe & obtentu ferociæ magnificè tegi pauorem, cum inter incudem & malleum poſitus, tàm de foris hoſtes timere cogitur, quàm intrò Ciues. Certè non abſimilis hærenti in fouea lupo, qui initio truſus perticas arrodit, dein ſubtus inuolutâ caudâ, ſilenter ictus ſuſtinet, aut laqueum. Neq; conueniens fuerit violento aggreſſu deformare Metropolim, Regiam Sedem & Regni Caput, ac cui Carolus ipſe hoſtis longiori obſidione receptæ pepercisſet: inſuper expedire, dum ad ſe Reſp: redit, domicilium hoc Maieſtatis præſtare integrum, vbi euecta in tempus Regni inſignia, iterum reponantur. Hæc Togati, quibus omnis in cerebro vis. Diuerſa alij prompſêre: Et nos (inquit) ſi in vna Vrbe reliquum belli Suetici conficiendum eſſet, parcere tectis editioribus, & incruento in ſubigendam Cracouiam actu eniti cenſeremus, aſt vbi tot Prouinciæ in manibus Suecorum hærent, tot Vrbes validis præſidijs inſidentur, terra mariq; bellum feruet, pluris tempus cuius iactura irreparabilis, quàm murorum aut ædium Vrbis ad delicias factarum diſpendium æſtimabimus. Itane verò ſegnes & torpidæ animæ, oculos tantùm in hoſtium opera vertemus? manibus interea flaccidis ac remiſſis; & non depulſis fumo apibus, melle potiri nos poſſe opinabimur. Quid, ſi Rex Suecus nihil agentibus à mari ſuperueniet? celeritatem ſuam in exitium procraſtinantium hîc & nunc, vertens. Quem, ſi Fata ſua & anceps cum Rege Dano fortuna tantiſper diſtinet, patierisne Rex Ser: tot Exercituū impetū conſeneſcere? vt ſubinde dum muris parcis, hæc inanima Te clementem vocent; & circumiectæ ditiones, quà à lixis, quà ab auxiliaribus, in extremam redigantur vaſtitatem. Indignum planè congeriem lapidum tanti eſſe, & è templis ſpolia, aut è domibus Nobilium abactas ſpectare rapinas. ſanè perijmus, ſi contiguæ oræ deſolatione Cracouiam lucramur. Nondumne agreſtium gemitus inſonuit auribus Maiti: Vræ:? nondumne liquet à licentioſis diripi agros, excuti mappalia, villanas opes & ruſticam ſupellectilem raptam diſtrahi, diſtractam venundari; proſtant ecce in Caſtris velut in nundinis vectorij equi bouesq;, ab aratro aut operis agreſtibus a-

uulſi, pecora, armenta, greges, velut in foro boàrio veneunt, nobis interim ſumma ratio eſt, vbi per circumiectam oram ſolitudinem fecerimus, conſumatum Triumphum appellare. Conuenit certè iam gloriæ Tuæ Rex, iam tantorum Exercituum famæ & exiſtimationi, vt fractâ Cracouiæ temerarij capitis peruicaciâ, infra ſitis hoſtibus pronus Viſtula nuntiaret, quauis temeritate tutiorem eſſe Regiæ Maieſtatis clementiam. Hæc, illi vt ferè noſtratibus ſentire quæ volunt, & quæ ſentiunt liberè proferre mos: nec omiſerim inter præcipuos militiæ, iacta diſcordiæ ſemina, Mareſchallum nempe Lubomirium, ac Palatinum Ruſsiæ Czarnecium, vt gliſcente mox odio acre ad iurgium ſub ipſo latere Regis deuenerit, dudum obtectis iratum ſtimulis, iam nunc in verba prorumpentibus. Certè multùm Regina egit conciliandis, probè intelligens quantus ex vtroq; vſus, & niſi componit animos plures velut contagio infici; cum eiuſmodi diſsidia, tineam agant publici conſilij arroſiuam, ac grandē progreſſui belli obicē. 1657

Inter oppugnandi aut trahendi obſidij curas, ambiguus nonnihil deliberabat Caſimirus; illinc conſiderans, ne in ſuam ipſe Regiam Ciuesq; ſæuus eſſe cogeretur, hîc dilatione pernicioſâ, vbi tàm ſuus quàm auxiliaris miles miſerum in modum diuexat agricolas, diripitq; eos, quos protegere debuiſſet. Vnde magis noxia cunctatione ad vim inclinans, generalem impreſsionem in diem V Auguſti proclamari iuſſerat, armis in contumaces acturus, vbi oblata clementia deſpicatui eſſet. In quem vſum à promontorio quà S. Leonhardi ædicula, in muros Caſimirienſes, è maioris modi tormentis fulminatum, continua verberatione peramplum hiatum aperiente. Quod tamen parum permouit Suecos, intra Cracouiæ præcordia ſpiritus vitales refouentes, niſi manifeſta propitiati cæli inclinatio, incruentam recuperationem Vrbis obtuliſſet. Quippe, dum totus Rex eſt in poſtridie inſtituēdæ oppugnationis apparatu, cum ecce ſpargi rumor cæpit de victoria ex Hungaris, incerto primùm autore vagus; dein, qui interfuêre firmantibus. Quoad Paulꝰ Ci-

1657. bulſki cohortis ductor, cum laureatis à Ducibus Regni literis ad Regē aduolaſſet, victum non ſolū Ragocium nuntians, ſed omnem exinde belli Tranſyluanici metū radicitus euulſum. Confeſtim, in auguſtali Prætorij, Rex Deo, Victori gratias, maximo militarium accurſu, egit: etiam publicam lætitiam conteſtari iubens, trina machinarum exploſione; quæ militaris Ouationis in præſens ſpecies eſt & cōſuetudo. Ijs ignium corruſcante nocte fulgoribus, ingens Suecis admiratio, cur tanto impendio & nulla noxa Regij iacularentur? donec pompam triumphalem inſtitui comperientes, ſuam in alieno caſu fragilitatem agnouêre: deponensq; elationis criſtas Wirtius, homo eſſe incipiebat, Fatis certare impar, & hactenus clementiæ importunè refragus. Poſtridie, aderant Commiſſarij Tranſyluani, à Ragocio deprecando Regi Caſimiro miſsi, vtq; ſecurum Cracouiâ egreſſum Bethlemo cum præſidiarijs Hungaris depoſcerent. De quo, vt conuenit, ante requiſitus, clementiam Victoris requirere debuit Wirtius, poſtulareq; emiſsionis beneficium, qui nuper moram biennij in tuendo loco ſibi præſcribere auſus fuerat. Certè expleuerat in eam diem gnaui Gubernatoris officium, diutius pro aliena Cracouia obſidio ſe premi paſſus, quàm Poloni pro ſua toleraſſent; contempſit ab extra vim, ab intra periculis obuiam ijt, promiſſa & minas iuxta habuit, biennio obſidium tolerans, ter cum Polonis aperto campo pugnauit & vicit, ingentium dehinc Exercituum ſtrenuè ſuſtinens impetum, donec in extremis honeſta ſuis conſuleret pactione. Neq; id incōſultò aut feſtinâtèr egit, quouſq; eo deueniretur, vt non ſolum è muro videre hoſtē, ſed cum ſuggreſſo ad vſq; interiora opera colloqui liceret: deniq; vbi Sueciæ Rex æſtuoſo mari in longinqua abreptus, non auxilium modo ſed ne conſilium quidem exhibere valet, tādem ad mitiora ob conſeruationem militis inclinaſſe. Accedebat Ductorum militarium in idem conſenſus, vbi miteſcit primus ille ardor, quem ſuccumbens alieno caſu pertinacia, tum ſubmittēdi auxilij deſperatio, infregiſſet. Dum itaq;

itaq; Bethlenus cum ſuis egreſſum Vrbe adornat, etiam Wirtius pro ſe Suecisq; clementiam Regis Caſimiri implorauit. 1657. Nec ſpe ſua duriorem expertus, datis ad condicendas deditionis leges Commiſſarijs: quæ donec in ſtipulatum deductæ, Hungari interea cum Ductore ſuo die XXI Auguſti Vrbe exiêre: expeditius in prædas quàm præſidium agmen, & militaris animi plane expers, vt qui efflictim contenderint, quominus Magiſtratus Vrbis literis teſtimonialibus honeſtæ ac pacatæ incolarum tractationis abeuntes proſequeretur. Annuit Magiſtratus facilè, dumq; ſuperfluæ requiſitioni morem gerit, tacitus ingratos hoſpites minui gaudebat. Vix iſti extra Caſimiriam progreſsi, cum Bochnenſis porta iam ante machinarum ictibus quaſſata, in conſpectu Hungarorum corruit, velut dolore mota, quod acerbiſsimos Patriæ hoſtes emitteret impunè. Etſi raros admodum ex eo agmine in Tranſyluaniam incolumes euaſiſſe fama fuerit.

Condicta Vrbis deditione, dum in Caſtris Regijs circa enuntiationem militaris teſſeræ omnis hoſtilitatis ceſſatio imperatur; etiam Wirtius intra Vrbem imminentem Suecis egreſſū ad pulſum tympani obnuntiari fecit, læta ab vtrinq; in vulgus nouella, quod citra ſanguinem ardui loci reſtitutio, pacatis medijs conficeretur. Lubens adiungo, quominus conſtantis fidei ad poſteritatem maneat memoria, Magiſtratum Vrbis, omni poſsibili conatu in excutiendum iugum pro modulo intendiſſe; iam oblato ex depletis Ciuium fortunis lytro, ſi Vrbi antequam armis deformaretur matura deditione conſulit Præfectus; iam agitato intra mænia motu, vt à defenſione alteram hoſti manum abriperent. Aliquot ille honeſtos Ciues areſto prehenderat, mulctis pecuniarijs preſsit, tormentis & equuleo (vt Karkutouicio factum) afflixit, Furcas, pegmata, vncos in propatulo ſtatuit, inſuper fortunarum pignorumq; excidium interminatus, quominus formidoloſum molimen coniurantium aliquatenus comprimeret. Sic indomiti licet equi feruorem lupatum cohibet, & indito capiſtro vrſi miteſcit ferocia. Is corda

1657. corda hominum manu tenet, ac plenè in animos dominatur, quisquis vxores prolemq; incolarum in poteſtate ſua retinet. Vnde plus interni tumultus metu, quàm oſtentata deforis vi ad deditionis neceſsitatem impulſum Wirtium, plurium opinio fuit. Certè Vrbis recuperatio inciderat Proconſulatum obeunte Andrea Cieniewic, in ſubſellio illo Vrbici Senatus veterano, memorabili viri proſperitate, imò fatali obiti Magiſtratus ſorte, vt quo regimen Vrbis obtinente Cracouia in manus Suecorum venerat, eodem ipſo Proconſule à malæ fidei poſſeſſore recuperaretur. Nec id ſummopere requirenti Wirtio negari potuit, vt interuentu Germanicæ militiæ Generalium, tractatus concluderetur, quod vt permiſſum, ſimul præſcriptæ deditioni leges certæ, indulgentiores quam ratio temporis poſtularet. Quarum ſeries

Cracouia recepta. eiuſmodi. *Gubernatori Cracouiæ, Ductoribus Ordinum, Præſidiarijs, cæterisq; Suecorum adhærentibus, Vrbe excedere liberum eſto. per Commiſſarios additos ad limitem Regni deducendis. Militari more Vrbe exibunt Sueci honorificè tractandi. Viciſſim Gubernator adminiſtrationem Iuſtitiæ iniuriatis præſtabit. Debita in Vrbe contracta, ante abitum exoluentur, ſatisfactione indilata & reali. Tormenta bellica (exceptis octo minoribus) relinquentur. Licitum erit Suecis res proprias (quas habentiam vocant) in omni qualitate diuendere, alienare, commutare, tum & ſalem à Ser: Rege præcipuis Officialibus conceſſum. Captiuis libertas exnunc ab vtrinq; dabitur, etiam infirmi atq; vulnerati, per Oderam Stetinum remittentur. Incolæ ac Subditi Regis Poloniæ, qui Sueticas ſecuti partes, Ser: Regis gratiæ reſtituuntur; emigrare tamen Regno volentibus, & cum præſidio abire, hîc & nunc licebit. Polonæ Cohortes ſecuritatis cauſa abeuntes deducent. Viciſſim Sueci obſides dabunt, tradita ſine dolo Vrbis & omnium munitionum. Gubernator Wirtius ante egreſſum, poterit ad Regem Carolum mittere extremæ neceſſitatis nuntios, quibus Saluus Conductus dabitur. Ex parte Ser: Regis Poloniæ Commiſſarij deputabuntur, ad reuidendas luſtrandasq; Sanctorum Reliquias, præcipuè D. Staniſlai*

niſlai Præſulis, in aurea arcula conditas; tum & Archiuia Regni, Tabulas Ærarij, ſuppellectilem Palatij, nec non recenſenda tormenta bellica &c: Hinc & nunc Porta S. Floriani, tum & Caſimiriæ altera in poteſtatem Regis tradetur: deditione Vrbis totali ſeptem abhinc diebus ſubſecutura, quo tempore nemini portis aut muris appropinquare licebit, &c: 1657. His conditionibus redijt ad Dominum Cracouia, poſtquam non ſine moleſta Aquilonarium geniorum vexa, in manibus hoſtium biennio manſiſſet. Quouè firmius robur obtineret pactio, ſpeciali diplomate tranſactis caueri poſtulauit Wirtius, neq; negatum, cum ſimile quid exhibuiſſet in recipienda Cracouia Carolus. Inſtrumentum deditionis complures è Senatu Polono ſubſcripſêre, præcipue penes quos ſigillorum Regni cura. Ex Suecis Paulus Wirtz Excubiarum Generalis, ac Gubernator Stetini &c:; Sigiſmundus Fridericus Comes Von Getzen; Ioannes Frank Lib: Baro Colonellus; Otto Wilhelmus Von Derlips B: Coll:; Henricus Von Vihen; ac Benedictus Wirtz Legionum Legati &c:. Salutatum venientem Præfectum cum Suecorum præcipuis Rex Caſimirus ad oſculum manus admiſit, vt in obſeſſa Vrbe ſubſiſtenti äeris ſalubritas reſpôderit, comiter ſciſcitatus?. Poſt ſubſcriptum tradendæ Vrbis inſtrumentum, ſequenti mane Auſtriacus miles Portam S. Floriani occupat; ſimul Caſimiriam ineunt Equeſtres cohortes, ac inibi aſsignatis viritim hoſpitijs diſtribuuntur: maiore in præſens hoſpitum numero quàm Patrumfamilias eſſet, vacuis ædibus dum bellum incolas domo exegit.

XXX Auguſti exiêre Sueci, ſimul mixta hominum colluies, Arriani, transfugæ, proditores, & qui alij prædarum ac maleficiorum nocentes. Antecedebant ſeiuges trecenti currus, onuſti nimis; ſequebatur ſub expanſis ſignis peditatus, bona pars Phinnones, ſemilaceri veſte, ſed periculorum continuo vſu, Carolo Regi probatus miles; inſtabant legionarijs octo machinæ, quales Falconetas vocant, cum requiſitis armamenti; pone iſtas mulierum turba inceſſit,

1657. nonnullis vel binas proles infasciatas tergo portantibus, nec deerant quæ grandiores sarcinas Polonicæ prædæ analecta succolarent. Demum Equestria vexilla (si bene memini) XXVII. prodiêre. Constitit ex aduerso Austriacum suis ordinibus agmen, altera parte Polonæ cohortes, donec abeunt Sueci, vtrisq; quos aggredi & quos timere poterant, recognoscentibus. Notabile hîc sub egressum incidit iurgium, tumultu haud procul quod attingo. Nobiles Wilkoszewscij Fratres, vt ferè in hostem publicum omnia licent; coadunata iam famulatûs, iam sponte accurrentium sociorum manu, quâ poterant circa Vrbem hosti incommodabant; si egressi pabulatum Sueci, vagos intercipiebant, prædas agêtes excutiebant, equos ex pascuis abigebant, deniq; ore habituq; dissimulatis Vrbem crebro ineuntes, consiliorum Wirtij intima, á fidis Ciuium incognitè rimabantur. Istorum vni famulus concepto in Dominum odio, ad Suecos transfugerat, ac ne desertio sine fructu foret, equum abduxit notabilis pretij & celeritatis. Quod transfugæ scelus, pro tempore dissimulare debuit Andreas, (id Wilkossouio nomen) probè intelligens, capitalem sibi inimicum Wirtium, donec tempus vindicandæ iniuriæ maturesceret. Itaq; sub egressum omnia contemplatus & singula dispiciens aduertit aliquem ex Officialibus Hospitiorũ dimensorem, (Quatermagister) equo suo insidere, quem species & pilorum lupinus color noscibilem, anxiè quærenti; ostendit. Ergo sessorem amicè requirit redderet equum qui sibi proprius esset, & qui ex vocatione Equestri, stipendia merere eodem teneatur. Ad modestum postulatum arroganter respondet Suecus, negatq; restitutionem equi, pridem sibi grandi pretio comparati. Hic Wilkoszeuius negatione incensus. Quod (inquit) rogatus abnuis, reddes inuitus: simul arreptum collari fascia sessorem, virum alioquin crassum & procerum, nisu valentioris brachij in terram deijcit, equumq; recuperat, & abducit. Ac vt Suetico ephippio instructus erat, illud dorso animalis detractum, ante ordines relinquens, sæpius dictitat, recipere tantum quod suum esset. Audacia vnius Nobilis terno solummodo famulo stipati admirationi fuit, nisi quod animosior semper est qui repetit suum, quàm qui vsurpat alienum. Ad hæc Sueci immoti stetêre; etsi ex Cæsareanis non deessent, qui in vltionem impellentes, apud Regem patrocinium pro repetendo equo offerent. Dehinc compertum, ideo segnem in reparãdam iniuriam Wirtium extitisse, scilicet metuentem, ne ex composito ortum dissidium desineret in tumultum, ac post in currus ac sarcinas suas, in quibus spolia Polonica latebant, à lixis vis verteretur. Quinimò non vanè suspectabat Czarnecium, cuius rebus Cracouiæ in deposito existentibus, manum olim iniecisset expilandis: cum solitum sit humanæ naturæ, timere quem læseris. Verùm securus sub publica fide abijt, cui deducendo, Tribunus Austriacus Garnier, ac septenæ Polonorum cohortes, in viam adstites datæ: eoq; comitatu perrexêre directo Stettinum itinere Sueci, graui incolarum quâ tractus euntibus noxa; solatio erat abire non redituros.

Dum recuperata Vrbs aliquantum repurgatur, Rex è Castris in suburbanum Bronowice pagum mansionem transtulit, vbi mox a Delegatis è Magistratu adibatur. Hyacinthus Lopacki Med: Doctor, Martinus Lochman, & Gaspar Celesta salutabant, seruatam in extrema fidem, & depressum diuturna obsidione statum Vrbis insinuantes; gratissimè à Principe accepti, verba solaminis tempori congruentia retulêre. IV demum Septembris Vrbem ingreditur Rex omni solennitate pompæ præcisa, quod pro posse Magistratu Vrbis satagente expresse vetauerat; nonnisi ab aliquot selectis Ciuium priuatim se passus salutari. Haud quippe sinebat dolenda Vrbis facies subito triumpho mutari, vbi tot morbidi per plateas, etiam cadauera telis aut morbis extinctorum viserentur: nec non valide conciuit dolorem, triste aspicienti spectaculum, Vrbis nuper florentissimæ desolatio, vbi ædiũ aliæ deformatæ, aliæ solo æquatæ

Casimirus Vrbem ingreditur.

1657. tæ, contignationes tectorum in vſum foci verſæ, forum operibus aut ſudibus interſeptum, vici fimo ac illuuie coanguſtati, vel in templis auito Deum colendi ritu conſtricto; ac propè Lutherani dogmatis exercitio inducendo, niſi recuperata Vrbe Rex eripuiſſet facultatem. Igitur in Arcis Baſilicam progreſſus, DEO Victori ſub Ambroſianum Hymnum gratias egit, veneratusq; humiliter Numen recognouit; quod --- *Finem potentia cæli.*

Non habet, & quidquid Superi voluêre peractum eſt.

Dehinc militis Auſtriaci præſidium Duorum Mill: & quadringentorum peditum, ſub cura Baronis Ioannis Franciſci à Kieyzerſztein S. C. Mtis Colonelli, quem Rex Gubernatorē Vrbis eſſe voluit, inductum: Saliſfodinarum Wielicenſium ac Bochnenſium reditibus, in ſuſtentationem eius militiæ (Lenungi) addictis, datoq; adminiſtratore Barone à Iaroſzyn Sileſio, qui ex venundato ſale luculentos prouentus in vſum Præſidij verteret. Arx Regni nidus, ac coronadorum Regum Capitolium, Priuilegiati Præfecti ſui Mareſchalci Lubomirſcij Iuriſdictioni reddita, cui præter ſolitum Trecentorum præſidium, acceſsit legio pedeſtris Pauli Celarij Tribuni, ac Stephanus Niemierycz Succamerarius Kijouienſis, cum Equitatu additus, tuendo in omnem caſū aduerſus fortuita loco.

Acri inter Daniam Sueciamq; inardeſcente bello, expeditus erat ad Fridericum III. Ioannes Gninſki Præfectus Gneznenſis, quominus cum eo Rege contra vtriq; communem hoſtem Carolum, mutuò arma & conſilia belli condictis legibus ſociaret. Hunc in breui ſubſecutus, Thobias Morſztyn Dapifer Sandomirienſis, per quos concluſa ac ſubſcriptionibus firmata Hafniæ pacta fuêre, die XVIII Iulij anno præſenti: numerum contendentium armis in Europa, ſeu aduerſa Chriſtianitati fortuna, ſeu malo aliquo genio incitante; dum interim Turca Chriſtianorum diſsidia otioſus ſpectat, & feriatur. Sanè non incommoda nobis vltionis ex Sueco occaſio, ſi modo talis in fædere perſeue-

Fœdus cum Reg: Dano

ſeuerantia Dano, qualis in ſtipulatione promptitudo fuiſſet. 1657. Eam transmarinorum Regum, quia ad Poloniam pertinuit, ſuo mari emergentem diſcordiam, altius repetam. Belligerante in Polonia Carolo, Fridericus III. Daniæ Rex bellum eidem denuntiauerat (eò acrior hoſtis quò inter conterminos populos, & breuis freti interſtitio tantùm diſcretos, connata antiquitùs antipathia, ac animorum diſſenſus maner) id quidem ſummo Suecorum incommodo, vt quorum vltra Polonicum bellum, Imperio ſuſpectorum, etiam Danico intempeſtiuè moto, vires diſtraherentur. Vtræq; hæ gentes antiquitatem originis ad prima Orbis incunabula referunt, primi Protoplaſti filios ſe pro certò ferentes; celebrius tamen Danorum nomen & vetuſtior memoria, quos olim terrâ mariq; potentes, præter tria quibus titulos incraſſant Regna, Anglis Saxonibusq; iura dediſſe conſtat. Æmulaturi claritudinem Sueci, etiam de primordijs geſtisq; Maiorum, per cæcam antiquitatis noctem obſcuris, magnalia produnt; peruicaci aſſertione ad Gottos ſtemma referendo, quod tamen compluribus autorum (Piaſecio noſtro maximè) pro apocrypho habetur, neq; mihi articulus de fide eſt. Nunc Danus ſeu veteres iniurias vlciſci occaſionem nactus, ſeu vicini augmenti impatientiâ & odio, bellum Sueco non citius indixit, quàm mouit; planè non abſimili prætextu ac motiuo, quali & Carolus in Poloniam biennio ante exarſerat. Quò tamen ex ordine & iure belli facere oſtenderet euulgauit ſcripto in anteceſſum cauſas, ſub titulo; *Ius Feciale armatæ Daniæ in bellum contra Suecos, inuicto neceſſitatis telo impulſæ. Anno 1657.* Hoſtilitatis rationes exponebantur. Archiepiſcopatum Bremenſem cum Verdenſi Epiſcopatu, ſummâ iniuriâ à Danorum dominio abſtractos, quæ Prouinciæ mediante Rege Chriſtianiſsimo reſtitui debuêre, ex pacto Brembröenſi Friderico. Quod Iernenſe ad Angerhuſen territorium iniuriâ deoccupaſſent ijdem; Rationes maritimi vectigalis apud Iſtmum ſeu Zund, conturbaſſent; à Danicis nauibus, merces Gedano per

1657. Balthicum deportantibus vectigal exigerent; absolutum maris Dominium perperam vsurpando; Delectus militares per Holsatiam inuito Friderico contra amicas nationes instituerent; Cornificium Vlæfeldum transfugam Danum, qui læsiuo scripto subditus Regem suum violasset, ab ijsdem in patrocinium susceptū, nec requisitione amicabili ad pænas aut palinodiam extradi voluisse. Insuper rem ipsam exprimebat Danus, cur alterum bello adoriretur ijs formalibus. *Quam periculoso enim proposito vndiq; vagarentur Sueci, designauerunt præcipuè in Polonia, vbi indulgentiori fortunâ quàm illi non capiunt, insolentiores facti, & quæstuosa audacia fines æquitatis transgressi, prædæ semper inhiant, & lucri causa omnia Diuina humanaq; postponunt, id vnice agentes, quominus occupata Borussia, maris Balthici, & nauigationis omnis potiantur, ibiq; radices altius agant, quàm vt à quopiam dimoueri maris dominio possent: ac ita inter vicinos rerum arbitrium obtinere, fortunas illorum versare, Regum diademata prehendere, demum Sac: Romanum Imp: vbi commodum infestare, ac lacerare valeant pro libitu.* Indicto ritè bello, læta Regi Friderico armorum principia; infesta classe maria insidet, vicinas littori arces recipit ac munit; dein relicto salo in solum exponit militem, vel maximè Bremam cum adiacentibus respiciendo. Dudum ea in Vrbe Archiepiscopalis sedes extitit, serpente demum per Germaniam sectaria labe, ex Feudo Spirituali profanam ditionem Reges Dani fecerant; donec Gustauus Adolphus Suecorū Rex successu armorum per Imperium validus, quod nullo Iure retinebat alter, ille forti manu vsurpanti eripuisset. Eadem armorum procella Sueticam Pomeraniam inuoluebat, nisi vt memoratum, Carolus à societate Transyluani abscedens, ad tuendaq; propria ex ipso belli Polonici æstu regredi coactus, in maritima diuerteret. Hinc, per absentiam, eius arma Dani non improspere procedebant,, classe Suecorum in Balthico dissipata, cæsoq; Henrico Horn Comite de Amynne Architalasso maris, eodemq; Aulæ Sueticæ Mareschallo

schallo. Ast vbi regressus in Pomeraniam Carolus, confe- 1657
stim fortunam collabentem in melius restituisse videbatur: quippe vt diligentiori agriculturæ opimior messis debetur, sic armorum successus bellantium respōdent ingenio. Credo equidem vtriusq; regni eo bello res gestas, natiui scriptores haud omittent fusius tradere; attigi ego tantùm, ne id quidem iuris in externa vsurpaturus, si modo omissis istis patriæ historiæ contextum non mutilarem. Nunc ortiua Regni plaga calamum abstrahit.

Vkraina priuilegium calamitatum Poloniæ dudum sibi vendicans, rursus turbādis rebus ostium latè pandebat. Ille namq; famosus pacis vespillo, Tauricæ, Moschuæ, Daciæ, Transyluaniæ, imo Ottomanici Imperij aduersum nos concitor Bohdanus Chmielnicki, tandem præsenti æstate è viuis sublatus, vti semper hostis Patriæ vixit, finire vitam, nisi malo nostro vix poterat. Annis defectum sensim odium & vir in Patriam deserebat, subibatq; patratorum pænitentia, cum iam facultas magis quam desiderium nocendi defuisset. *Mors Chmielnicij* Duorum Filiorum pater erat, quorum maior natu Tymothæus, ad Szoczuam in Valachia è tormento percussus interijt; minorennis alter Georgius, rebus per ætatem impar Iūlus, sub oculis sanguinarij senis ludebat. Itaq; dum imminent extrema, pupillo Tutores Kowaleuium ac Lesnicki Tribunos instituit; per multa propensi animi experimēta diu sibi cognitos, & vsu rerum valentes. Sed in pretio apud Cosacos Ioannes Wyhowski, à primis belli initijs indiuulsus Bohdano comes, solers idem nec bello inhabilis, & quod rei caput ex consiliorum successu summè plebi æstimatus. Sed ea ipsa popularitas affectati imperij suspectum reddebat, & quem Bohdanus secundum non priorem Filio cuperet, etsi ætatis ac experientiæ suffragio censeret potiorem. Itaq; altum recondito metu, accersitum sub extrema Wyhouium, ex specimine quasiverò fidei laudat, Cosacorum potentiæ fulcrum appellat, vtq; viro ætate ac consilio maturo pareant, per modum vltimæ voluntatis indicit

1657. dicit; simul Georgium filium hominis fidissimi tutelæ, multis suspirijs commendatum, vt annis immaturo Patrem agere vellet, impensè obsecratur. Permulti è Cosacis credidère verbis, eo temporis puncto prolatis, quo mentiri nefas esset; solus Wyhouius astus intelligens, simulq; collachrymans, diuersa obtēdit, ne intellexisse videretur. Moritur sub hæc Chmielnicius decliui Iunio Czehryniæ, solito residentiæ suæ loco; quàm ex oppido ignobili in cèlebre emporium, operibus munitionibusq; circumdatum extulit, demum à Turca suo tempore euertendam. Ferunt, morti proximum, Casimirum Regem deprecari iussisse; quatenus exuto humano affectu, tot facinorum reo heroicè ignosceret, ac qui viuo gratiam non negabat, veniam mortuo largiretur. Sic finijt Bohdanus Chmielnicki prauus & præceps, ac cuius fortuna exemplo magis, quam homine illustrior fuit. Potentiæ recens acquisitæ anceps, inter Principes Europæos se versauit, anxiè expendens, vnde spes maior subsidij aut certior, illuc se totum dabat, nùlla fidei aut famæ reuerentia, Poloniæ grauis, Roxolaniæ exitium: de quo non ineptè illud Velleianum vsurpari possit. Ausum, quæ ante eum nemo bonus auderet; etiam perfecisse, quæ à nullo nisi consummatæ malitiæ perfici queant. In consultando temerarius, in exequendo peruicax, in morte felix, cum vltra quàm violentis ingenijs contingat, naturali & sicca morte extingueretur. Aliquam in extremis erratorum pænitentiam ostendisse fama fuit: impenetrabili supremi Iudicis arcano, qui vel misericorditer condonat scelera vbi seriò pænitet; vel acrius castigat, vbi serò animaduertit.

Subinde Petrus Gembicki Episcopus Cracuiensis moritur, ac velut ante introitum in terram Promissionis Moyses, sic iste ante reditū in Patriam, maturata morte extremum diem clausit. Memorabili illo pacis Polonæ conticinio, Iacobo Zadzik in Episcopatu successit: ingenium illi mite, pietas placida, grauitas pro modo, cura rei familiaris circū-

specta

specta, hinc augmentum opulentiæ; etsi grandior natu, vt publico vsui partæ opes subseruirent, instructam armis virisq; Hastatorum cohortem, in Bellum Vkraynense expedierat, non tàm laudis affectator Præsul, quàm iuvandæ Patriæ studio. Senator prudens, arbiter æquanimis, erga quosuis extra fastum & fastidium; Clero Diœcesis suæ quia lentus, charior; inter rigidam seueritatem, & culpabilem conniuentiam prudenter medium tenens. Synodum Prouincialem Pastorum suæ Diœcesis, Cracouiæ celebrauit ministerio virorum grauium vsus, præcipuè Iusti Słowikowski & Alexandri Brzeski Canonicorum Cracouieñ. Mortuus Ratibòriæ Silesiorum, dum anxius Vrbis liberationem expectat, Pridie Idus Iulij, Ætatis anno septuagesimo secundo. Successorem nactus Andream Trzebicki ex Premisliensi Cathedra ad Cracouiensem translatum. 1657.

Cracouiæ non vltra VIII Septembris commoratus Rex Varsauiam iter adornauit, vti antiquum Regum inuiseret domicilium, inde in Prussiam moturus. In decliui quippe annus ac autumnale tempus, vix itineri nedum operi sufficiebat, qui Thorunium confestim ante hyemem recuperandum destinaret. Et multa in accelerandum opus inuitabāt; præcipuè, vt inde exturbato Suecorum præsidio, exolueret fræno Vistulam, quo omnis in Balthicum mercium defluitatio inhibita ab hoste teneretur; dehinc Regi Dano opitulaturus ex condicto, in maritimas Sueci ditiones immittendo militem, ac ita non exiguum celeritati eius obicem positurus. Ad id accedebat consuasor Senatus ac omnes lateri adhærentes Ministri & Cōsiliarij Aulæ, differentes. Non aliter commodiꝰ iniri possessionem amissorum quàm sub Caroli absentiam, dum Prussia patefacto in totum ostio adiri facilis, prostat Principi ingressuro. Si quantociùs pedem infert Rex, nullo periculo suum à Suecis recuperat; ac intromissus in Prussiam, iuuabit confestim Daniam, retaliabitq; Sueci hostilitatem, immisso in Pomeraniam populatore milite. Id quippe ratio belli poscere videbatur, in hosticum

II sticum

1657. ſticum ſedem belli transferre, explorando Sueciæ venam,
quæ ſe altùm intra præcordia Regni noſtri ingeſsiſſet. Sen-
tiret belli mala domi, quibus foris alios affligeret; etiam ad
præcludendum quantocius Carolo regreſſum, quem mul-
ctato clade Friderico, retro iter flectere ſparſus rumor vul-
gabat. Electorem quin etiam Brandeburgicum non aliter
à partibus auellendum, niſi ſub abſentiam ſocij Regis tar-
dum ſuccurſum confert, cum impendenti diſcrimine: Is
quidem à Leſzczynio Varmienſi Epiſcopo primùm ſollicita-
tus, dein à Cæſare ac Principibus Imp: ſuaſus in partes in-
clinare monſtrabat, non inefficaci motiuo, dum iam pacis
commoda, iam pericula Martis exaggerantur: attamen vt
ab aliquibus obſeruatum, quominus, condicto in bimeſtre
armiſtitio, progreſſum tantùm armorum noſtrorum & ſuc-
ceſſum Danici belli circumſpectus ſpecularetur. Quip-
pe Czarniecki ac Opalinſki Palatini, cum Quater Mill: expe-
dito agmine ibant, retaliandæ hoſtilitati in Pomeraniam,
quâ extimo maris littori prætenditur; noſcerent vt Sueci
tantundem Polonis in illorum ditiones, quantùm & illis in
Polonorum in Pomeraniam irruptio. Poloniam viæ ſupereſſe. Quò, motis ſub adultum Octobre
ſignis, celerrimè in eum finem per Marchiam decurrunt, ne
pigriore tranſitu, inclinantis ad amicitiam Electoris Prouin-
ciæ grauarentur. Tranſeuntibus Francfordia ad Oderam
præbuit liberaliter annonam, etiam Vrbis Oratore, publica
panegyri Duces ſalutante; dumq; à Magiſtratu (nam libe-
ra Imp: Ciuitas eſt) quominus per pontem ſubiectum Vrbi
traduceretur Exercitus rogarentur, Czarnecius Polonos non
per Oderam modò, ſed per quæuis maiora flumina pontib⁹
haud indigere reſpondit: quodq; dixit probauit, in oculis
ſpectantis Ciuitatis, nando ſuperato amne, ac die XXVIII.
Octobris in aduerſi fluminis ripa caſtris conſiſtendo. Co-
hæret cum ipſo deſinentis Marchiæ limite Neoſtadium, vbi
Fira fluuius depreſſo alueo tractum illum longè lateq; in-
uadabilem reddens, Sueticas ab Electoralibus ditiones ſepa-
rat; vnde Stetinum Metropolis Prouinciæ quinq; leucis
non

non amplius diſtat, ex quo in cætera mari adſita Guberna- 1657.
tori loci regimen & iuriſdictio. Cæterum Pomerania ci-
terior & Pruſsia conterminæ ſibi regiones ſunt, ac nonniſi Pomeraniæ diuiſio.
intercurſu Viſtulæ, qua in Occidentem prolabitur di-
ſtinctæ; Pruſsia à dextris, Pomerania flexo ſiniſtrorſum in
meridiem tractu, ad vſq; Danicum littus, & Cimbricæ Her-
ſoneſi celebratos ſcriptoribus terminos ſeſe extẽdit. Quod
maritimo littori contigua, inde Pomorze aut Pomorſka,
quaſi iuxta mare ſita Regio, à primis Cõditoribus dicta: vn-
de incolas locoſq; Slauonici iuris generiſq; fuiſſe, vel ex ipſa
vocabuli nomenclatura probabile videtur. Diuiditur illa
in citeriorem Regno Poloniæ annexam: & vlteriorem quæ
ſubdiuiſa, iam nunc partim Marchionibus Brandeburgicis,
partim Suecis Regibus paret. Olim à Boleſlao Audace Reg:
Pol: armis domita, Præſides Polonos accipiebat; ſed iſti aut
locorum diſtantia, aut finitimorum ſuaſu obſequium de-
diſcentes, etiam Regum incuriâ extemporaneum Magiſtra-
tum in Ducum titulos commutantes, populos ſubiectos ab-
ſolutè regere cæperunt; ſucceſſuq; temporis priſco regi-
mine abolito, in extraneos mores ac politiam degenerantes,
pro Slauonico idiomate Saxonicum receperunt, extinctâ
primæuæ originis morumq; ſuæ gentis memoriâ. Nunc
vlterior Pomerania pro membro Romani Imperij cenſetur,
in ius Suecorum iam pactis cum Imperio, iam extrema vo-
luntate Boguſlai Ducis Stetinenſis tranſcripta. In hanc itaq;
vti hoſtium Iuris, infeſta Poloni ſigna intulêre. Primum
aſpexit Stetinum & inhorruit, non fulgores modò ignium
triſti per noctem imagine ſæuientium, ſed ſigna Polonica
ad exteriores Vrbis munitiones procurrentia, tum inſultus
Equeſtres, ſi qui cõtra prodirent Sueci inſtitutos, Ductore Mi-
chäele Woyniłowicz animoſè ſubeunte; plurium ex hoſti-
bus iacturâ, inter alios Maiore Lichſtein capite truncato.
Hinc, quod non ſe prouocantibus ſiſteret Wirtius ſummo-
pere viro peracri tædioſum, nec minus ponens in oculis mo-
las pneumaticas per ſuburbia incendi, velut in contemptũ
Ll2 do-

1657. dolente. Sed maximè famæ & terrori fuit, Czarnecium ac Opalinsciam Duces adesse, laboris ac itineris indefessos, alterum profligato Transyluano, alterum post recuperatâ Poznaniam depulsis Maiore Polonia Electoralibus, palma recentis victoriæ insignes; vtrc velut ex destinato æmulos Wirtio obiectos, qui veterem hostem in extimo maris littore repertum, pro ingenio suo vlciscerentur. Similis excursus ad propugnaculum Dama institutus à Polanouio, vbi itidē comparente nemine in intima Prouinciæ penetratum. Fæda interim circumsitæ oræ desolatio: Vrbes inquantum validæ fugitiuis complentur, aliæ in mare diffugientibus incolis desertæ, multi in vicinam Ruggiam circumluente pelago tutam dilabebantur; aggrestes latebris aut nemoribus abscanditi; quanquam isti postquam compertum, direptis quæ ad esum aut crumenam seruiunt, cæterum à populatore milite parci vitæ & cædibus; complures posthabito suffugio ad mappalia redeūtes, incolumes mansère; ac cum opulentiores exigeret metus, paupertas sibi inter hostium manus secura visa est. Sed nihil æquè tristius incendiorum licentia, plusquàm sexcentis præter oppida vicis deflagrantibus: etsi Czarnecius suo more seuerior non inhiberet modò, sed seuerè puniret incendiarios, qui Gartzium oppidum succenderant, quatuor protinus in furcam actis.

Hæc inter Duces Poloni, dum in reprimendam vim ex Suecis campo occurrit nemo, (adeo miles in hostico chalibe durior, qui in proprijs terris vitro fragilior est) etiam anni tempus rei gerendæ oportunitatem eripit, totam Regionem populati ad Passeualil peruenere; quod oppidum ad fluuium Ilcier, ob toleratam Germanico bello obsidionem non incelebre, patuit vltro ingressum; vel solâ aduentantis Exercitus famâ conterritis Ciuibus, vt ne pro vita quidē ac incolumitate fortunarum conseruandis, quemquam in antecessum petitum mitterent. Repertus hic in Prætorio alijsq; publicis ædibus multiplex militaris apparatus, quo facilè vel tria Millia virorum armari possent: fuère vexilla cum

cum insignibus Sueciæ, sclopeta, sarissæ, gladij, fræna, ephippia, machinæ; imò vestes, penulæ, thoraces, &c: ingens pulueris pirij copia, quæ mox vt quisq; incurrit prior inter rapientium manus disparuêre. Sed maior incolis dolor, dum aliquis ex postremo agmine, columbas è tubo longiore globis petens, domum succendit, vnde mox propagata flamma oppidum cum templo absumpsit, in quo olim Martinus Lutherus, ex Comitatu Mansfeldensi subductus, ac Passeuali receptus, sectarium dogma hìc primum prædicauit. Andam dehinc insigne Balthici maris emporium vt penetratum, ipsiusq; maris subiecta oculis vastitas fuit, retro signa Polona conuersa sunt; præmissis rursus Vladislao Skoraszewski ac Michäele Kozubski cum ala Loricatorum, qui iterum Stetino aduoluti, offuso delitescentis Præfecti oculis fumo, sicq; viro bellaci exprobratâ socordiâ, militariter valedicerent. Demum, XII. Nouembris. traiecto Odera, lætum agmen ad vsq; limitem Poloniæ reductum, ouans Patriæ fines introijt; ac quoniam de hoste non poterat, de cineribus hostilis Prouinciæ triumphauit.

Obsidiō Torun differtur. Rege Casimiro in Prussiam se accingente, præsto adetat Exercitus Polonus; etiam Germanorum Legiones, ad respirandum in Maiore Polonia locatæ, Thorunium versùs iter destinabant. Ast fatalis aliqua cunctatio, rebus prudēter ordinatis moram inijcere credita: præcipuè autumni tempus imbribus & tempestate fædum, indeq; militi graue; dein tardè Viennâ prolatæ in mouendum Austriacum militem ordinationes, seu mandata; etiam in necessarios sumptus Ærarij insufficientia, quo fine requisito, ac si succisis neruis, claudicat bellum. Hæc Crumenipotens Dea, iam nunc Bellonæ locum occupat, istam verna miles efflagitat, auxiliares affatim reposcunt, armamentarij impendia requirunt: quid si socijs donaria, externis honoraria, ministris Principum largitiones, vnicuiq; præmia, pro vsu & temporis ratione distribuenda sunt, quibus destitutus Promus Cōdus, primò consilij inops, dein maximo promouendi belli da

1658. damno succumbit: cum similes in præsens expensæ non ærarium modò enerue & depletũ, sed ipsum quoq; Fortunati marsupium exhausissent. Gnarum cunctis neruos imperij, id est ærarium publicum, arbitrio Prouincialium in Polonia subijci ac inde libertatem populi æstimari, quod Rex nolentibus collectas (nisi ipsi annuant) imponere nequeat; optima pro populo exactionibus non grauando regula, si modò subsidia pecuniaria conferantur, non post, sed ante necessitatē. Retinens moris Patrij Casimirus, vt legem seruaret, pepercit necessitati, maluitq; indigus videri, quàm sumptuũm extorsione, impelli in odium & querelas popularium. Quominus tamen subueniretur indigentiæ, ante laudata; in præsens resumpta Exactio fuit, cui *Accisæ* vocabulũ, quod conditi pretij trigesimam accideret. quale tributum apud Italos sub Gabellæ nomine exigi solet. Ast, quid inter tantos? ne multis quidem amnibus receptis exundat æquor, quid si torrentis vnius incursũ auctum speres? exile ex paruis subsidium, magna paribus ad proportionem egent adminiculis. Interea defectum publicum Ludouicæ Reginæ supplebat solertiâ, vt dum Rex quæ sunt armorum pertractat, ipsa prouidam Matremfamilias bello ageret, necessitati occurrendo. Prodegerat continuis largitionibus priuatam Gazam, dein etiam mundum Reginalem dando impendit: parabilia minoris reputans crepundia, modò necessitati publicæ subueniret. Nonnemo Politicorum artem conquirendæ pecuniæ, Principibus tradere ausus, iactator ingenij & in imaginarijs spatijs desideria habendi irritans; efficacior futili discursu Reginæ sedulitas; Præsulum Opulentiores de dando in mutuum requisijt, minores gradu, decessu superiorum spe consequendorum opimorũ in Israel allexit; quos è Senatu diuitiarum opinio in famã protulerat, pro ingenio cuiusq; futurarum dignitatum Priuilegia non rogantibus misit; Plebeijs Nobilitatem, Nobilitati Senatorias Curules adipiscendas proposuit: Bona ad Fiscum Regium deuoluta plus offerentibus addixit; mercato-

catores quibus opes in parato, pollicitis fauoribus ad danda in Fænus nomina induxit; vno verbo, tentauit intentata, obtinuit insperata. Tali namq; machina multorum vota & ingenia, quæ ære valerent expugnabantur; quod solertiæ haud otiantis Reginæ debitum, ad summam belli relicto Principe. 1657.

Marius Iaskolski è Turcia subinde redierat, expeditâ præter spem ardui muneris legatione. Innui supra apud Agriam contra publicam fidem violenter retentum, nec insciam facti Ragocij Matrem, vt quæ haud vano metu percelleretur, ideo vel maximè missum, vt apud Portam Ottomanicam, moti in Polonos belli accusaret Filium. Nec fefellit sagacem mulierem coniectura; quippe Præsidis Silistriæ compellatorijs vindicatus, primam indignæ tractationis suæ apud Turcas querelam obiecit, multa de violato iure gentiũ questus: dein Legationis essentialia exponebat. *Ragocium Transyluaniæ Principem inconsulto Imperatore Turcarũ bellum Polonis intulisse, nulla in apertum causa aut prouocatione, imò maximâ Pactorum cum Turcis initorum iniuriâ; dum impotens spei Vasallus & pace abusus, inclytam amicitiâ Ottomanicâ gentem nullo iusto prætextu lacesseret. Proin Turcis accuratius introspiciendum elati hominis genium & ingenium, ne, dum Polonos Fæderum antiquorum tenaces immeritò prouocat, mox gradum sceleris faciendo, contra Feudi Dominum insurgat. Maturè itaq; vasti frænarentur spiritus, nimiumq; cristas attollens Ragocius, nimia sperare dedoceatur.* Ad quæ insolito Aulæ illi benignitatis exemplo responsum. Iudicare neminem posse altera parte inaudita; ac in Polonia feruentibus iam armis, parum mandata Imperij, apud efferatum Transyluanum valitura. Vbi tamen æstus belli resederit, diluendum crimen inquieto, cur inconsulto Imperatore hostem se Polonis, aut amicum Suecis professus fuerit &c: Plura tunc oretenus beneuolentiæ retulit Iaskolscius argumenta, barbaris more lupi agentibus, qui prædæ intenti, subter se caudam inuoluerent; etiam istis bello Candiæ

Legatus Iaskolski redux.

1657. diæ distractis, pro tempore plausibilia loquentibus. Cognitum postea antecedētia cum euētu cōuenire; Ragocio Transyluaniæ Principatu abrogato, ac illo, quô eminebat fastigio, Aulæ Turcicæ ingratijs deiecto.

Pricipatū istum, qui Hūgariæ Regni appendix est, & velut separante naturâ, à cætero Pannonici Regni corpore situ & nemoribus auellitur; obtinebant dudum sub nomine Palatinorum Præsides, directo Dominio ad Coronam Hungariæ spectante, donec Turca cum potiori Hungariæ parte pro se raperet. Auorum memoria præsedêre Battoræi, recentius Gabores, dein Borschaij, quoad domui Ragociorum cederet Transyluaniæ dominium, Anno CH: 1629, Stephano Georgij Patri collatum. Sed is reuerenter fortunam, solerter Barbarorum ingenia tractauit, hostes astu, amicos simulatione distinens; vt tandem continuatæ gentis dominationi immoreretur. Non pro Patris modo filio Georgio indoles, ac obtusa ad nouissima respiciendi prouidentia; nisi quem Fatum corruere decernit, prius rationis ac prudentiæ præsidijs destitutum prostituat in casum. Hinc Dynastæ prosperis elati ruinâ, qui nimia animo destinans, iam nunc Transyluaniâ à Turcis deiectus, etiam hæreditarijs in Hungaria ditionibus Iure Cæsareo proscriptus exciderit: Mohacio vbi sedes auita familiæ, venientem aditu prohibente, vtpote erga supremum Dominū, qui Hungariæ Rex est, Feloniæ damnatum. Hic ambitioni finis, & qui immensa cupiditatis mancipium quærebat, inuentus est nihil habens. Percurre sæcula, excute Orbem, passim reperies elatos ad bruta vsq; degradari.

Piasecius.

Mediatorum studia Ad Thorunij obsidium reuertor, vt Regno conducibile, sic Regi vnicè maturatum opus, nisi interuenientes difficultates obstitissent. Attigi nonnullas vltra quas accessit, quòd tendentem Casimirum per viam adirent Christianissimi, etiam Sueci Regis internuncij (Akakiâ & Chamier) compellatorias de pace ferentes, quominus reconciliatis animis redirent ambo Reges in gratiam, mediationemq; vtriq;

vtriq; Coronæ æquanimem Gallus Rex polliceretur. Dudum pulullanti negotio attendebat operam insinuans, (Regina multum hac in parte satagente) Antonius de Lumbres Vir non minoris facundiæ, quàm in agendo dexteritatis. 1657. Ast cōtra non defuêre suscepto cōsilio renitētes nostri, quòd aspirante Suecorum rebus fortuna frigesceret Mediatio, vbi contra successus euenit, tum demum paciscendi mentio flagrantiùs resumeretur. Maximè Austriacos Ministros pupugit studium pacis Sueco-Polonæ, in sui exclusionem à Gallis tractandæ; proin incusata æmulæ gentis inuidia, vt quæ occultè tantùm verbis & clandestinis factionibus ageret, cùm Hungariæ Rex præsenti auxilio, & nullo cuiusquam respectu rem Polonam armis iuuisset: volueruntq; ab Aula seponi Gallos, firmiter obsistendo, ne ijs autoribus coalescerent ineundæ pacis rationes: vbi id requisitioni eorum tribuitur, efficacem in abstrahendo Electore Brandeburgico à Sueci partibus, operam subinde polliciti. Ita vbi manus lassauerat ferrum, vicariâ operâ in certamen lingua descendebat. Ast Politicorum solertia inuestigauit facilè causas, quorsum ij in reuocando ad amicitiam Polonam Electore, nimis officiosi videri vellent; cùm interea ad obsidendum Thorunium segnius quàm par erat, animos & arma expedirent, varias differendi rationes, & incongrua Aulæ Viennensis mandata obtendentes. Explicabatq; aliquis subtilior Aulicus arcanum, ex Taciti Annalium lib: XV, de Corbulone legiones Romanas in subsidium Tygrani mittente; *occulto præcepto compositiùs cuncta quàm festinantiùs ageret, quippe bellum habere quàm gerere malebat.* Etiam isti multum suâ interesse existimauêre, si protracto apud nos bello, in alieno theatro feralem scænam spectarent; sopitis inter belligerantes gentes armis, calamitatum torrente Imperium aliquādo inuolutum iri præuidentes, imò Austriacorum res pessum ituras, vacante in id temporis Cæsarum Solio: præsertim quod Philippus Casimirus Archiepiscopus Moguntinus, Electoralis Collegij Primas subinde diem

1657. diem suum obijsset; sine quo, non conuocari Electores, non proclamari Electus, aut coronari posset. Itaq; lucrifaciendo Brandeburgici suffragio, qui Romani Imperij ArchiCamerarius, diuellendiq; eius à Sueco studium, propriâ causâ flagrantius perurgebant Austriaci, haud ex animo ad finiendum in Polonia bellum cooperando, ne Sueticorum armorum accessu, suspecta Gallorum factio inualesceret. Hinc lentioris operæ causa credita, & obsidendi Thorunij aperta cunctatio.

Elector Br: Regno conciliatur

Fridericus Wilhelmus Marchio & Elector Brandeburgensis, tantisper seu blandiente successibus Caroli fortuna, seu præuiso ineuitabili ditionum suarum damno & vastatione, temporum necessitati ex præsenti vsu cedendo, Suecis se vt supra relatum adiunxerat. cui ad pristinam cum Regno confidentiam reducendo, non minus arduus quàm insignis labor enituit Venceslai Leszczynski Episcopi Varmiensis, vt demum plus æquo Sueticæ amicitiæ fauentem, partibus Reip: tandē reddiderit; cæpto primum Lubauiæ, dein Regiomonti colloquio; eam in rem cóoperante Vincentio Gasiewski Lithuaniæ Campestri Duce, qui iam tunc beneficium libertatis, ex captiuitate Suecorum interuentu Electoris præstitum, mutuo conciliandi eius cum Rep: officio, compensare studebat. Accedebant Franciscus Baro de Lisola, & Ioannes Owerbek, ille Austriacus, alter Electoralis Ministri: præcipuè posterior non imprudens futurorum coniector, ne ex Pomerania Suetica redeuntes Poloni citeriorem Electoris, ac contiguam Maiori Poloniæ Marchiam, pari vt hostium ditiones animo tractarent, disceptato diu negotio tandem euicit, vt ad condicendam reconciliationem, tàm Rex Poloniæ, quàm Elector Brandeburgicus mutuò congressi, nouis fœderibus veterem confidentiam repararent. Itaq;, dum Thorunij obsidium varijs dilationibus protelatur, ne nonnihil agendo annus difflueret, Rex Casimirus comitante Ludouica Regina, Bydgostiam se contulit; Electore Brandeburgico terrestri itinere

Ber-

Berlino eodem veniente; quouè maiorem in regia amicitia monstraret fiduciam, Ludouicam à Nassaw ex Orangiorum 1657. Principum familia coniugem, secum adduxit, sincerioris abhinc affectus argumentum, vbi alterum sui dimidium exhibuisset. Oppido appropinquare Electorem ferentibus Nuntijs, Rex equo obuiam hospitibus ijt, consecuta carpēto Regina, vtrosq; florentissimo equitatu aulicorum militariumq;, etiam prætorianis ante aut ponè sequentibus. In Drobniæ amnis ripa congressi Principes mutuò se salutauēre; nisi quod prior cum vxore Elector datus in pedes, aliquantùm venientes Maiestates præstolabatur. Sic perfuncti officio, quod pluuium cælum esset, discessum ex loco maturant, Electore Reginam, Rege Brandeburgicam manu fulcientes, ac ad carpentum Reginale deducunt: vbi prolixum de loco consessus humanitatis certamen, Reginâ hospitem Marchionissam prius & à dextris, quæ honoratior sedes collocante: honorem illa deprecabatur, ac in antilena currus confidens, ex condigno honorari voluit coronatam Maiestatem. Postquam ad Collegium PP. Societatis Iesv ventum, Rex vti hospitium tunc suum Electorem inuitauit, conclaue ingressis, eadem qua prius Heroinarum manuductione. Interuenit sub hæc, dum Ministri Electoris ad osculum manus Regiæ accedunt, vt cum alijs Boguslaus Radziuillus Stabulo Lithuaniæ Præfectus, peruicax eo bello partium Sueticarum assertor, Regis genibus aduolueretur, cui Rex haud celatâ offensâ manum illico subtraxerat: dissimulante velut non aduerteret Electore, priusq; se ipsum cōciliare Regi, dein in alios præocupato fonte, torrentem gratiæ deriuandum censente. Vbi semotis arbitris (Commētariorum fidem sequor) colloqui vacauit, prior Elector, recensitis in Polonia bonæ voluntatis speciminib9, modestè præsentiâ & maxime tēporis necessitate excusauit; ne duorū Regū armis constrictus, victoris spoliū fieret, Neutralitate inconcessa. *Adhærere tibi (inter alia proferēs) Serenissime Rex enitebar impensè, sed cogebat vis vehementior, vt inter di-*

stri-

1657. stricti ferri minas, & stridentia à tuismet Polonis discrimina, debuerim partes facere, ob conseruationem sui, satius belli socius Sueco, quàm materia vincendi. Iam ecce redeo, Tu, quod falli me à fortuna passus sum, si benignè transmittis; ego vicissim praesentis pacti & mutui officij haud immemor donec viuam fuero. Ad hæc Casimirus peramanter amplexu vinciens, ex Principis Romani dicterio reposuit. Regna à Fato dari, ac vt placuerit Numini, procellis bellorum agitari: illo adgubernãte prospera fluêre, euenire aduersa. Conditionem mortalium in eo stare, vt sorte versetur, ex amicis hostes, ex hostibus amicos faciendo; breues tamen amicorum iras, & ante solis occasum deponenda odia. Plus constantem tota vita Ser: Electoris amicitiam, quàm perfunctorium ex necessitate secessum æstimare, cui diluendo praesentis animorum redintegrationis victimam sufficere Numini, & sibi: vt qui transacta æquanimiter tulisset, iam meliora optet. Quæ dum boni Superi largiuntur, vicissim se cœlo litare, ac cum affine Principe, mutuis vt ante officijs & charitate certaturum. Hæc in congressu illo, Cõmentarij qui ad manũ sunt, reliqua abscondita, quia absorpsit arcanũ.

De ea Principum conciliatione diuersa, vt assolet, inter nostrates fama & sensus: multis optantibus quæ nondum erant, improbantibus quæ iam facta essent. Disserebant aliqui. Amicitiam præcipua constare lege, vt commune habeatur inter duos prosperorum & aduersorum participium, cum felicitate temporum parentur amici, probari constantiâ soleãt. Quorum sinceritatem si ad lydium affricas, melior is & magis fiais, qui non refugit aduersa; nam insitum deteriori cuique felicitatem sequi, vt mel muscis, cui auidè inhærent donec dispellas. Sic plerique simulantes beneuolentiam, habent se vt Tritones ædium, qui flatu circumagi faciles, vno loco subsistere nequeunt nisi vehementiori vento caudâ blandiantur. Id conterminis Principibus olim & nunc solemne, vt flantibus Polonæ tranquillitatis Fauonijs, erga nos se dent: reflante fatali à mari tempestate in Aquilonem vertantur; & quos expediret vel semper Polonis amicos, vel nunquam hostes existêre; vasallos

los cumprimis Regni. Id palam fuisse anteriore cum Gustauo 1657.
bello, quorum nutantis amicitiæ, vtinam & nunc careremus exemplis. Sanè maturari oportebat Electoris Principis resipiscentiam, ampliore redintegratæ amicitiæ fructu, si ante desertum à fortuna Suecum, veterẽ cum Regno confidentiam, & Feudatario debitã fidem sarcijsset. Quid si, vt ad Polonos regrederetur, emptus magis nec sponte accessisse dicetur; nos verò, dum nimis officiosi videri volumus, dispendiosi in publicum existemus? Tantone pretio condonatæ Dependentiæ seu superioritatis, conciliari debuit Princeps vt faueret postliminio nobis? cuius nuper miles ad fundendum sanguinem Polonum hostibus commilitauit? etiam ipse transferendi belli in viscera Regni Suecis autor, elisato in Varsauiensibus campis eorundem robore, ad victoriam peruicax, iactura nostra ruebat? ille è cineribus Poloniæ, suum nouus Phœnix meditabatur incrementum, vt in sortem hercíscundi Regni accedens, iniquissima pactione ex Vasallo cohæres, & citra Electionem Rex fieret &c: Expedire, vt sine dispendio Prouinciarum & Iuriũ Regni, Serenissimus noster posthac clemens sit; vel expectet saltem qui offendissent, vt benignitatis prius indigere ostendant, Ast qui alia sentirent, contraria loquebantur. Euidens vitiati stomachi signum esse, in noxios cibos appetitu ferri, & ingestos concoquere non posse: hùc collimare quorundam male-sanum cerebrum, vt necessaria optẽt, euenientia fastidiant. Quid in votis, quid in familiaribus colloquijs, imò publicis consilijs flagrantius? nisi vt collapsa depressi Regni fortuna, retracto à societate Suetica Brandeburgico restabiliri posset? Id omnes Status Ordinesque desiderauêre: exposcebat Clerus, precabatur plebs, quæ vocabuli Germanici parum intelligens, Electoralem titulum, Kurfirsta, per ignorantiam w Pana Chrysta transmutarit. Vbi auaro voto satisfactum, & in partes trahi se passus Princeps, bona nostra ipsimet incusamus, & modo expetitæ tædet felicitatis. Sed cur id tandem? inconstantia amicitiæ vitio vertitur? Quæ anterioribus bellis transacta, quia memoriam nostram excedunt, minus egent excusatione: ad præsentia respondendum. Electorem Sueco

1657. co associatum Remp: armis appetijsse, cuius ipse membrum sit? Disputant Iurisperiti, an lex de non resistendo nos obliget, in grauissimo & certissimo discrimine? vnanimiter tandem decidunt ex ratione summæ necessitatis, & euidentis ruinæ coactus, licere vti præsidijs vitæ: imo etiam ex iure naturæ, communis boni respectu. Bello Suetico antequā ad extrema deueniretur, quid non præstitit Elector Princeps? Cum Ordinibus Regalis Prussiæ arma iūxit, loca opportuna sūptu & milite proprio firmauit, cum hoste quæuis commercia abrupit, ac decretoria pugna confligere obiectis copijs paratissimus erat, nisi pro Regno Poloniæ pugnaturus, numerosis Polonorum copijs apud Bartensteynum, ab impare & periculosa belli alea retraheretur; non modo desertus à socijs, sed proditus hosti. Dein ex natura Feudi, obligationem personalem oriri, quæ vt vni contrahētium fidem & operam, ita alteri præsidium & tutellam imponit. Postquam finibus Regni excesserat Rex, manifestè habitam Prussiam pro derelicta, vnde dum fortiorem imò amplissimi Regni Monarcham cedere fortunæ vidit, sibi subditorumq; saluti, pro quibus strictam Deo rationem redditurus esset, omni meliori modo Electorem consuluisse. Maiorē Poloniā non diuisione in hæreditatē vsurpasse, sed partitione in defendendū suscepisse. Quod hostem Poloniæ egerit aliquando? & cur non deuinciendus beneficijs, ne rursum id faciat, cum vtilius multò sit ex hoste amicū, quàm ex amico hostē facere. Ita tunc conducibilia optabamus, vbi voto satisfactū vel ipsa rei optatæ satietas, in fastidiū transibat. Ast Principes postquā per pacta quibus Bydgostiensium nomen, iureiurando amicitiā sanxêre, dicto vale ab inuicem digressi sunt: Elector quidem Berlinum, Rex Poznaniā, reliquum anni ibidē transacturus. Subsistendi hîc motiuum ob interueniētes belli casus, tum speratū vel maximè Caroli Sueci ex Dania regressum, vt in reprimendū cum fæderato iam Electore, consilia & vires facilius sociarentur. Quid verò ea Colligatorum Principum arma præstiterint, consequēs annus debitam sibi materiam fusius explicabit.

A. M. D. G.

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECUNDI, REGNANTE IOANNE CASIMIRO, LIBER QUARTUS.

Elenchus Contentorum

An. Ch. M. DC.LVIII.

CAsimirus Rex Poznaniæ hyemem traducit, propter grauamina Germani militis anxius, & querelas incolarum. Hinc ob insalubrē äerem in pagum Bogoniouū secedit; Ludouica Regina vxorem Electoris visitandi causâ Berlinum proficiscente. In Vkraina motus rerum consurgit, Wybouio à Moschis exacerbato: qui tamen ex ingenio suo obsequium simulans, Casimirum Regem ad suscipiendum Cosacorum patro-

patrocinium inuitat. Ragocius contra Turcas protectionem Austriacam suscipit, Transyluaniâ amotus. Rex Poznaniâ mouet Varsauiam, vbi indicta extra ordinem Comitia fuêre. Virorum Illustrium in Polonia mortes. Pestis Varsauiam inuadit, vnde Rex Louicium demigrare coâctus. Ad quem Moschi Legatio. Daniæ Regni ac belli cum Suecis breuis mentio. Gninski ad transmarinos Reges iterum ablegatus. Comitia Varsauiæ celebrantur, magno Ordinum concursu. Mediatio Gallica tepescit, Caroli armis præualentibus. Danus cum Carolo paciscitur etsi fœdere minus durabili, quippe mox rupto iterum ad arma deuentũ. Gasiewski obsidet Rigam: Suecosq; per Liuoniam vrget. Mors Korycinij Regni Cancellarij. Grodzicki in Prussiam præmissus, quo tandem & Austriaci mouent. Electio ac Coronatio Leopoldi, in Imp: Rom: expedita. Exercitus nostri tendunt, vnus ad obsidendum Thorunium cum Mareschallo Lubomirscio, alter cum Czarnecio in Holsatiam. Vilnæ Commissarij cum Moschis congrediuntur. Wyhouius in partes Regias apertè transiens in Moschos bello insurgit; Suecus oppugnat Kopenhagen; cum interea Douglassius Iacobum Curlandiæ Principem, cum Ducali familia abduceret captiuum. Subinde fusior Holsaticæ expeditionis narratio. A Moschis in Lithuaniam illata arma; Thorunij obsidium, assultus, impressiones &c: recensentur; etiam obsessorum constantia; donec inualescentibus obsidij malis in deditionem inclinauêre. Quam deditionem Comes Oxensterna procurat, Rex clementer annuit. Sub quibus conditionibus deditur, insertum. Constitutiones anteactorum Comitiorum erroneè impressæ, iterum typis recuduntur. &c:

Anno Christ: 1658. E Lectore Brandeburgico à sociali cum Suecis fædere, ad Polonos regresso, plurimum Caroli rebus decessisse creditum; etsi ille vltionem magis quàm dolorem iactans, pænitentem facti autorem protinus dictitaret, ac ex contumelioso re-

Bran-deburg: à Sueco recessus. cessu vindicias acerrimè minaretur. Nihilominus, vt solet ad subortas amicorum iras, prius literis vtrinq; donec arma expediuntur velitatum. Asserebant Sueci. *Indignè eiuratum fædus, à quo recessisse plus Electori opprobrij, quàm Sueco discriminis promanaret; præsertim nulla data disiunctionis causa, ac socij deserendi. Nam, seu minis Polonorum territus, seu promissis corruptus, etiam fortè Austriacæ Domui addictior: insuper, Status sui conseruationis respectu, ad id consilij accessisset, certè vt à ternis pactis cum Carolo initis desciceret, iustam causam non fuisse. Maiora in ipsum Suecorum exstare benefi-*

cia, validiorem æmulis potentiam, nullum ab Imperio metum, 1658.
& Regem mox ex Dania reducem, gloria & nouis subsidijs auctum, bellum & triumphos in Polonia continuaturum. Proin non planè Heroicum censeri, ab inito fædere tàm facilè (cum tamen deceret magis Electorem extrema subire, quàm à semel pacta fidei religione, quæ non dextras solùm, sed etiam animos atq; conscientias colligaret), resilijsse. Sed exemplo illorum factum, qui plus rationi Status & vtilitati priuatæ, quàm obligationi fidei consulunt, & prout conducit ita amicitias licitantur. De his prolixius suo more Sueci. Ast Elector, cui obsimilem in maritima Caroli recessum, Ragocij casus euidens suggereret argumentum, quid metueret ipse, aut exprobraret Regi, ex præsenti vsu consilia se mutare coactum excusabat; quæ si ad veri lancem expenduntur, se potius à Rege, quàm Regem à se desertum ostendens. *Abijsse Carolum in Daniam, abduxisse Exercitus, & àliquot tantùm fortalitijs prehensa Prussia, in se omnem belli Polonici molem deriuasse. Quid faceret multiplicatis hostibus, & virium notabili diminutione periculo impar? non aliàm tutiorem ac expeditiorem conseruandi sui inijsse viam, aduersùs ingruentem Cæsareanorum ac Polonorum Exercituûm ditionibus suis intentatam hostilitatem, nisi eorum partes amplecteretur, quibus maior ipsi nocendi vis, quàm sibi se tuendi absente socio facultas esset. Quantum ad merita & beneficia, quæ sibi exprobrarent Sueci, ea tanti non esse, nisi satius mutua officia vocentur, quæ inter pares exhibita, reciproca humanitate pensata sunt. Si verò loca quædam in Prussia sibi attributa Rex Suecus beneficij loco poneret, iam tandem ex re ipsa Electorem assequi, non velut largitionem Caroli retinere ex dato, sed quæ ab illo accepisset ex alieno donatiuum esse: imò vti Ecclesiæ Feudum Warmiam proprijs dominis restituendam quandoq;.* Talia, inter socios belli iam nunc ex disiuncto agentes ac æmulos, scriptis iáctata. Cui verborum comminationi accedebat, sparsus propediem in Prussiam redeuntis Caroli rumor, quem dum vel Sueci in-

1658. terrorem diuulgāt, vel nos ex fama credimus, opportunum Casimiro visum, si in omnem casum, his in oris consistens, discrimini propior ageret; vel sola præsentis Regis vmbra plurimum occurentibus malis remedij allatura. Posnaniæ itaq; hyemem traducere statuit, tam immittendis in Prussiam copijs loco viciniore, quàm miscēdis cum Electore consilijs loco ob cōtiguitatē percōmodo: cum Poznania XXIII. non amplius leucis Berlino distaret, vbi Electori residentia. Erat tunc Maior Polonia quædam calamitatum belli palæstra, ac velut gladiatoriū theatrū, in quod partiū pugiles, seu inciperent seu finirent scænam, decurrebant fataliter; Suecorum armis, eodem tractu emigrare velle ex Regno monstrantibus, quo ad nos illata fuere: afflicto Prouinciæ statu, quò anteactis bellis intacta & florentior alijs extiterat; quippe Devs, dum castigat neminem præterit, dum benefacit vniuersos propitiatus respicit. Quidquid post exactos præsidijs Suecos remanserat in Prouincia annonæ, consumebant cohortes nostræ, simul auxiliares Germanorum legiones hic in hyberna locatæ, præcipuâ agrestium vexâ & desolatione. Neq; minus Regi molestum, á Ducibus Germanis eorumq; militia, quàm ipse vel detrāctis mensæ propriæ reditibus aleret, Ordinationes (vt vocant) suas si non sperni, at certè non audiri; nisi prius mandata Viennæ excussa probarentur; accedebat acerbitas pulsari aures cōtinuis Nobilium querelis, immodestiam imò violentiam hybernantis militis incusantium: cum intutam istis domi cum pignoribus mansionem redderet auxiliaris miles, per láxatam penitus disciplinam ad latrocinia versus, qui cum infesta vbiq; teneret itinera, ægrè à Præfectis impetrari potuit, vt vix aliquorum exemplari pœna, sanciretur incolarum securitas. Hinc aliquoties Nobilitas per Delegatos ex ordine suo, vt facinorosum coerceretur licentia, Regem precabatur: dein effectu intra dilationes posito, dum è templo diuertit, vt leuior quisq; ita audacius circumsistendo compellabant. *Cur venisset Ser: Rex, nisi vt innoxij populi vexam propius aspiceret? pacatam antea Prouinciam nunquam ingressum, nec ardescente bello vt propugnaret comparuisse: nunc vbi ope Numinis exactus aliquo modo hostis, inductos procurāte ipso Germanos, qui sub auxiliorum nomine, acerbius Suecis Maiorem Poloniam haberent, & depradarentur. Quod si direptio Prouinciæ in commiserationem non traheret, saltem spectatorem agere desinat, donec intolerabilis oppressio armis excutitur.* Exacerbabat super hæc, ab incerto autore odiosè sparsa relatio, eâ per Maiorem Poloniam Austriaci militis locatione, expleri veteres Casimiri iras, vt qui primò Suecis adhæserant incolæ, ijdem, quàm externum iugum insuaue sit, vel in auxiliaribus experirentur. Ast Rex dissimulauit prudenter, omnem conatum impendens, vt alleuiaretur malum peccantium humorum euacuatione, nisi inter ægri patientiam & curantis lentitudinem, molesta quædam interueniat expectatio. Vnde occurrendum erat, ne iniurijs exagitata Nobilitas, durius quid in Germanos attentaret: vtrisq; per fortuitos congressus minas & probra iacientibus, & non raro tam in Vrbe quàm in via, infēsis inter se ferrum stringentibus; facili consequentia vbi odia minæq;, quas cohiberet in tempus Principis reuerentia maturescunt, in cruentum propediem certamen erupturas. Sic Regem sui quoq; exercuēre: qui totus in eo vel maximè erat, vt exonerata auxilijs Maiore Polonia, ad opera belli quantocius iretur; nec minore consideratione; ob interturbandam rem rusticam, quominus horna semina, quæ in pabulum equis converteret miles, solo inferenda superessent: summa tunc per Prouinciam frugum penuriâ, & qui consumerent pluralitate.

Posnaniæ graui cælo, vtpote post nuperam obsidionē, ne dum probè repurgata Vrbe, cum ex Curiensi comitatu permulti morbo decumberent, etiam Ludouica Regina insalubrem auram experta, suasu medicorum mutare locum decreuit, Bogonioum Castellani Calisiensis pagum, cum omni Aula Rege demigrante. Distat haud longè Berlinum, adsi-

1658. adſitæ Marchiæ oppidum, vbi tunc pro tempore & ex vſu domicilium Elector fixerat, conſilijs vti memoraui, pro re nata & occaſione, cum Rege communicandis. Ipſa loci vicinitas perſuaſit animi gratia iter, an quod excelſæ indolis proprium ſit aſsiduo gaudere motu; vnde Ludouicam Reginam ignobili pago otioſam agere dum piget, ſplendidiùs quàm ſecurius ſe itineri committens, Berlinū perrexit; ſollicito primùm Rege ob viæ diſcrimina, mox permittente, quia ipſa volebat. Diſceſſus cauſa prætendebatur ſueta ſexui ciuilitas, nempe Aloyſiam Brandeburgicam Electoris conſortem viſitandi. Certè præſtitum officium, gratum admodum Electori Principi extitit, hoſpesq; excepta magnificè & tractata fuit; breui dein morâ officioſitatem expediens, ad Regem reuertit: occultis tunc quæ in arcano agitata conſilijs, in quæ inquirere arduum, vel ſi aſſequi daretur, minus ad Hiſtoriā pertinens; quæ ſubtiles iſtas ſcrutandorum arcanorum ſemitas deuitando, dum viriles actus refert, Regia via pergere debet. Nunc ortiua plaga calamum vendicat.

Ioannes Wyhowſki apud Coſacos Zaporoſcenſes Præfecturam adeptus erat; ſeu Chmielnicij iam morituri ſuaſu commendatus, ſeu ſuâ ipſius ſolertiâ, pridem in Exercitu illo habitus inter præcipuos, dignatione ac experiētia. Floruit equidem Bohdani ſtabili diu fauore, donec ſub extrema ne filio præponeretur ſuſpectus: demum mortuo, parùm diuerſis artibus, quas ſub veteratore illo hauſerat, ſe in Præfectum Coſacis inſinuauit. Sanè promptus ac rebus tractandis agilis, vt qui foro olim ab adoleſcentia exercitus, dein conſilia & fortunam Coſacorum per decennium & vltra moderatus, ſub alieno didicit imperio, quomodo & ipſe eius militiæ habenas aliquando tractaret. Sobrietas quin etiam, ſimulatâ temulentiâ velata laudi fuit, peculiaris apud Coſacos virt', ac aliæ ambidextri ingenij qualitates, magno inſuper ad conciliandum vulgum illicio vſus, conſiliorum ſucceſſu. Verùm quibus tunc in Vkraynam imperiū, diu fal-

fallere Moſchos non poterat, gentem acutam & ſuſpicacē, 1658. & quæ non plebis modò ſtatum moresq;, ſed ipſiuſmet Præfecti in Coſacòs iuriſdictionem reſtringi in plerisq; cuperet. Dum itaq; diſsimulans amicū Polonos improbat, aliquantum fidei apud Palatinum reperit Wyhouius, vbi patuit inclinare in partes, primò ſuſpici, poſt argui, tandem & perfidiæ incuſari cæpit. Equeſtri loco natus erat, hinc prim' criminationi gradus; inſito ſeruilibus ingenijs næuo, ingenuos odiſſe; dein cum Proceribus Scytharum vetus reſumpta familiaritas nocuit, enatâ ſubito delatione, quâ Moſchuam traductus, non Polonos tantùm, ſed & capitales Mag. Ducis inimicos Scythas ab eo obſeruari, vbi matureſcit proditio, ſceleris patronos tutoresq; habiturum: vtq; his adiutoribus, totâ Vkraynâ Moſchouitico ſurrepta imperio, ad iugum Polonicum, quod iam propè decennio excuſſiſſet, reduceretur. Multi quippe ex Coſacis erant, qui veterem Vkraynæ ſtatum cum præſenti conferentes, legitimâ Polono Regi ſubiectionem, illiberali Moſchorum dominationi præhaberent: repertis contra qui Moſcho fauentes quidem eſſent, ſed præ Georgij Chmielnicij minorennitate, ad Regimen Zaporoſcenſium minus apta, Wyhouium maturum annis ſpectatum bello, ac continua rerum gerendarū imbutum praxi, Præfectura Exercitus potiri in ante deſiderantes perficerent. Nec ipſe abnuebat, iam quòd inclinatione naturali omnes dominari quàm ſubeſſe malumus, etiam ſub id tempus ſparſo rumore incitatus, Magnum Moſchouiæ Ducē, ſub cuius interim maneret Vkrayna patrocinio, ad Diadema Poloniæ aſpirare: hinc firmius apud Coſacos regimen ſibi manſurum exiſtimauit, vbi tam infeſtæ gentes in vnum imperij corpus coaleſcunt. Obtinebat Kijouiam Prætoris in modum pro Mag: Moſchouiæ Duce, Mattheiowicz Palatinus, in omnia dicta factaq; Wyhouij eiusq; factionis hominum ſolicitè intentus, expreſſo Aulæ illius mandato (vti fama fuit) ſi ad Polonos inclinare Wyhouium comperiſſet, eum quocunq; modo in caſles perductum

1658. ctum ſuæq; poteſtatis factum, demum Moſchuæ ſiſteret.
Latere dolus cautum & metuentem non poterat diu, proin
Palatinum vitare, ad conſilia bellica, ſeu conuiuiorum ſo-
lennia vocatus, varias abſentiæ cauſas prætexere, donec
ſtructas vitæ ſuæ inſidias, & patriotis aperire, & Palatino
exprobrare cæpit. Hinc mutuum odium inter inuiſos diſ-
fidentesq;: etiam in populum querelæ, imò largitiones,
peſsimè ab his collatæ, qui ideo importuni largitores tribu-
unt, vt alteri odium faciant. Et profecerat Moſchus dando,
quippe Puſzkarenko legionis Legatus, (Aſſawuła) ex inti-
ma admiſsione Wyhouij, diem ipſi dicere auſus, quod Scy-
this cum in exitium Moſchorum coniurauerit; in Aula Po-
lona Theodoſium hominem Græcum & ſummè verſipel-
lem foueret, per quem ipſi à Caſimiro Rege ſubſidium ar-
matorum promitteretur: inſuper producebat Edicta, qui-
bus nuper vniuerſā Vkraynam arma reſumere iuſsiſſet Wy-
houius, haud dubiè Moſchis Siculas veſperas apparaturus.
Itaq; Moſchus circumſpectum ſciens videnſq;, hinc telam
proterendi orditur. Fortè, an altiore conſilio Wyhouius,
penitius popularium inſpiciendis animis, per quendam Pe-
tronium Aſcetram, regimen Exercitus Zaporoſcenſis (vt
cui muneri imparem ſe agnoſceret) vltro abdicans illud in
manus Palatini reſignabat, cui placeret deferendum. Con-
feſtim Moſchus, non facilius quàm eâ viâ lappas veſti hære-
ſcentes excuſſurus, Tranſboryſtenianos Coſacos quibus fi-
deret magis Pereaſſauiam euocauit, præfatus de rebus ma-
gni momenti acturum, nimirum gentis Roxolanæ Poloni-
ſcùm in vnum Imperij corpus ſub Mag: Duce iungendæ,
vel ipſum Wyhouium ſeriò inuitans, & nihil non mouens
vt fucum ſecuræ amicitiæ inijceret. Verùm lupus foueā
ſubodoratus, dum illicio abſtinet, dolum eluſit; imò infe-
ſtiſsimi conſilij euentum in rem ſuam vertit, popularium
adiutus fauore. Namq; frequenti Coſacorum concione
Palatinus, ne antiquum morem in eligendo Præfecto infrin-
geret, primum egit, quominus cunctorum ſuffragio Dux
armo-

armorum ſubrogaretur, vbi Wyhouius tum abſens vltro 1658.
muneri renunciaſſet. Obſtupuêre ad inſperatam reſignati-
onem turmales ſocij; aliqui immeritū degradari indignati,
ſed magis veriti plurimi, ne depoſito populari & ſuæ gentis
Duce, rigidior aliquis à Boreali axe barbiger præſes, popu-
lo licentiæ adſueto obtruderetur. Hinc diu inter primo-
res ſilentium, cum gregariorum aliquis. *Quid inquit rei
eſt vt Wyhouius abdicato regimine, ſine cauſa nos deſerere velit?
neq; de te Palatine tam malè meriti ſumus, vt nobis Ducem, &
nos Duci ereptum eas. Illo allaborante excuſſimus Tyrannidem
Polonorum, nec ſuſtinebimus niſi ſub illius imperio viuere, aut
pro eo mori: id pro me, id pro ſocijs ſi imperiū abrogatur, ſpon-
deo.* Quam in gregario libertatem affatim omnes æmulati,
acclamationibus comprobauêre ſententiam: neq; Moſchus
conſenſui multitudinis obniti auſus; ſciens ſæpius vt plebs
quæ perficere ſe poſſe arbitretur, rogare non ſuſtineat. Quo-
minus tamen ſua iterum inſtituentis Præfectum Zaporoſcē-
ſem firmaretur authoritas, eas præſcripſit leges. Moſchu-
am quantocius iret Wyhouius, qui inibi dignatione & be-
ne-placito Magni Ducis, ita regimen Coſacorum capeſſeret,
vt Polonos, niſi Regnum tradunt, & quicunq; Moſchis non
amici forēt, pro hoſtibus haberet; Scythas armis perſeque-
retur; aliaq; ſubiunxit, quæ iureiurando firmari ab amicis
Wyhouij voluit, eum ſincerè intra terminos fidei Moſcho
obſtrictæ conſtiturum. Sed arduæ propoſitioni vadem ſe
præbere auſus nemo, horrentibus rigorem Palatini Coſacis,
induſtria quidem viro ſingulari, ſed faſtu & aſperitáte mo-
rum odioſo. Minax idem ac cui ſemel iraſceretur inde-
precabilis, & qui ſæpius dictitaret, inſolentiam Coſacorum
rigore imperij frangendam, non indulgentia nutriendam,
recidendosq; licentiæ ſtolones, ne proceritati arboris offi-
ciant. Nec facta verbis diſcrepabant, cum plebe ſeruili-
ter, cum ingenuis ſuperbè egit, pari in ſocordiam auſterita-
te, quám in virtutes liuore. Sic, dum intētiſsimè inſidias al-
ter ſtruit, ſolerter alius euitat, ad extrema ambo reſpiciebāt:
Mo-

1658. Moſchus efficaciâ irretiendi aut capiendi deſtitutus, quoquo modo è medio tollere ſtatuit; Wyhouius nullatenus niſi patrocinio Polonorum protegeretur ſecurum ſe ratus, manifeſto à partibus receſſu conſulere rebus ſuis decreuit; pridem in ſchola Chmielnicij facinoribus eruditus, vel ſuoptè ingenio in omnes figuras prorſus verſatilis. Proin vbi ab Theodoſio quem in Aulam Polonam amandauerat, haud difficilem Coſacis ad Remp: regreſſum, pronumq; ad indulgentiam Regem cognouit, protinus Paulum Teteram fidum tunc ſibi, ſed poſthac huic Iulio Brutum, publico Zaporoſcenſium nomine ad Regem delegat, qui expoſito totius Vkraynæ deſiderio, in partes Reip:, ac legitimi Regis obſequium Coſacos propendere nuntiaret; ſi modo pacandis rebus primò ſubſidia armorum, dein Commiſſarij Reip: cum plena tractandi poteſtate mitterentur. Interea, ob loci diſtantiam tardè ex Polonia ſuppetias miſſum iri reputás Hanum Crimenſem vti viciniorem conuenit, qui irreconciliabilis ſemper Moſchorum hoſtis, Karaczbeium primò, dein Soltan Nuradinum cum viginti Scytharũ Millibus auxilio ſine mora ſubmiſit. Ergo Palatinus ſepoſita vi dolos agitans, Barabbam Centurionem inducit, qui ſtantes à partibus Wyhouij Coſacos ad obſequium Moſchi ſuaſione retraheret, iniectoq; diſsidij fomite, ſciſſos animis in Præfectum concitaret; ac quo maior inſtinctus negotio eſſet, nec largitionibus homo parcus pepercit. Aſt irritæ aduerſus ſolertem technæ, quippe comperto ex indicibus arcano, captum Barabbam, nec conceptam factionem diffitentem, laqueo ſtrangulari in eminenti patibulo iuſsit, palam facturus aliorum criminũ exactas pænas abſcondi, perfidiæ mõſtrari oportere. Verùm, ſublato vno, recepit alter tollendi Ducis negotium, eò fidentius patrandum, quòd in paucis Wyhouio familiaris eſſet. Dzedzaſy erat veteranus, quem cum ſocijs à municipio Liſianka venientem exceperat Dux amicè, pro more gentis largiore meraco tota die ſtrenuè perpotando. Aderat & Karaczbeius è primoribus

Scytha, uiſitandi gratiâ, aut conſiliorum cauſa veniens; verùm iſto poſt breue colloquium digreſſo, Wyhouius intra conopæum ſe in ſtratum compoſuerat, cum Dzedzaſy temulenti in ſpeciem, ſaluti Ducis præbibendo, locumq; decubitus ex ſtridore gutturis ſpeculatus, protinus in ſomno oppreſſum irruit, & ancipiti ſpiculo quale venatores ferunt planè tranſadigit ſiccarius iacentem. feriens ſimul & inclamans. *Hui inquit canis cui ſanguinem Coſacorum licitari prolubium eſſet, quid ni ad inferos abis exitij noſtri cauſa aut inſtrumentum.* Multum ſanè ſimulata ebrietas profuit, in ipſo namq; diſcriminis articulo, agiliter intentatum ictum euitans, ſeu culcitis impedito ſpiculo, ſubtus laciniam Conopæi euolutus ad proximum Equile prorepſit, vbi equum nactus ad Karaczbegi ſtatiua per obſcurum noctis ſilenter euaſit, ſeq; ſeruauit melioribus: haud implorans combibonum opem, qui & ipſi factionis conſcij de induſtria protraxerant conuiuium, vt inter pocula mactato Duce, non inſolitum apud populares crimen excuſabile compotatione facerent. Quæ poſt, anxius meditatæ necis molitor Palatinus, vbi priuata vltio non ſuccedit, publicè in odioſum caput graſſari voluit, renuntiato palam Martino Puſzkarenko Zaporoſcenſium Duce, vt is commiſsi Exercitus Regimen, tutius ſibi quoquo modo æmulum tollens præſtaret, quod ſi minore motu facinus perfici nequiret, vel aperta vi contra perfidum experiretur. Nam malis ſi nocendi facultatem impedias voluntatem intendis, neq; deerit facultas vbi præualet potentia. Quonam verò modo inter ſe æmuli concertauêre, ac vt ſuperior armis Wyhouius notabili Moſchorum clade iniuriam vltus eſt, infra exponam; nunc ſufficit cauſas protuliſſe & motiuum, cur ad protectionem Polonorum poſtliminio Coſaci reſpexerint. 1658.

Initiũ Anni 1658. deiectione Ragocij ex Principatu Trãſyluaniæ famoſum extitit: cùm naturæ noſtræ inſitum ſit magis noua, quàm magna mirari. Suſpiciebant enim depreſſum à fortuna Turcæ, ob agitatum in Polonos bellum;

1658. creditus, si non irrito conatu molimen finiuisset, nec ipsi Ottomano parsurus Vasallus, animo vastus & spei indefinitæ. A quo proinde Feudi Transyluanici inuestituram, ab eo & priuationem habuit, iactante Tyranno in gratiam Poloniæ factum, quam immeritam bello lacessijsset: adiuncta demerito appendix Iaskolscij Legati ad Aulam suam tendentis iniuria, quem vti memoraui, à Ragocia Matre ex itinere retractum, ac per suos satellites indignè ex commisso Filij tractatum arguebant. Sed formidatus formidansq; Dominator Orientis, noxiam materiã suspectabat, ne post Christianitati in offendendi aliquando instrumentum, bello exercitus Ragocius contra se verteretur. Deiectus, supplices preces, simul ingentia dona placando Imperatori mitterat, haud tamen pristinum statum recuperare valuit, Præside Silistriæ Bassa cum sexaginta Turcarum Millibus, alium Transyluanis Palatinum, Ferensium seu Franciscum Ryday inducente; origine, religione, moribus, priori sympatriotam, etiam Dominationis tenore haud diuturnum. Ita Ragocius dum aliena appetit sua perdit, & qui modo inter Dynastas Europæos aliquo in pretio habitus, iam exul ac priuatus, ne auito quidem patrimonio in Hungaria, ob banni Cæsarei proscriptionem, frui permissus: tumdemum fortis suæ intelligens, vbi ad ima detrusus esset. Etsi Hungariæ Rex Leopoldus, iam vicissitudini indolens, iam supplici parcens, in spem erigeret; interuentuq; Wesselinij Palatini patrocinium adpromiserit, sex Millibus militum Germanicorum subsidio missis, cum quibus aliquoties Turcis congressus, & subitarijs prælijs victor, famam belli vtcunq; sustentauit: non tamen amissum Principatum recuperare valuit. Sapite Principes, ac discite fulciri Thronos iustitiã.

Operiebatur Germania destinatum Electioni Cæsaris Romani tempus, magna Principum Imperij expectatione, cum interea moritur Ioannes Philippus Archiepiscopus Moguntinus, Electoralis Imperij Primas ac Archicancellarius; cuius interueniente Fato differi actus Electionis debuit. Se-

ptem

ptem illis, quibus Imperatoris nominandi ex Aureæ Bullæ præscripto, suffragium debetur Electoribus, additus haud pridem octauus est, bello nupero in Germania canonem Carolinum immutante, vt ferè necessitatas armorum planè est ineuitabilis. Cuius Electoratus gradum obtinuerat Ludouicus ex stirpe Rhenana, olim Comitis Palatini Friderici Filius, Princeps Heydelbergensis, sub Archithesaurarij Sac: Rom: Imperij nomine, postremum in consessu Collegij locum sortitus. 1658.

Adulto Februario conuocauerat Casimirus è Senatu potiores, cum quibus consultauit; quibus modis, si non in totum sopiri, saltem prosequi, vel demũ alleuiari bellum posset? Maioribus Polonis vel maximè vrgẽtibus, ne vltra pressurã militis Austriaci grauarentur: frequentissimo Procerũ cætu tanquam ad resumendam de nouo Senatoriam functionẽ conuolante. Præcipui aderant Andreas Trzebicki iam tunc Nominat9 Episcop9 Cracouiẽsis; Ioãnes Gembicki Płoccẽsis; Florianus Czartoryski Cuiauiensis; Stephan9 Wierzbowski Poznaniẽsis, ac Nicolaus Prazmowski Luceoriensis, destinatus Sigillo maiori Minister. Palatini; Poznaniensis, Callissiensis, Płocensis, Lanciciensis, Terrarum Russiæ &c: Mareschalli, Thesaurarij, alijq; Status Ministri &c: Ducibus Exercitus serius comparentibus, qui vt mutuo infensi conciliarentur, ægrè ac magno temporis impendio effectũ. Gallicorum Ministrorum subinde in lucem prodibant studia curæq;, quibus compositioni belli Suetico-Polonici enixè allaborare monstrabant. Quippe Lumbresius, omni mora præcisa ad Regem Carolũ Vismariam eo in negotio acturus iuerat; & Akakia alter ad latus Reginæ hærẽs, plurimis rationibus demonstrabat, lacero & afflicto Regno expeditiorem ineundæ pacis viam fore, quæ mediante Rege Gallo, verborum tantum impendio constaret; quàm Austriaca auxilia, quæ & Suecum acrius irritarent, & Polonis carò admodum comparata, nec citò nec in totum satisfacerent. Nihil interesse cuius interuentu hostilitas dirimatur, modò

Mm 2 belli

1658 belli mala cessarent, non quis, sed quid præstiterit? Dauus ille an Oedipus? Leopoldus siue Ludouicus fuerit? modo cum bono gentis Polonæ tranquillitas firma, pax sine discrimine, & reconciliatio animorum, sine iactura Regni haberi posset. Talia isti, longe plura nostri ex voto suadentium, aut excellentioris alicuius genij instinctu proferebat: vt ferè Aulicis ingenijs solitum, explorato Principum sensu huc formatis rationibus collimare, proq; illorum beneplacito per discursus familiares, vulgum imbuere opinionibus.

Eo temporis clara & crebra virorum illustrium apud nos funera interuenere, publicis malis additamentum faciendo. Ac vt Prophetarum aliquis conspexerat (permissus) Deum, cum trulla cæmentarij, lapides muri Israel deijcientem; certè eiusmodi visio in nobis expleta, quando eminentes de fastigio muri Polonici lapides, capita & ingenia potiorum è Senatu, de Terra viuentium exterminaret ille, qui murum huc Spartanum, secundi in Regno Ordinis, cōdiderat Deus. Moritur cum primis Andreas Leszczynski Archiepiscopus Gneznensis infracti vir animi, ac cui prospera & aduersa iuxta fuere. Siquidem sub Vladislao IV. Regni Procancellarius, consummatam Patriæ felicitatem, ac in flore Poloniam vidit: qui idem sub Ioanne Casimiro Regni Primas, vndiq; calamitosam ac interneciuis bellis succumbentem doluit & expertus est: biennio ferè Nisæ in Silesia extorre agens, donec podagricis affectionibus, quæ stirpi Leszczyniæ eo modo patrissanti hæreditariæ videntur, succubuit Louicij, Archiepiscoporū Gneznensium ordinaria sede: felicior vir, nisi quod ærumnæ senem probauere infractum. Etiam fati legem subijt Vladislaus Marchio Myszkowski Palatinus Cracouiensis, Iuris Ordinati vltimus ex lumbis successor. Patrem habuit Sigismundum Regni Mareschallum, præter alias qualitates, externis eo vsq; æstimatum, vt Mantuanus Princeps Vincentius Gonzaga confraternitatem sibi, imò participem Gonzagæi vocabuli esse voluerit. Hinc in stirpis eius titulos Marchionatus irrepsit, qui in

Mortes Illustrium.

toto Regno soli & vni Myszkouiorum Familiæ, amplissimæ Ordinationis possestrici, ex lege competit atq; tribuitur. 1658. Namq; in libera Rep: similia externorum crepundia aut appendices, cane peius & angue odio sunt: sufficit Nobilem nasci, quod si in æqualitate nato bonæ artes adfuerint, virtute superantur æquales, aut excellentia qualitatū. Dies ipsi feralis duodecima Martij, funus sortitus Pinczouiæ maximo Nobilitatis concursu. Quoniam prolis exsors, bona Ordinarioni subiecta ad collateralem deuenêre, Franciscum Myszkowski Tyszouecensem Præfectum, cum quo mihi triennale sub signis Patrui commilitium fuerat.

Finita Conuocatione Rex, vel quod vrgenter pestis Varsauiam inuadens abitum imponeret, vel profectione sua militem ad opus belli prouocaturus, Louicium mouit: obuium in itinere nactus Moschi Legatum, Diadema Poloniæ pro Duce suo reposcentem, titulosq; Regni in antecessum præiudiciosè vsurpantem. Importunum patienter audiuit more suo Oratorem, & humaniter tractari voluit, expeditione in suspenso habita, quoad Ioannes Gołecki subinde Moschuam missus dilatum in eam diem expediendi Legati negotium, difficultate belli apud Mag: Ducem excusans, simul ad tractatus Commissarios Vilnam mittendos inuitârat: cùm interea moram omnem adeo impotenter abrumperet Legatus, vel cultro pectori adpresso vim sibi minatus, si modò per vlteriorem dilationem imperio Magni Ducis, intra bimestre regressum iniungentis, parere vetaretur. Ast paulatim emolita ferocia, exposito Comitia Generalia imminere, in eum finem Ordinibus Regni indicta, vt in ijs præcipuè negotium Electionis Statibus Regni propositum, in deliberationem veniret; interea non ex ordine, nec pro exigentia consulturum rebus Ducis sui Legatum, si quorum certitudinem breui morâ intelligere posset, iam indiscreta præcipitancia, effectum Legationis corrumperet. Equidem Generalia Comitia ad diem X. Iulij indicta fuêre: magna omnium expectatione, & non vltra remedia immi-

1658. nentibus differenda existimantium, præcipuè vt à plaga illa hyperborea, vel conditionato assensu pacem, vel legali denegatione apertum bellum haberemus. Cùm subinde Magnus Moschouiæ Dux, Regem se Poloniæ dici haberiq; vellet, nullo legum cardinalium, quibus circumscripta libera Electio respectu; exilem item in præsens regnantis Maiestatis rationem admittens aut cautellam; sed omnia ad stateram voluntatis metitus, vt pote, qui supra leges natus, easdem in acquisito Regno infra se habere moliretur.

Maritimi interea Daniæ Sueciæq; Reges, non minus inter se odio quàm armis depugnauêre; summo vtriusq; alter quod prouocasset, vt depelleret alter, impetu & contentione. Siquidem reuerso in maritimá Carolo alia Suecorũ facies & sors fuit; reiecti Dani, patuit Holsatia, Slesuici Priceps obsidione liberatus, inuasa Fionia, in Seelandiam penetratum, Danici Regni arces aliquæ vi, pleræq; spontanea deditione occupatæ: vno verbo mira successit euentuum varietas, vt qui bellum fecerat Fridericus Regno planè excideret, nisi quatenus muris vnius Haffniæ clauderetur. Iam quippe & Croneburgum clauem maris custodem, Wrangelius Admiralis Sueciæ, tradente Christophoro Bilde Præfecto, æmulo Regi eripuerat, vt ita traiectum Freti Oresundici manu tenens Carolus, nec nisi suo permissu Oceanum Balthicum claudens aut aperiens, dominiumq; maris vendicans, commeantes in enauigandum spatiosum æquor naues vectigales sibi faceret. Eæ freti angustiæ Danis Zundt, Latinis Isthmus vocantur, Croneburgo ac Helsinburgo arcibus munitissimis per oppositum littus custodiam intermedij pelagi retinentibus. Hic existunt eius Regni cornucopiæ, Danis Regibus coarctati maris ianuam tradente naturâ; vt quidquid ex septemtrionalibus oris, venum ad Europæos aliasq; Christianorum superi maris Prouincias adfertur, non nisi ipsis volentibus ac permittentibus importetur; rursus variarum gentium merces in Arctoum Orbem, quasi per lineam communicationis transeant. De Daniæ situ,

vt

vt vicino colliminio Sueciæ adhæreat, ac quomodo multiplici maris intercursu scindatur; ex Geographicis Regni tabulis scire volentibus facilè patet. 1658. A meridie totum pene Oceani Balthici littus Pomerania occupat, quoad freto, seu sinu Codano terminatur, qui in varias distinctus insulas Dano Marchiam seu Regnum Daniæ constituit. Quam non illaudatus gentis scriptor Saxo, his terminis, imò verbis circumscribit. *Dania medijs pelagi fluctibus interscissa, paucas solidi continuiq; tractus partes habet, quas tanta vndarum interruptio, pro varia freti reflexioris obliquitate discriminat. Ex his Iuthia Regni principatum constituens, sicut positione prior, ita situ porrectior, Theutonicæ finibus admouetur. Post Iuthiam ad orientem versus Fionia est, quàm à continenti angusti æquoris interiectus abrumpit. Hæc sicut ab occasu Iuthiam, ita ab ortu Sialandiam (vsitate Seelandiam) prospectat, conspicua rerum necessariarum vbertate, & quæ cunctas Regionis Prouincias amænitate superans, medium Daniæ locum obtinere putatur, ab extimo limite, pari spatiorum intercapedine disperata &c.* Addit quin etiam de maris eius natura. Tanta omnis generis piscium frequentia repleri, vt interim impacta nauigia, vix remigum conamen loco moueat, nec iam præda instrumento artis, sed simplici manus officio capiatur. Slesuici ac Holsatiæ Ducatus eiusdem Regni appendices sunt; Metropoli Haffnia, cumprimitùs Londa pro capite sedeq; Regum haberetur.

Exinde Fridericus eius nominis III, tunc apud Danos rerum potitus, dum fortuna stylum mutat, & ineuitabilis necessitas in dirimenda arma impellit, Hugone de Therlons Galliæ Ministro consuasore, in pacem, cui post Roéschildensis inditum nomen, etiam allaborante Angliæ Protectore (qui ea tempestate Carolo dextrum se exhiberet brachium) trahi se patitur in mitiora, stita inter infestos per condictam pactionem armorũ ferocia: frustra Ioanne Gninski Casimiri Regis Legato breuem moram, & Oratoribus Batauis deprecantibus, ac modo in illo præcipitio immotus

tan.

tantisper Rex subsisteret, confesti auxilia pollicentibus. Ast
1658. Fridericus tumescente autumnalibus procellis pelago, auxilia Batauorum pro tardis, Polona longissimo tractu pro desperatis iudicans, icto fædere hostem Sueco exuit, sed quo mox tractatu irretitum se sentiens, etiam amicum breui deposuerit. Leges pactionis in quas conuenerant, redux postea à latere Dani Gninscius referebat, quæ erant eiusmodi. Medietas vectigalis quà terra, quà mari in portubus Danicis Regi Sueco cederet; eidem Lorenum cum fortalitijs & adiacenti ditione traderetur. territoria item Brantheim, & Bauhus, cum Szelingia insula, in Noruegia addicerentur. Classem X. nauium milite & omni apparatu instructam, Danus in vsum Suecorum subministraret; Duci Holsztynensi si quæ per bellum illata damna sarcirentur; insuper neruo belli iuuaretur Suecus, vtrisq; Regibus, contra quosuis hostes fædus defensiuum, simul & offensiuum ineuntibus. Sic à victore data lex paci. Quod vbi cognitum diremptâ inter infensos Reges hostilitatem, tum vt quisq; vicinorum malo proprior segnis operæ & dilati succursus pænitere; consilia quorum tempus effluxisset damnare, errorem alter alteri imputare; nemo corrigere, & quisq; pro se angi occipiebant. Verebantur Austriaci Electionis Cæsareæ disturbia & factiones, tum ne submisso Polonis auxilio efferatus Carolus in ditiones Imperij vim effunderet: Poloni redintegrari de nouo bellum, ac Danica pace duplicatas hostium vires supponebant: angebat Brandeburgicum offenso & indignanti materiam exerendæ vltionis obijci, ac potissimum existere in quem euoluta transmarinis cubilibus fera sæuiret; Danus iniqua pactione recisas pennas, quæ neutiquam excrescerent, dolebat; Bataui liberum mare nauigantibus frænari? Hanseaticæ Vrbes sæpius Borealibus Regnis æmulæ, nimiam increscentis suspectare potentiam, alij alia. Ergo fatali damnata cunctatione (nec deerant qui ex festinato fædere Dano imputarent præcipitantiam) in remedium mali nihil celeritate conducibilius visum, si Collgati mariti-

maritima introgressi, in hostilibus terris belli sedem fige- 1658.
rent, inibi Suecorum vires distinendo, ac ita constricto per iniquam pactionem Friderico (cum inter Principes Contractus necessitatis pro inualido habeatur) iterum in resumēda arma manus resoluerent, bellumq; velut de nouo redordirentur. Certè Ludouica Regina, vt quantocius in succursum festinarent Exercitus flagrantissimè vrserat, eius consilij Regi Casimiro fomes & motiuum: dumq; oscitantèr negotium procedere aduertit, futurum fore prædicens; vt Austriacus miles, qui Suecorum ditiones inuadere tergiuersaretur, breui in visceribus Germaniæ Carolum Dano iunctum sit salutaturus, enormi florentis Imperij, imo Electionis Cæsareæ turbamento. Quæ itidem Baroni Lisolæ aliquādo in conclaui, quod conterraneis Gallis plus æquo addictior expostulanti, quàm Germanis imò Polonis quorum Regina esset; cum ex bona vicinitate Germanorum maius emolumentum, & in præsens succursus Reip: proueniret; Gallis verbosis tantùm factionibus Regnum distrahentibus. Respondisse ferunt. Quam exhiberent Germani auxiliorum operam Polonis, non absimilem videri pomo Paradisi, in quo lateret sciētia boni & mali.

Generalia interim Comitia Varsauiam traxêre Regem, quæ in eum vel maximè finem indicta sunt, vt Regnum efflictim ambiente Moscho, imo titulos iam vsurpante, immodestæ illi aspirationi in solium, vel maturè obuiam iretur, vel vt solita via & ex legum præscripto habere diadema vellet, suasionibus flectendo. Siquidem miserè dilaceratum Regnum respirio egebat non turbis, alta tunc consideratione, quomodo nouum bellū occiperemus, ne dum finito altero. Omnia fessæ & eneruı Reip: deerant, præter causæ iustitiam; quâ tandem fulti, impares licet discrimini, superiores euasimus, quod Dei beneficium fuit: cuius Iudicia recta, estq; potens ille in paucis saluare innocentē. Subiungo vniuersales Regis pro Comitijs literas, ex his, quid tunc Poloniæ animi & in Moschum affectus, si pari

çertare voluiſſet, ſatis liquet. IOANNES CASIMIRVS D. G. REX Pol: M. D. LITH: &c: Quam nihil in votis antiquius aut deſiderijs optabilius habuerimus, præ amicâ cum Magno Moſchouiæ Duce conciliatione, Imperijq́; eius cum Poloniæ Regno coalitione, vel ſola Vilnæ tranſacta Commiſsio boni affectus noſtri, luculentum omnibus præbet teſtimonium. Etiam nunc ad retinendam cum eadem gente amicitiam, conſummandumq́; vtriusq́; Imperij Vnionis opus ſtimulus & motiuum extitit, vt Comitia Ordinibus Regni noſtri Generalia, Varſauiæ in præſens indiceremus; in quibus cum eodem Principe ac vicina Moſchorum natione, ex vno eodemq́; ſanguine & originis Slauonici fonte nobiſcũ procedente, Religione, idiomate, moribus, vix in paucis difformibus, in confuſionem inuidorum vniuerſo Slauonico nomini vicinorum, perpetua pax, coniunctio, ac firmũ Vnionis fædus, coaleſceret inſtitueretur q́;. Sed cum noſtræ poteſtatis non eſſet, rationabilem nec à pietate Chriſtiana alienam intẽtionem, ob continua bella Suetica, Hungarica, Coſacica, ad optatum finem perducere: nunc per Dei gratiam memoratis hoſtibus ex dominijs noſtris maiori ex parte depulſis, neceſſarium hoc ac latè diffuſo Slauonico nomini glorioſum opus, exequi, Deo adiuuante intendimus. Prout de facto præſtare cupientes, hiſce literis noſtris Comitia Generalia Ordinibus Regni, amputatis ex more ſolennitatibus, pro die X. Iulij anni præſentis indicimus celebranda. Quem actum &c. Datum Bogoniouiæ die XIX. Maij Anno CH: 1658.

Pragmatica ſanctio in codice Patriarum Legum exiſtit, quatenus Comitia Regni Generalia ſemel in ſpatio biennij celebrentur, niſi interueniens caſus legem diſpenſet, aut neceſsitas aliter cogat. Ne tunc quidem, etſi incommodante bello præſcriptum tempus transgreſsi, vno tantum menſe vltra biennium dilatis Comitijs legi contrauenimus: cum Anno 1655. die XIX. Maij celebrata, iam nunc in X. Iulij reciderent indicta, fato an caſu integram legem conſer-

conſeruante, quod non nullis boni ominis loco acceptum. 1658.
Nec ea frequentia Senatus maiore, quàm publicâ cunctorum lætitiâ celebrata ſunt: gratulabantur adinuicem Conciues velut rediuiuũ Reip: theatrum poſtliminio ineuntes, ſummeq́; libebat intermortuæ reminiſci libertatis, vbi Rex in ſolio Maiorum conſidet, & vterq́; tàm Senatorius quàm Equeſtris Ordo, ad incolumitatem Patriæ curas & conſilia vertunt. Vladiſlaus Lubowiecki Iudex Terræ Cracouienſis, Collegij Nuntiorum Terreſtrium Mareſchalcum ſeu Directorem agebat, ſtudia Ordinis ſui, ad maxima quæq́; vſufactus moderando: cæpitq́; Actus ab Arrianis regno pellẽdis, peſtiferâ ſectâ, & ſi quæ alia intolerabili, vt quæ vnigenito DEI FILIO conſubſtantialitatem, quàm Græci Homouſion vocant, derogans, æqualem coæternæ Maieſtatis gloriam, blaſphemo ore laceraret. ô tempora! ô mores! Iam aliquis in ſole maculas quærat, quas tamen per teleſcopia aut inſtrumenta artis inueſtigare facilius fuerit; plus vltra humana temeritas audet, inſcrutabilia Sanctiſsimæ TRIADOS myſteria, rudi captu circumſcribendo; quæ non meli nisi credendo ſciuntur. Non quidem complures Prouinciæ Poloniæ (ſolâ exceptâ Mazouiâ) ab ea peſte immunes: ſed rarius in alijs aperto cælo, & ſincera luce noctuis nidificare auſis, maximè per ſubiectum Carpatijs montibus tractũ, qui Podgorze dicitur, eius farinæ homines ſtabulabantur, Suecis per Poloniam addictiſsimi, & quibuſcunq́; hoſtibus Regni mordicùs adhærentes, vt non alijs emiſſarijs aut exploratoribus vterentur aduerſarij. Legis ſcriptæ, quæ eo dogmate infectos Regno emigrare iubebat, tenor erat. Sub tit: de Arrianis. *Etſi Patriæ Leges, Arrianis ſeu Anabaptiſtis, nequaquam intra Orthodoxum Regnum ſubſiſtere permittant; nihilominus cum fatali aliquo errore in dominijs noſtris eius farinæ homines, qui vnigenito DEI FILIO blaſphemè derogant, figere domicilium præſumpſerint, ex vnanimi omniũ Ordinũ conſenſu &c: ſtatuimus, vt peſtiferi dogmatis aſſertores, etiam eorum fautores legitimè conuicti, pœna capitis puniantur, adiecta in*

 negli-

1658. *negligentes Iudices officij priuatione*: cætera in contextu Legis videre licet. Hæc in ordine ad Devm: ad proximum tamen, rigorem legis temperabat indulgentia; vt damnatum dogma eiurare abnuentibus, cum fides Dei donum sit, prorogatum tempus ad triennium fuerit, sub quo diuenditis immobilibus, extra fines Regni emigrarent: quo nihilominus tempore, omne illis religionis suæ exercitium lex abrogauit, incapaces publicorum munerum declarando. Post hæc, primum locum sortita confirmatio Pactorum legalis: vtpote cum Hungariæ & Daniæ Regibus, etiam Electore Brandeburgico; Tribunal Fisci generale Radomiæ indictum; exoluendis militum stipendijs designata Leopolis, vbi institutâ Comissione, Cohortium Legionumq; armilustria, tum & Exactorum rationes discuterentur. Quippe hìc saltus hìc Rhodus fuit, stipendiorum exolutio, in immensum debito excrescente; cùm interim desolatæ Prouinciæ contribuendi impotes, exhausti incolæ, si iubeas, contumaces; si preceris, paupertate excusabiles forent: côtra molestus ac grauis in repetendo miles, non omnino contra æquitatẽ debitum reposcere videretur; modò plus expectationis ac modestiæ abrupto postulati sui feruori, admiscuisset. Ergo quæcunq; media, consilia, inuentiones, insuper acumina conquirendæ pecuniæ haberi potuêre, nihil intermissum quod ad rem faceret. Constituta primò Summa debito correspondens, concessaq; Prouincijs optio, quo genere contribuendi quæq; vellet exolueret, dummodo proportionata quantitas XXIIII Agrarijs Fisco inferretur. Confirmata præterea à vendibilibus Acciza; Contributio Ducillaris (Czopowe); noua telonea aucta, vetera restituta, Thesaurus Regni reuisioni subiectus, Rationes cudendi monetam initæ; Ex bonis Regalibus pensio quadruplaris (Quarta) geminata; prærogatiua Nobilitatis qui ære pararent, impertita; insuper, vt est acre necessitatis ingenium, tunc primùm beneficia Reip: (Vacantias vocant) ex empto conferri cæpêre: insigni Iustitiæ distributiuæ iactu-

iacturâ, quæ Panem benemerentibus, vt consequerentur virtute non pretio ordinauit. Ferunt diu Polyticum peccatum abhorruisse Casimirum, & auersatum tantisper velut Regio animo incompetens; nisi sorices Aulæ præsenti necessitate excusabile, & dulce ex quacunq; re lucrum peruicissent; quin etiam fæmina vetitum pomi esum, suo Adam ex vsu fructu commendasset. Comparuêre dehinc Cosacorum Internuntij, etiam Scytharum: priores debitum vti subditorum in Regem Regnumq; obsequium testati: Scytha constantem Hani Crimensis erga Casimirum declarabat amicitiam, quàm submittens in instanti contra quemvis hostem auxilia, firmam & stabilem probare paratus foret. Affuit demum sub finem Moschus, non aliter contenta legationis expositurus, nisi prius Internuntius Cosacorũ Nosacz, quem Wyhouij Magno Duci suo rebellis emissarium vocabat, relegaretur. Itaq; Cosacis secessu extra Vrbem ad tempus indicto, Moschus à Rege admissus auditusq; fuit: nisi dum cunctos pestis Varsauia diggredi cogit, etiam Rex ob infestissimæ luis côtagium inde abit, vt differri subinde desideria Moschorum debuerint. 1658.

Medio fermè Comitiorum cursu increbuerat rumor, armata classe Regem Sueciæ in Prussiam redire, & iam nunc apud Pucensem portum hospitari. Turbauit multos in ipso consiliorum æstu relatio: etiam Gedanensium ad Comitia delegatis, vtpote, qui sibi cauentes suspectarent omnia, haud incertum rumorem firmantibus. Sed astus inerat, quippe exermes naues per altum æquor instructæ classis præbuêre tantùm speciem, mox emissis è portu Dâtiscano speculatorijs celocibus, retro flectentes, ac ita oculorum solum, qui primi metum concipiunt, extitêre terriculamentum. Astum in terrorem compositum, & autori sumptuosum, adscripsêre naualium periti, Stetini Gubernatori Wirtio, vt cui è Vismariensi portu naues in perfunctorium discursum emittere vacaret; firmandis quin etiã Thoruniensibus commentum, quibus immediatè admouẽdũ obsidiũ Poloni minarẽtur.

 Per

1658. Per Curlandiam dehinc armis intactam, tandem belli calamitates insonabant; Bellum aliquis febricitantibus simile dixit, qui ipsi somni expertes, soporem alijs interpellãt: nec dissimiliter arma, dum aduersarios vexant, nec amicos intentatos relinquunt. Prouincia ea Crucigerorum olim Theutonici Ordinis sedes, post ex Feudo Ecclesiæ, in dominium sæculare conuersa; Gottardo Kietler Magistro Ordinis, stirpi suæ sub Fiduciæ titulo, à Regibus Polonis impetrãte Clientelarem gubernationem. Præerat nunc Curlandis Iacobus, ex eadem stirpe successor, qui bellante apud nos Sueco, gaudebat Neutralitatis beneficio, neutri partiũ immistus, vtriq; intactus, ex eo, quòd gesto olim bello cum Gustauo Adolpho in Prussia, inter partes sexennalium primò Induciarum, dein ad Annum 1661. duraturarum, (vt Piasecius refert) autor ac arbiter, seu mauis Pater Patratus extitisset; etiã nunc perpetuæ pacis pararius speraretur. Offendit Suecos, constans in eadem diem intermedij Dynastæ felicitas, immissusq; Douglassius, hostilis Equitatus Magister, qui astu & ficta amicitiæ simulatione, præsidentem Ducem circumueniens, in turbido alieni infortunij lucrosè piscaretur. Aiunt Neutrales illos, vbi bellum feruet, non absimiles videri in media ædium regione habitantibus, vt qui ab inferioribus fumo infestentur, à superioribus conspergantur aquâ deciduâ. Etiam Curlandus inter Polonorum odium, & Suecorum vexam constitutus aliquandiu mansit, indicto bello, quàm fictâ amicitiâ honestius opprimendus. Inde verò meditata oppressio cœpit. Douglassius in Samogitiam expeditionem simulabat, repensurus hostilia, quibus nuper Liuoniã exercuerat Gasieuius. Ergo itum & reditum pari impostura, velut Lithuanis non comparentibus, & Suecis lassitudine fessis, in diuersa mox abiturus Douglassius, respirium militi intenderet. In quem finem per præmissum Nitauiam (quæ Curlandiæ Ducum sedes) Spensium Tribunum poposcit, vt pro veteri in Suecones fauore, iam ægris, iam fatigatis militibus concederentur

tur nauigia, Promno amne in proximam Liuoniam deuehendis. 1658. Annuit postulato Dux, inter vtrumq; anceps, ne exhibito officio Polonos, denegato Suecos offenderet: præualuit tamen consideratio vt loco propiores demereretur; hinc quotquot in flumine reperiri nauigia poterant, confestim tradere Spensio iussit, etiam commeatus in victum, ac medicamina refouẽdis ægris impertiri; subornatæ decipulæ haud intelligens, imo debita circũspectione destitutus. Et accuratè procedebat dolus, cùm prima nauigia de die subtus arcem allapsa, morbidos tantùm ferentia, omnem insidiarum metum amouissent: ast intempesta nocte, quæ opportunior fallentibus quàm decipiendis, quadraginta naues maiores arcem subière, in quibus miles per diem occultatus, per tenebras arma capessens, subito vallum inferius raro custode inuasit, hærentesq; per suggestus machinas, dum nemo repugnat, in ipsam arcem Nitauiensem retro vertit. Mox ab armatis porta Arcis occupata, area stationario milite infessa, & postquam somnus implacido horrore Duci excussus, Tribunus Arnfeldius, expergefacto aduentum hospitum nuntians, simul Carolo Regi sistendi Principis necessitatem, citra omnem moram exponebat. Vix credibile strepentibus vndiq; armis, ac inter incudem & malleum positum, adeo in nimiam fiduciam resolui potuisse, vt non animo suo discrimen præsagiens, excubijs maioribus; vel saltem suetis stipatoribus, securitati proprij capitis familiæq; consuluisset. Ast seu exequentis dolum fortuna, seu damnati in eam calamitatem Principis fatum fuit, vt arce ac domicilio suo cum grauida coniuge abduceretur, quæ dum agitationem ferre nequit, festinato puerperio enixa filium, cum quo vix ergastulo vteri soluto, alijsq; liberis in captiuitatem concessit. Sic in potestatem redacto Duce Curlandiæ, mox iniectæ palatio manus, spoliata ædium intima, ac diuturna pace congestus splendor Aulæ & magnificentia, in momento dispertijt. Patratum facinus pridie Calendas Octobris, quo eodem die ab Ixelio

Tri-

1658. Tribuno direpta Nitauia, vt hostilitati ignis nonnisi defuerit. Captiuus Dux cum familiâ quantocius Rigam raptus, inde in ipsa Moschouiæ confinia Iwangrodum deportatus fuit. Euulgarant subinde Sueci publico scripto causas, ob quas licere putarunt captiuandum, (vt ferè nullum crimen patrocinio & defensione destituitur): etiam Curlandus cur casum immeritum subijsset, apologiam innocentiæ suæ exhibebat; nimirum quod portus Oceano Suetico côtiguos, tradere Regi Carolo abnuisset, pecuniaq; mutuo dāda, quàm non haberet gratificari importunè vrgenti nequiret. Nisi quod ingeniosiùs sæpè malus propugnat improbitatem, quàm oppressus defert iniuriam.

Leopoldus fit Rom: Imp: Conscendit tandem Romani Imperij apicem, Leopoldus Ferdinandi III. Filius, vnus superstes, in quem Domus Austriaca reclinaret: (nam Wilhelmus Leopoldus ex eadē stirpe Tyrolensi, Theutonicorum Ordinis per Germaniam Primicerius, cælibem vitam professus, iam ante obierat) dum tantæ fortunæ, intra pubertatis annos aptatur, confundendæ Imperatoris Electioni, ob minorennitatem subiecti, animos cristasq; æmulis attollentibus. Sed præcidit inuidiæ pennas, per quem Reges regnant DEVS, vt tandem omni sublato obice, tranquillum finem sortiretur Leopoldi Electio; & hanc consecuta Augustæ Vindelicorum Coronatio, ingenti vniuersæ Germaniæ consensu & applausu. Etiam Rex Casimirus pro peculiari solatio deuinctissimi Principis in trono Cæsarûm stabilimentum accipiens, (vt qui iam supra liuorem & æmulos euectus, non vltra indifferens Poloniæ amicus, aut perplexus Sueco hostis esse sustineret) palam ostendit fausto Coronationis Cæsareæ euentu lætari, instituta Varsauiæ triumphi in modum solenni pompa, spectaculisq;: ac quotquot Legatorum externorū aderant, regali adhibitis conuiuio. Vtq; recentè inscensi paterni solij eminentiam gratularetur, missus Andreas Olszewski Decanus tunc Cracouiensis, qui idem ad Collegium Electorale, de prosequendo bello Suetico, simul iuuando

do Dano suasorias tulit. Etiam Cæsareus Cracouiæ præsidij Præfectus, iam per Vrbis Basilicas Deo gratiarum actionem institui curauit, iam machinarum fragore ac militum festiuo plausu, signa exuberantis lætitiæ testabatur. Inter alia exhibitæ Scænæ drammata, spectabilior per tenebras ignium fulgor conspici meruit, vbi iactæ in sublime nobili artificio faces, quæ in äere velut charta, nominis Cæsaris Leopoldi literas exprimerent, aliaq; pyrotechnicorū inuenta, non ingratum curiosæ plebi spectaculum; cui pastus oculorum solatio est. Cæterùm, crebri per eos dies fulminum iactus, manifestæ Numinis iræ testes extitisse credebantur. 1658. Die tertia Iunij post meridiem, modicâ nube solem obscurante, fulmen Prætorij Turrim Cracouiæ ferijt, in angulari lapide exsculptā Aquilam cælesti igne decutiente; ac præter ruptum Prætorij vestibulum, quatuor stationarijs loquela & auditu in quatriduū priuatis. Mox, sexta eiusdem, post horrendū turbinem ac subitis tenebris interceptū pomeridiani luminis vsum, rursus foro imminentes Ædes in quibus Cæsareæ militiæ Præfectus consisteret, discissis funditus muris, vehementer quassatæ sunt. Fulminum equidem iactus vti fortuitum quid, ac ardorem coflictu nubium expressum, casui vel exhalationi Meteororum facile imputauerim; nisi quatenus instrumenta sunt in manu Dei, & velut monitoria propitiandæ Maiestatis eius, qui vnius digiti potentiâ cælos fecit, etiam sublunaria versare potens. Dubitauerat nemo, geminatâ vno tempore plagâ, ac loco feriendi in considerationem veniente, planè præsagum fulmen extitisse, hinc omina futurorum sinistra; nam, quòd Prætorium Metropolis ictum, qui locus publici consilij & Magistratus Senaculū, infaustum id Vrbi, cuius illud caput esset: etiam Aquila in lapide cōcussa, Regno, cuius insigne, minari: deniq; quod Gubernatoris statio in quâ consisteret violata, ne id quidem casui imputandum, dum transmissis tot publicis priuatisq; ædibus, in eam domum collimans cælū feriret, in qua Lauream Cæsaris imaginem Austriacus Minister

1658. nister reposuisset, cum tamen naturalium rerum periti affirment, laurum fulmine omnino inuiolabilem esse.

Mors Canc. Korycinij. Memoraui ante, multis Procerum Poloniæ, fatalem hunc annum extitisse; siquidem, die XVI. Iulij etiam Stephanus Korycinski, Supremus Regni Cancellarius diem suum obijt, ante septennium hanc Maioris Sigilli curam, prius meruisse quàm ambiisse visus, dum ex Equestri Ordine in Supremũ Cancellariatum vocatur, debito gradu ad dignationem euectus: certè ascensu laudabili & magis conueniente, quàm qui honoratiore in Senatu loco constituti, ob munus lucrosum infra se demittunt. Bello Suetico indiuulsus Casimiro adhæsit, integra semper fama & realitate, vnum vitæ tenorem seruans, quantùm licuit inter rerum discrimina & spinas Aulæ, nouiter crescenti Lilio. Natales illi ex veterrima Topororũ stirpe, à Pilca lineam domûs denotante; vnde & Comitis titulum vsurpauit, rarum nec carum Polonis appendicem, nisi quatenùs primarius Minister status, dum exotica tractat, etiam æstimatos externis titulos, in tempus assuere solet, in cætero Patriæ æqualitati nihil derogaturus. Procuratio Sigilli, non infructuosa alioquin, in tempora illi obuenerat turbulentissima, vnde Rege in exilio agente, afflicta Ministri fortuna fuit. Non tamen de fortunæ iniquitate questus, donec agitata ærumnis tabesceret valetudo. Doloribus calculi conflictatus, valedictâ in tempus Aulâ Domum secesserat, vt quàm continui labores sanitatem labefactarant, necessariæ quietis vsu reficeret. Mors vitæ simillima contigit, sedili incumbens, acsi in soporem resolutus, in arce Oycouiensi, Cracouiam propè, excedit humanis: eleganti promptus facundiâ, & eruditis viris apprimè delectatus. In consilio, magis pondere rationum quàm inuentione certauit, nullius pænitẽdæ Sentẽtiæ spontè autor, & si necessitas ingrueret, prudenter moderans, quiq; potius duceret ex sincero consilio æstimari, quàm placere ex gratioso. Sepultus apud D. Stephanum Cracouiæ, auito domus suæ sepulchro. In curam Sigilli successit Nicolaus Prazmo-

wski, nuperum Reginæ odium recenti fauore obliterans, 1658. ac Præsulatu Luceoriensi, post Thomam Lezynski opportunè auctus. Etiam post Trzebicium, cui tum Episcopatus Cracouiensis cessit, Sigillum minus Boguslao Leszczynski Thesaurario Regni collatum, recenti conductorum à Domo Austriaca auxiliorum meritò commendabili.

Senatorio funeri, adiungam viri literis innutriti Fatum, vt inter quas notabili studiosæ iuuentutis bono vitam traduxerat, ijs dolendo casu immoreretur. Martinus Slomkowicz in Vniuersitate Cracouiensi Sacrarum literarum trilinguis Professor, dum spinosæ Chaldæorum nomenclaturæ laboriosam noctem impendit, ad lucernam seu ceratam cãdelam lucubrando, interea somno obrepente contigit, vt farraginem illam noctilucæ ceræ corripiens ignis, fumo & flammâ intercluso spiritu, sopore oppressũ suffocaret. Dolendus sanè finis, & eo maior iactura viri, dum exoticarum linguarum cognitionem, quæ diuinæ legi interpretandæ seruiunt, rari sunt qui doceant, rariores qui addiscant. Res monet vt breui diuerticulo connectam. *Academia Cracouiensis* Academiam Cracouiensem Generalem Regni nostri Scholam, Maiestatis alumnam, Reip: basim, ac velut cælo delapsum Palladium haberi: quam à causa efficiente almam Matrem pleriq;, multi equum Troianum dixêre; vnde celeberrima ingenia omni doctrinarum cultu prodeant expolita. Primum fundandæ molimen, Heduigem Reginam Poloniæ, nouissimam Piastei sanguinis guttam suscepisse, Historiæ memorant: post hisdem curis immortuam, Vladislaus Iagiello Rex cæptum vxori opus absoluit, ijs auctam ac dotatam Immunitatibus, quale tribuere Regium esset, & Nobilissima Schola aliorum Regnorum Academijs dignitate æquaretur. Quo verò animo cæptum opus duxerit tantus Rex consummandum, vel tenor in Statuto expressi Priuilegij indicat. *Videmus & certocertiùs experimur, qualiter Lutetia Parysiorum, per congregationem prudentum Franciam irradiat; Patauium cum Bononia, totam Italiam clarificat; Pra-*

1658. *ga Bohemiam illuminat, Almaniam Vxonia illustrat &c: Profectò ad hoc plurimorum & diuersorum Regnorum obtinuimus Principatum, ac Regni Poloniæ recepimus diadema, vt Regnū hoc doctarum personarum studijs illustremus: quorum doctrina ignorantiæ cæcitate de medio sublatâ, Regnum nostrum cæteris Regionibus possemus exæquare &c:* O mentem posteritatis solicitam, & futuri prouidam: ô animum verè Regium, qui erigendæ virtuti, ac perpoliendis ingenijs literarum excitauit officinam, vt populus ad arma natus, & equitandi tantùm exercitio bonus, cruda illa pristinæ feritatis dedisceret studia, aboleretq; notam Barbarismi, tenacius campestri populo inhærentis Non vltra valet sapientem in foro quærentis lucerna; in hoc Lycæo prudentiæ mystas reperias facilè, habeasq; reconditarum disciplinarum coryphæos, ac omnis eruditionis pænu. Hic abstrusa diuinarum scripturarum explanat; ille Disputator in sectarios acer, sacro eloquio valet; alius in spinosum legum codicē immersus, à studio & ingenio lucerna Iuris habetur; Personat illi Peripathus Stagyritæ dogmatibus; alius Galeni enodat aphorismos, ac ad vsq; vulgares Musas descensum, per quas velut gradus, ad supremum scibilium apicem eniti necessum. Hoc Dei beneficiū est, hoc Regum Polonorum munus, iuuentutis nostratis indolem, in eo Gymnasio ad maiora Regni negotia leuigari: simulq; plebeiam pubem, (nam etiam à pastoritia placitum Deo vocare Reges) literarum beneficio, & studio cumulante Doctrinam, in Ecclesiæ ac Reip: vsum aptari. Reperio problematicam quæstionem apud primæ notæ Polyticos. *Qui fiat, quòd pluribus sapientibus floreant Regna, vbi rariores literatorum cætus? & sæpius insigniores doctrina viros produci, ex vniuersalibus gymnasijs, quàm vbi in omni triuio scholæ prostant?* Et ego quidem curioso literarum sæculo iniuriam non facio; cæterum magna Polyticorum nomina & rationes conuincunt, crebris eiusmodi ludorum literariorum erectionibus, non tantùm consummandis doctrinâ ingenijs derogari,

rogari,

rogari, verùm primæuum Regnorum statum conuelli, eorum vel maximè, quæ armis ortum auspicatæ, ijsdem vt cæpère artibus conseruari debent. Iustus quidem Lipsius Iur: Con? Clar: & Polytices mastix, nec literis quæ sibi immortale nomen peperère inimicus, disertè in notis ait. *Occultè noxij qui nimis effusè literas promouerunt. Nam otium & mollitiem; nulla re facilius aut honestius in animum irrepère, quàm viâ hac literarum, omnino fatendum est. Nec robur, nec virtus vbi illæ? vt catuli saltare & eiusmodi delicias docti, inepti sunt ad venandum, sic ad virilia exercitia Ciues nimis exculti.* Franciscum Galliæ Regem & Leonem X. Pontificem Romanum in exemplum adducit; quorū alter Galliā alter Italiam, vt cultiorem, sic molliorem reddiderit. Suffragatur Lipsio Grammūdus, Germano-Gallus, qui, damnatâ scholarum pluralitate, enumerat incommoda, ex crebrescentibus gymnasijs Remp: afficientia, cuius rationes haud piget inserere. *Palam est, lethalem esse Reip: promiscuum scientiarum vsum; qua ex causa, arceri olim soliti profani à sacris, queis scientiarum arcana continentur. Ex quo strata in Parnassum cuilibet via facilis, paucis in summum apicem ascensus est: docet nos experientia sæculi sub quo viuimus, pauciores esse eruditos quo plura Collegia habentur. Triginta iam anni sunt ex quo scholis obruimur, vbi amabo augmenta literarum? vbi probati autores per hæc tempora? si qui meruère in re literaria nomen, supra ætatem nostram sunt, apud veteres Magistros instituti. Obstat item ratio polytica qua docemur, stare & augeri commercijs Regna, quæ ire in peius & minus certum est, vbi quilibet è populo sectatur literas: rarò mercatorem se ferat, qui ex literis gloriatur. Hinc litibus augmenta, dum Vasallus vana latinitatis imagine, quâ illuditur, litem feudi Domino mouet: hinc aduocatulis implentur oppida deterrimo hominum genere, cui velut hirundinibus sudor populi & sanguis vita sunt. Pernitiosus est Reip: contemptus armorum, quibus nisi exercentur primâ adolescentiâ iuuenes, spernunt bellica, aut spernuntur ipsi à bellicis. Pessimus inualuit*

 vsus

1658. *vſus, vt qui imbuitur literis, procul habeatur armis; quoſit, vt rari militent, dum literis incumbunt ferme omnes &c:* Addã ego, diſsidia ſapientum immortalia, & ægrè vna Vrbe duos contineas, qui præſumptione ſcientifica inter ſe agitati, teneant in ſapientia modum. Quomodo verò plura ac diuerſa Collegia inter ſe commiſeris, aut qualiter cerebroſæ illi ludi-Magiſtrorum turbæ, vt in profeſsione literarum concordet, perſuaſeris: contraria facilius elementa iunges, quàm hos conciliabis. Præſertim ſcholarium dignitatum diſtributio angit, dum quiuis ſummum in re literaria iudicium, ſui Iuris beneficium facere conatur. Inde diſsidia & factioſæ lites, quæ demum ne tranquillitati Regni aut Eccleſiæ officiant, ſepoſitis alijs Remp: afficientibus, interuentu Ordinum ſopiendæ, metuendum eſt. Sanè, vt ſublunaria ab vno eoq; Principe luminari Sole illuſtrantur, ita in vno Regno, vna matrix ſchola exiſtat; reliquæ veluti luna cum numeroſo ſtellarum exercitu, ſciant cui debeant lumen, ac capiti ſuo membra ſubſeruiant & ſuffragentur.

Polonia vndiq; lacera. Aſt Caſimiri impertitas tranquillando Regno curas diſtinuit ſolicitudo, cum quadrifariam ante cæptis, aut de nouo obortis diſcriminibus, vires Reip: in totidem partes diſtrahi oporteret. Primam curam ac velut medentis manum poſcebat Pruſsia, dum Carolus ob bellum Danicum abeſt, facilius hoſtilibus præſidijs euacuanda: quæ ſi quãtocius eliberatur, reliquum Suetici belli ventis remisq; promoueri poſſe palam erat, vbi aperto portu Gedanenſi reuiuiſceret mercatura ac immiſsis Viſtulã, quarum tellus noſtra ferax in Oceanum frugibus, iam depletum ærarium, iam priuatorum peculia, aduectitio argento reficerentur. Secundum hanc non iniuſtium merebatur reſpectum, pertinax Moſchi ambitus, quo vſurpando diademati contra inſtituta legesq; Patrias inhians, etiam ipſum Regnantis in præſens Maieſtatis Statum iugulare, crudus competitor volebat. Intenta verò bello proſequuturum nemo dubitabat, Vilnenſi Comiſsione diſſoluta, ob intolerandas Moſchorũ illati-

illationes, in primo limine nihil tractandum admittere ſatagentium, niſi prius Magno Duci Titulum, Regis Poloniæ noſtrates tribuiſſent. Dehinc turbulentus Vkraynæ Status, & haud obſcura Coſacorum ad obſequium Reip: inclinatio, omnino auxiliatrice indigebat dexterã, altius radicata per vtramq; Boryſthenis ripam Moſchorum potentiã, & omnino imparibus Coſacis, vt iſtam ſuo Marte & ingenio euellere poſſent. Nec minus angebat geminorum Exercituũm conſideratio; cum vernaculus miles dum pollicitis tantùm differtur, ob retenta ſtipendia minax & grauis eſſe incipit, plùs expectando conſumens, quàm exoluendo debito imputari debuiſſet. Auxilia Auſtriaca vel in obſidia Vrbium, vel in hoſticum expediri omnino expediebat, Prouincijs indiſciplinati Militis eductionem adeo ſolicitè vrgentibus, vt prope vim minarentur. Equidem (cum bona venia inclytæ gentis protulerim) aſperè nimis, & longè infra morẽ amicorũ, vbicunq; legiones Germanicæ diuerterant incolas tractauêre: etſi etiam fateri neceſſum, & iſtos, pro alieno pugnantes, ſine pane & tecto ſubſiſtere non potuiſſe. Repertæ tunc ab ijs menſalium redemptiones, (ego ſtipem pro victu militari vocauerim) Portiones, Stationes, honoraria, aliaq; odioſa vulgum exſugendi vocabula. Et cateruatim indies augebatur inutilis numerus, quippe præter gregarios, quibus gentili conſuetudine fæminarum turbam circumducere ſolitum; (cum tamen Caſtra velut caſtrata haberi expediat) etiam Præfectorum pleriq; hùc ex Germania vxores accerſebant, velut domicilio non hoſpitio excipiendas; quæ, cum ſuperfluo famulatu veniendo, diuerſitores alenti populo efficiebant oneroſos. Et hic erat pomi Paradyſi guſtus, in quo ſcientiam boni & mali ante prædixerat Ludouica. Factum dehinc, vt dum miles incolas, incolæ Remp:, iſta Regem acrius vrgent, auxiliares demum copiæ ad opus belli mandato Cæſaris Leopoldi diſponerentur, bifariam expeditæ. Generalis Montecuculi cum Equitatu in maritima ablegatus eſt; Comes

1658. mes Zuza cum pedeſtribus Legionibus, in obſidendũ Tho-
runium conuerſus. Vnde nonnihil Maiori Poloniæ leua-
minis, & Pruſsia non magis ab hoſtium preſſurâ, quàm à
metu reuerſuri Caroli reſpirauit.

Vkrayna Status

Innui ſupra Vkraynam lentum ab obſequio Moſchi ſe-
ceſſum meditatam, etſi non vſq; adeò vnanimis omnium
Coſacorum, in regreſſum ad corpus Reip: ſenſus, & con-
cordia fuerit; inconſtanti plebe nunc has, rurſum illas par-
tes, prout metus ac diſcrimina verſant, vel ſpes indulgenti-
oris Dominatûs alluceſceret, præoptante. Citerioris Bo-
ryſtenis accolæ, dum Scythæ ſedulo in Moſchouiam appa-
rant & minantur arma, etiam ipſi inſenſos pro tempore ani-
mos ituris accõmodabant; ſi renuunt ſubita populatione
mulctandi; Transboryſtiani, & quantùm Vkraynæ ad Al-
bam Ruſsiam vergit, magis in vicinam potentiam inclinan-
tes, ab Wyhouij regimine dificiebant, in Georgiũ Chmiel-
nicium, qui tunc Kijouiæ ſtudijs humanioribus imbueba-
tur, memoria Patris Bohdani proniores. Et iſtorum incli-
nationi opportunè accedens, Waſilewicz pro Mag: Duc:
Moſch: Præſes, inter nutantes aut ambiguos, donis ac lar-
gitionibus contraria excitabat ſtudia. maximè dum XXX.
Mill: recentis Exercitus adducit, habere videbatur validũ
in manu continendis refractarijs capiſtrum, qui beneficio
inflecti nequirent. Ac primò, in permuniendam Kijouiam,
non magis anteactis ſæculis famoſam, quám præſenti bello
afflictam, omnes tàm ingenij quám ſumptuum conatus ver-
tebantur, rurſus in Wyhouium tempore ſubſidens odium
flagrantiſsimè ſuſcitatur. Erat Wyhouio patruelis Stepha-
nus, qui animi leuitate vitam odiſſet magis, quám heroica
ſtrenuitate in periculo mortem contemneret: qui (conſti-
tit ignaro Duce factum) coadunato licentioſæ plebis agmi-
ne a Biała Cerkiew mouens, ſicubi per ſtatiua Moſchi, ſu-
bitis incurſibus diſturbabat locatos, importandis Kijouiam
victualibus obſiſtebat, iactanſq; in procinctu Scythas ad-
eſſe, præcociter futuro bello inſanus turbo facem prætulit,
etſi

etſi temerarij cæpti, nec euentum nec vſum ex voto ſortitus, 1658.
agmine illo dum ſolutius agit à Moſchis celeritate vſis di-
ſperſò, & ægrè autore equi pernicitate ex periculo ad Scy-
thas elapſo. Requiſitus eo nomine Coſacorum Dux an
mandato vel inſtinctu ſuo factum autoraſſet? Non ſine præ-
fatione honoris reſponderat. *Omnino tumultus conciti in-
ſcium ſe, adeoq; facinus quod infectum gratularetur improbare,
vt ſi autor viuus caperetur, daturum ſe vel manu propria in
conſobrino exemplum, quàm non amet eos, quibus publica tran-
quillitas vilis eſt, & qui cognitionis prætextu ad periculum ſu-
um abutantur.*

Seceſſus Coſacorũ à Moſcho.

Hinc iterum recruduêre ſuſpiciones, ſtatuſq; Vkraynæ
indifferens manſit, pluribus Coſacorum eo propendentib9,
dum Scythæ incunctantèr ferunt ſubſidium, & Poloni Cõ-
miſſarij in dies adfuturi expectantur, vt ſatius in armis, &
parata ad repellendam iniuriam vi ſecuritatis ſuæ rationes
locarent, quám Palatini vafri & dolos coquentis diſcretio-
ni initerentur. Donec vacillantem tantiſper, & cui ſe
parti addiceret ambiguum populum, ad magis congruen-
tia ſecuritati, interueniens caſus perſuaſit, impulitq;. Ijs
fermè diebus interceptus in flumine Tabellio erat, literas
Kijouiam ferens, quibus ſeriò iniunctum Palatino, vti Wy-
houium cum complicibus initæ aduersùm Mag: Duc: con-
ſpirationis reum Moſchuam mitteret, adiecto libello Tri-
bunorum nomina continente, qui vel ſimul capi, vel ſaltem
depelli Prouinciâ iubebantur. Allatis in concionem lite-
ris, vbi ſtylus, & conſueta Ducalis Sigilli obſignatio auto-
grapho fidem faciunt, neq; lator inficiatur; enimuero ti-
mere quiſq; ſibi & in alieno periculo ſuum agnoſcere, de-
mum iunctis dextris, ac qui gentilis mos habetur, vnanimi
eoq; truci clamore, mutuam condicunt defenſionem, imo
coniurant, indemnitatem Præfectorum vel ſuo ipſorum ſan-
guine vitâq; tuituros. Neq; Wyhouius cum Tribunis ſibi
deeſt, tundendum chalybem dum ab igne candet exiſti-
mans, exaggerat Tyrãnidem, ſui quemq; periculi ac pigno-
Pp rum

1658. rum commonet, nihilq; omittit, vnde in fortiora impulsus multitudini est; Quantùm linguæ functio valeat patuit; sequitur mox aperta rerum & animorum conuersio, Wyhouio fidem vniuersi addicunt, singuli Patrocinium Casimiri Regis inclamant, abdicantur Imperia Mag: Duc: rescinduntur acta, insignia eraduntur, amotoq; Artemone ad latus tantisper existente Moscho, prolixè Wyhouius legionibus Cosacorum gratias agit, non alium tranquillandæ Vkraynæ modum ac medium ostendens, nisi quantùm ex inuitatis super maturando Tractatu Commissarijs, ac demum præstando à Serenissimo Rege Req;publica Polona succursu sperari posset. Nec tardauêre Commissarij in Vkraynam iter, super Regis monita crebris à Wyhouio requisitionibus, etiam compellatorijs Hani Crimensis inuitati. qui demum vbi Szarogrodum venêre isthinc ad Olszanicam, dein ad Castra Cosacorum deducti, exceptiq; non inhonorè sunt die Nona Septembris. Iam quippe totus Cosacorum Exercitus in procinctu stabat, & rectâ in hostem motis signis, armatæ Legiones procedebant. Ex Tribunis Tymothæus Nosacz Castris Præfectus, ingenio quidem rudior sed militiâ bonus, ac veteranorum solus qui pristinum militiæ Zaporoscēsis statum nouisset. Post hunc Antonius, Zelenecki, Brzuchowiecki, Fesko, Kowalowski, Leśnicki, &c: in exequenda consilia nati obsequij promptitudine indolem supplebant, Wyhouio præter Cieciuram addicti omnes. Ast vel maximè eminebant eorum pro Rep: studia, qui ortu Nobiles, iam tunc in morem Cosacorum transgressi, hîc degebant; quorum potiores Daniel, Constantinus, & Theodorus, Wyhouij, Ducis patrueles, Chmielecki iunior, Hulanicki, Wereszczaka, Mrozowicki; etiam Georgius Niemierycz Succamerarius Kijouiensis, labascente Sueci Regis fortunâ, cuius partes peruicax asseruerat, demum ad Cosacos flexit Tribunatum isthic adeptus; ac quod mirêre, valedicto quo in hanc diem irretitus Arrianismo ad Græcos in Schysmate ritus transiens; Vir tam Maio-

Maiorum Nobilitate quàm sua indole spectabilis. Etsi 1658. fluxa hîc autoritas illi, cùm ad Sacra Ruthenica irando sustinuerit sæpius probra & conuitia plebis, velut sacrorum cultum simulās, nec nisi ob recipiendos ex ditionibus suis census religionem vtilitati accōmodaret. Subinde, ex itinere respirantibus Commissarijs, Legatus Moschus non sine pompa militari acceptus in Castris fuit, priusq; vt super quibus missus expediret datum ei publicum, donec tridui moræ obhærens, tandem nostris liberiorem tractandi locum & tempus abscessu suo aperuisset. Dum itaq; Wyhouius post prolixam addictæ mentis affectusq; testificationem, super tranquillandæ Vkraynæ modis Commissarios ad colloquium inuitat, Bienieuius tàm rationum promptus quàm pollens facundiâ, assistente Collega, in consessu Tribunorum, imò totius militaris multitudinis cōcione in eum sensum locutus memoratur. *Supremo adgubernante Numine, qui pro potestate sua constituit Regna aut tollit; etiam operātis naturæ ductu, quæ tàm natalis soli, quàm patriæ potestatis ingenerat mortalibus dulcedinem, factum crediderim; vt strenua Cosacorum Zaporoscensium militia, suo Ducisq; sui nomine ad Comitia Regni Generalia Nuntios Varsauiam miserit, quominus Serenissimo Regi Ioanni Casimiro Dn: N: Cl: ac Reip: contestata subiectione, pro se ac vniuersa Roxolana per Vkraynam gente, tutellam ac reale Patrocinium ditionibus istis exposceret. Id quidem optimè milites strenui factum: nam, seu innatæ Regis optimi clementiæ confisi, huc inclinastis, bonorum Ciuium indicium est; si laudabili resipiscentiâ vetus fermentum eijcitis, fidei specimen datis; si protectionis spe studioq; ducimini Prouidentiam sapit; nisi quod Patriæ respectus cuncta superat, & heroicum actum absoluit quisquis amore eius ducitur. Quod, vt iam communi Patriæ, iam vobis tuta & gloriosa secutis, felix faustumq; sit, humiliter æternum Numen implorandum censeo. Sic concussum vulnere membrum, admoto medicamine corpori suo rursus coalescit; quærit postliminio Patrem exhæres filius, reparatq; quam feruidiore iuuen-*

Bienieuij ad Cosacos Oratio.

1658 ia violauerat beneuolentiam. Decennium propè, ex quo, pro hoc infante (Vkraynam intelligo) litigiosæ matres, vtrius esset contendunt; Poloni fœtum ac membrum, suum asserimus, Moschus contra rem alienam studio & armis vestris vsurpat vt propriam. Vnde indiuiduum hoc corpus dum scindimus, & contextam cælesti manu telam in fila diducimus, necessum erat Prouinciarum excidijs, terrarum vastitate, tot mortalium sanguine, alijsque bellorum malis constantem sopire controuersiã. Verùm propitiati cæli indicium est, vbi & vos errorem agnoscentes, & nos ignoscentes lapsui, vtrique ad mitiora inclinamus. Dum Rex Ser: affectu Patriæ Pater, omissa violentia & armis, litem clementiæ committens, tantisper, quod suum erat, passus esse alienum. Quo itaque optimam Clementissimi Principis mentem intelligatis, imò sensu quæ sub sole placeret Dominatio magis perciperetis, idem benignus Parens agit, vt excusso crudæ seruitutis iugo, ad veterem libertatis orbitam, sponte & vltro reducamini. Quàm verò tenerrimo affectu, quàm pietate & lætitia incredibili Serenissimus meus æquè vester Rex, eam propositionem à Nuntijs acceptauerit Varsauiæ, & ego testis sum, & illi bona fide vobis credo retulerunt. Ac ne tanti molimen operis intra verba staret, huc ex commisso à tota Reip: venimus, vt ad corpus Regni, ad coniunctionem Patriæ, ad cõmunem periculorum vtrosque tangentium propulsationem, collapsæ gloriæ & insigni iacturâ pessundatæ pacis instaurationem, nec non ad promouendam Regis Regnique gratiam, vos viri Zaporoscenses inuitaremus. Facimus sanè publica authoritate missi & instructi. Ad vos ecce communis Patria obuias expandit vlnas, in sinum currite; Optimus Rex cunctorum obliuionem offert, Aquilæ pullos conuocanti adeste; amplissimi denique Regni Ciues, vos in communionem & vnum corpus Reip: inuitant, eccur moramini? Nec operosa nimis tam salubris negotij conclusio timeri debet. Esto cunctis libertas pro modo, sed dissoluta licentia & effrenis furor exesto. floreant templa sacris, ciuitates mercatu, Vkrayna pace, pax frequentia populi: sed cædes, fraudes, iniustitia, aliaque disordinis mala exulent penitùs.

nitùs. Colonorum conditio ad agriculturam ac rusticandum restringitur, sed ad rigorem illiberalis seruitij nemo cogere præsumet, manebit Heris dominatus, sed & hi si nimis rigidi & graues, supra se leges & Magistratum agnoscent. Miles tractabit arma, opificia mechanicus, quisque suum cum Diogene dolium versabit: ac quia omnes hæ artes pace indigent, ab omnibus procuranti pacem militi contribuetur: verbo dicam, hæc est optimi Regis intentio, vt sui sitis, qui alieni arbitrij, si non seruitij habemini. Cur verò populo Roxolano præ ordinaria potestate magis Dominatus Moschi allubescat? assequi non valeo: si religio mouet? dissimilem certè profitetur ille, & quàm profitetur, indignè violat. Orientalem vos vocatis Ecclesiam, sed ille duri Septemtrionis Despotes, suam sibi fecit Aquilonarem, dum vltra Apostolorum instituta, qui quatuor Patriarchales Sedes primitùs esse voluerũt, quintam Moschuæ instituit, & quod Cõcilia Oecumenica facere non ausa, hoc profanus iste arrogare præsumpsit. Summa apud vos Cleri veneratio, & separata Ecclesiæ Iurisdictio habetur; temporalis iste Dominus spiritualia pro libitu attrectat, Metropolitanos alios de Sede mouet, alios imponit; quod in præsens Niconi Patriarchæ Moschuæ factum: Præsules captiuat, quod Venerabilis Senex Hyppatius, Cenobij Kijouiensis Hegumenus expertus; nihilque non agit vt sacra altaria ac Ecclesiarum reditus quæstuosa nundinatione sibi in censum veniant, &c. Iam verò Ciuile Regimen & polyticas administrandæ Prouinciæ rationes introspicite, Pulcherrimè Regibus sua spontè parebat olim Exercitus Zaporoscensis; iam nunc austera tantùm ac de longe venientia Edicta audire cogitur; eligebat ante Præfectos militares, aut pro beneplacito deponebat; adest nunc aliquis qui intrudat obnoxios, aut qui placent vobis, per siccarios tollat. Sãguinis vestri dispendio externæ genti pugnatis, vitæ vestræ iacturâ triumphos infenso Domino comparatis, in eum tantùm vsum Vkraynam inter titulos recipienti, vt eius latifundijs ac virtute Cosacorum, plagam suam Borealem, ab incursu Scytharum protegat. Illi arant, illi metunt, agricolæ vestri, quas

1658. *florentissimæ Prouinciæ opes ex vobis raptas, vbi in melius metallum conflauit, Moschouiam quæ aurum non gignit, auro vestro reddit refertissimam. Posteaquam auarus æruscator, omne metallum ex vobis rapuit, ne tormentis quidem æneis parcit, quæ conuecta aduerso amne in Moschouiam remittit, ferri quoq; vsum erepturus, maximè, quod lateri vestro appensum timet. Quid placet viri Zaporoscenses parsimonia gentis? vilis amictus gausape (vt vocant) Cosacorum tegmen esto? nec nisi ex corticibus arborum calciantor? At enim, cui bono tam rigida lex? vestium modum & nitorem pro facultate opum habemus, copia aut defectus regulam ornatus cuiq; præscribit. Sed sumptuariæ leges istæ, nimisquam lucrosæ Legislatori, vbi modum viuendi definit, & solitas genti vestræ comessationes anathemate damnat, compendium rei priuatæ facit, ac quæstuosè lucratur &c: Resp: verò Polona fidem tantùm in vobis Zaporoscenses ac obsequium stabile requirit; in mensa, in vestitu, antiquum morem seruate, non lautiorem victum, non frugalitatem damnamus, cum & ipsis nobis antiquæ consuetudines pro lege habeantur. Iam verò, ecquid sentitis, in quanto cõtemptu viuatis? lucis vobis vsuram si licebit adimet? quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignatur: quin etiam vbi astro percitus furit, locum in quo degitis, & Patriam hanc, maiorum vestrorum Sedem eripere intendit, assignata (si credere fas) trans Album Lacum vasta solitudine, quò vos cum pignoribus transferat, interim ab aurea Anu colonis Vkraynã impleturus. Obsecro, quæsoq; vos Zaporoscenses, ne comparationem vtriusq; Regnantis expectetis, tàm, qui vobis ascititius vel intrusus, quàm, qui Naturalis dominus est; cum, vt cælum à terra, sic isti Monarchæ qualitate ac indole Maiestatis inter se differant. Nec expedit diutius circumlocutione vagari in ijs, quæ sensu percipiuntur. Vnum porrò subiungere necessum, quo deterreri etiam cordatos apparet, afflicta nimirum Regni Polonici fortuna, nec ideo in caducum parietem inclinandum. Cunctis notum, à Deo flagella immitti, quæ tamen infligit manus, eadem releuat & consola-*

tur;

tur; quia non in æternum irascitur Dominus: erigitq; paterna manu castigatos, ac permittit non raro ex clade consurgere victoriam. Luculentum Cælestis patrocinij documentum Polonia; Ragocius alienis inhians sua perdit; Carolus Suecus efflictim pacem quærit, qui bellum fecerat, ac intra Cymbricæ Hersonesi Insulas deiectus, eluit suo damno, quod in Polonia peccauerat. Rex porro Casimirus iustæ causæ Promotore Deo, hostes suos quadripartito Exercitu premit inuictus. Cuius pars vna cum Czarnecio, per littora Balthidis aquilas Polonas circumfert; Lithuani cum Sapieha Palatino Vilnensi, eundem Moschum limitibus suis excutiunt; cum tertia Rex in persona Thorunium obsidet; quartâ parte vobis auxilium laturâ in parato manente. Vt omittam Nobilitatem feriari &c: Sed non vos vltra prolixiori sermone distinebo Zaporoscenses, cum apud eos verba me facere intelligam, quibus actu fortia, quàm dictu speciosa præplacent: finem itaq; imponens dictioni, Romani Herois effatum propositioni meæ attemperabo, quod nomine Patriæ proferre liceat. Ego vos milites Zaporoscenses non Mosch̄o contra Poloniam, sed Poloniæ contra quosquis hostes genui, foui, alui, tandem resipiscite, & veternum excutite: 1658.

Dicta Bienieuij placuisse promiscuo eoq; truci fremitu probauit multitudo, cumq; Tribuni assurgentes ex turmalibus socijs assensum requirerent, acclamauêre protinus cuncti (Hárast Howorit) scilicet benè locutum Commissarium testati, patuitq; satius instinctu desuper immisso emollitos multitudinis animos, quàm, vt vis humana, aut orantis facundia, inflecteret duræ ceruicis populum. Vbi verò cõpositæ acclamationes silentio, subinde Wyhouius ex communi Cosacorum assensu, aliquantùm tamen meditabundus & hærens non infacundè (vti primis ab annis inter forensia exercitus) gratias agendo pro paterna solicitudine Ser: Regi perorauit, vti se, sic vniuersum Záporoscensem Exercitum, erga Remp: Polonam in stabili fide & obsequio constanter mansurum crebrius pollicitus. Dein inspectis Fidei literis soluta Concio fuit, legionatim Deputa-

tis

1658. tis qui tendente licet Exercitu, circa Tractatus institutos disceptarent cum Commissarijs. Quibus demum conditionibus, ea, vt sic loquar Reincorporatio Vkraynæ, ad Corpus Regni coaluerit, vti rem posteritati non ingratam succinctè tradam, etsi post in Comitijs Varsauiensibus, aliqui articulorum reiecti aut moderati fuerint. *Primo*, Ducatus Rusſiæ ad instar Lithuaniæ, Mareschallo, Cancellario, ac Thesaurario alijsq; officialibus gaudebit; qui omnes Religionis Græcæ ex Nobilitate Palatinus Kijouiensis, aut Braclauiensis, more solito electi, à Rege per Priuilegia confirmabuntur. Metropolitanus Kijouiensis locum in Senatu Regni pone Archiepiscopum Leopoliensem obtinebit, cum sex ritûs Græci Episcopis. *Vnio* tolletur, ac adempta Disunitis bona, tum & facultates Ecclesiarum Græco-Rusſis restituentur. Academia Kijouiensis eodem iure & immunitatibus quo Cracouiensis in Regno fruetur, eiurantibus nihilominus omnem Hæresim Professoribus. Comitia pro Ducatu Rusſiæ Leopoli, aut Luceoriæ celebrabuntur; Tribunal item ob idiomatis diuersitatem, aut itinerum longinqua, alio loco vbi commodius videbitur, instituetur. Sedes seu Cathedra Romani Episcopi Kijouiâ transferetur Chwastouiam, euitãdis inter diuersorum rituum sequaces contentionibus. Moneta publica institutis officinis pro Ducatu Rusſiæ cudetur, Ser: Regis facie nummis imprimẽda. Numerus Exercitus Zaporoscensis ad Triginta Millia Cosacorum reducetur; Decem Millibus stipendiariorum supplendus. Miles Polonus nec statiua nec Hyberna intra Palatinatus Vkraynæ habebit, nisi fortè ab externo hoste impetita bello Rusſia auxilijs eguerit. Heri seu Domini possesſiones repetendo, ditiones suas inibunt pauco comitatu, nec nisi qui ministerium redoleat. Dux Zaporoscensis Præfecturam Exercitus stante vita sua obtinebit, idem à Regis gratia in Senatum cooptabitur: prout moderno Ioanni Wyhowski Rex confert Palatinatũ Kijouiensem; Czehryniam præterea, Czerkasſiam, ac Pereslauiam in Feudũ addi-

Quibus conditionibus

addicit; insuper in leuamen sumptuum militaris imperij, Lubomlensem ac Barensem Præfecturas. In posterum creandi per suffragia Ducis penes Exercitum Zaporoscensem Electio manebit: quem, si ex plebeio ordine adlegi cõtigerit, vnde is, ex ratione generis, Senatoriæ curulis incapax foret; prætendere locum in Senatu non debebit; nisi prius editis fidei ac meritorum speciminibus, equestri Prærogatiua abs Rege donaretur. Futuris Comitijs Ser: Rex benemeritos ex Cosacis ad insignia & Ius Nobilitatis admitti curabit, remittetq; noxam ijs, qui temeraria adhæsione partes externorum hostium secuti sunt, nominatim Georgio Niemierycz Succamerario Kijouiensi, quod à Suecis ad Cosacos, inter quos illi amplum patrimonium, transijsset. Iudæis vt volunt liber conceditur in Vkraynam regressus. Eius Pacis præcipuum & cardinale fundamentum habebitur, vt hostes Regni, pro hostibus Ducatus Rusſiæ, & è contra censeantur &c: Extorquere plura peruicaces satagebant, nisi, dum multa & diuersa volunt, ipsi inter se contrarij; quod modo efflictim poscebant, iam mutato proposito ad alia rursus relabebantur. Potisſimè, vt Palatinatus Rusſiæ, Wolhyniæ, Podoliæ, ac Belzensis in massam eiusdem Ducatus iungerentur annisi; nec omittebant Lithuaniam, Pinskum, Owrucium, Starodubum &c: repetẽtes, quod Districtus isti ad Monarchiam Russorum veteri æuo pertinuerint. Sed discussa requirentium importunitas: iam Commissarijs postulati iniquitatem refutantibus, iam Wyhouio & qui alij authoritate ac rerum intelligentia præditi popularium peruicaciam mitigantibus. Præ cunctis egregia Pauli Teteræ opera, qui inter rudem turbam amusum se simulans & prudentem in actu ostendens, plura peruicit Simplicitatis specie, quàm alij philosophico supercilio, aut argumentorum subtilitate. quod tamen nonnulli modestiæ viri, subdolæ indoli alij adscripsêre. Id memorabile opus die XVI. Septembris apud Hadziacz oppidum in Castris in effectum, deductum, & conclusum fuit, 1658.

1658. quodq; iterum Wyhouius meditata Oratione Commissarijs sub abitum gratulatus est. demum (quæ hic summa ciuilitas habetur) castrensi epulo tractatos Commissarios, nec non pollicitis perseuerantiæ oneratos, non inhonorè dimisit, multis editis à militari vulgo lætitiæ signis, cum mos militiæ obtineat, ijsdem ignium fragoribus amicitiam, quibus & hostilitatem testari.

Prout breui in mari malatia durat, sæuis Aquilonibus subinde æquor turbantibus; sic inter maritimos Reges Danum Suecumq; momentanea ex pace Roschildensi concordia extitit, cum alter immodicis successibus elatus plus vltra cupit; alter depressi status intelligens, renouato iterum bello, res noxiâ pactione collapsas, ad pristinam orbitam reuocare nititur. Ex Sueco nihilominus arma resumendi enatam occasionem perhibent. Croneburgum ex pacto reddere Dano debebat, quod tamen velut duraturæ pacis pignus victor diutius retinuit; hinc controuersiæ Carolo pro parte, Friderico pro toto, iterum litem suscitantibus. Quippe Fæderati Belgij Ordines haud obscurè in partes Dani Regis se dabant, non modò crebris legationibus & neruo belli iuuantes, sed præsenti armatæ classis auxilio in fretum Oresundicum submisso. Etiam Leopoldus Cæsar, Rex Polonus, ac Elector Brandeburgicus, ad ferendas eidem suppetias concurrebant, quominus iniuria depressum Principem erigendo, aduersùs communem hostem simul iuncti, sæuientem feram in alterius tergo conficerent: vnus quisq; peculiari respectu, aut satius proprio metu; Imperiales ne illud belli fulmen quassata Dania à parte ad totum, imo à membro ad caput (nam Dania pro appendice Rom: Imp: censetur) in ipsa Germaniæ penetralia inuolaret; Poloni item ac Brandeburgicus, nouissimam Scænæ Catastrophen in alieno theatro spectaturi. Quemadmodum verò illud Balthici maris littus, tot potentissimorum æmulorum armis imò vniuersa luctãte Europa insonuerit paucis aperio.

Demum, quod diu agitatum, & iam ante facere par erat, Edicta Cæsaris, auxiliari militiæ apud Polonos è statiuis digressum iniungentia allata fuêre: permissa Regi Casimiro optione, vt pro beneplacito suo eas copias partiretur, relictoq; penes se in obsidia Vrbium peditatu, Equitem hostico immitteret, in maritima aduersùs Suecos iturum. Conuolauêre ad opus incunctantèr sex Millia Equitatus Polonici sub Czarnecio Rusiæ, ac Opalinio Podlachiæ Palatinis in Holsatiam destinati, studio gloriæ secutis ex primaria Nobilitate Proceribus; quorum præcipui Adamus Dzialynski Bratianẽsis, Franciscus Czarnkowski Osiecensis, Casimirus Piasoczynski Ostrołęcẽsis, Michaël Woyniłowicz Krolnensis, Nicolaus Kozubski Litinẽsis &c: Præfecti; Vladislaus Skoraszowski, Hieronymus Pagowski, Ioannes Polanowski Paulus Borzecki, alijq; cohortium Optiones; cunctorum vt singulorũ laudabili virtute & opera; Eminebat phalanx Regia sub ductu ipsiusmet Czarnecij, binas cohortes hastati militis præter Loricatos continens, egregiè viris equisq; instructa, & quod famã augebat, inusitata inter eas gentes armatura spectabilis. Cæsareanæ copiæ X. Millibus constabant sub ductu Comitis Montecuculi, qui interim euocato in Germaniam Hatsfeldio regimen eius militiæ susceperat: Addiderat suorum ferè Nouem Millia Elector Brandeburgicus, cui præsenti in trinos Exercitus, Supremum sub nomine Generalissimi imperium; etiam in Suecum acrioris offensæ causæ suberant: quod, in Principem nuper socium acerbus, mox vbi bello Danico perfungitur, iam minas, mox vltionem prompturus crederetur. Reliquum viriũ Regni cum peditatu Germanico in recuperandam Prussiã trahebat Casimirus; etsi Prouincia ea annos planè requirebat singulis recipiendis Fortalitijs, quæ Sueticam Protectionem obiter & facilè secutæ, nequaquam tam cito sine sanguine & cædibus ab legitima potestate recipi potuêre. Ergò Thorunium primo loco vindicare placuit, in ipso Borussiæ vestibulo situm, ac velut clauem decurrentis Vistulæ, quominus iniectum flumini frænum excuteretur. Ante-

Colligatorum arma in Holsatia.

1658. greſſus itaq; Ioannes Sapieha Campeſtris Regni Notarius cum expedita Equitum ala, vndiq; vias ac omnem cõmunicandi rationem præcluſerat, nihilq; planè in Vrbem importari ſinens. Deinde Suchius apud Cæſareanos vigiliarum Magiſter, ac Georgius Retzen Equitum Præfecti, admouerãt ſuos, etiam Heyſterus Generalis; fauentiori tunc aſtro carcerem Mariæburgenſem eludens, quàm nuper diſciplina militem per Varmienſem tractum continuerat. Subinde Caſimirus præcurſores ſequebatur; interea dum robur Exercitus Polonici conuenit, neceſſarium bello apparatum, diuerſi modi machinas, Pyrium, phalaricas, baliſtas, pyrobolos, mortaria, tum eius generis alia ex Cracouienſi armamentario deprompta, prono amne deuehi Thorunium iubens. Vladiſlaus olim IV. vt prælijs felix, ſic Oeconomicæ armorum ſtudioſus, varijs locis armaria (Arſenalia ſeu Cekauzy) etiam Cracouiæ omni Martia ſupellectile refertiſsimum excitauerat; nam cuiq; affectum inclinatio geſtis exprimitur, & latentis mẽtis indoles ſtudijs ſe prodit exterioribus. Principes præcipuè quales intro ſunt, tales ſuperficiali actu videri amãt. Literarũ fautores Parnaſſos & Lycæa condunt; religioni dediti templorum ſtructuris, & per eleẽmoſynas munifici cælum mercantur; canes alios & moleſta feris venatio exercet; nec deſunt, qui auri auidi, conquirendo metallo intendunt, quod tamen nec tetigit nec vulnerat. aſt pugnaces, ante bellum habere arma quàm pugnando quærere malunt, ac impensè hac Gradiui Oeconomia delectantur, vt vel ſilente hiſtoria, ex inanimatis operibus, Vladiſlai vitam cognoſcas, dum per Poloniam complura armamentaria condit, Princeps bellicoſus. Aſt obiter ab obſidione Thorunij digreſſus, non nihil cum armis Colligatorum (ita ſocios belli nominabo) in maritima deflectere opus.

Marchiam intrant. A Miedzyrzecz propè limitem Regni oppido, tàm Cæſareani quàm Poloni in Marchiam vicinam ſigna intulêre, donec Electorales approperant, vnâ omnes verſùs Oderam ituri-

ituri. Cum verò tractui illi contiguas Saxoniæ Electoris ditiones tranſire neceſſum foret, miſſus ex intima Caſimiri admiſsione Bartoldus à Rautenfels Secretarius; qui ab amico Principe liberum tranſitum, ſimul permeanti militi conceſsibilia, quibus in victum opus, depoſceret. Nec vsq; difficilem ſe poſtulato exhibuit Elector, concedendo gratioſè, quæ negando perdidiſſet. Tripartito proin agmine profectio inſtituta, tolerabiliore populis dum in plures diuiditur onere, ac minore Prouincijs damno, vbi ſubdiuiſus in conciſa agemmata tranſit Exercitus. Etiam Ductores ſeueris in modeſtiam edictis militem quiſq; ſuum coercebant, admonitis incolis, vti inirent in anteceſſum rationes, quomodo ſine graui ditionum vexa tranſeuntibus Legionibus annona ſuppeditaretur. Sic, in ditiones Saxonicas penetratum, quippe iſtæ ad Auſtrum obuerſæ, contigua vicinitate limitibus Daniæ cohærent; gloria belli gens ex antiquo celebris, etiam nunc armorum ſtudioſa, præcipuè hoſpitalitate, vltra quàm alijs Germanis mos, cõmendabilis. Patuêre hìc militi Polono ad ingreſſum Vrbes, lautè accepti hoſpites, ſubminiſtrata militi alimenta, equis pabulum; Neq; tantum promiſcuum vulgus ex metu officioſum, eadem Principum in externam militiam comitas, duobus ex familia Ducali, Polonis Legionibus obuiam datis, qui Ductores ad oppiparas multa dape menſas ſub dio inuitarent; cum prius Legiones, cohortiumq; Ordines & armaturam vt inſpicerent petijſſent. Geſſere morem Duces non ſolùm confertam ſuis Ordinibus aciem monſtrando; verùm etiam Paruſzewſki ex haſtatis vnus, vt equeſtris decurſus ſpecimen ederet iuſſus, concitato in curſum effuſiſsimum equo, decempedali haſta vimineum circulum humo leuabat; dein flexu habenarum verſatilis, in eum locum vbi Spectatores Principes eſſent directa cuſpide cataphractus incurrebat, ac poſtquam præſentis periculi intutulerat metum, cohibito demum frænis quadrupede, iam virilis manus robur, iam flexibile ex arbitrio ſeſſoris obſequium

1658· quium equi monstrauit. In Holsatiam inde illata signa, quæ Danici Imperij membrum veteribus Hersonesus Cimbrica, formidabilis nominis Cimbrorum patria; Syluis nunc horrida & paludibus, quamuis pro diuersa positione loci, segetis non vbiq; sterile solum habeatur: quod tamen sterilitatis probrum venationibus & pascuis natura rependisse videtur. Anteactis sæculis Nortalbingiæ appellationem sortita, vti à reliqua Germania Albi fluuio, versùs Boream separata: in quam olim Comitibus dominium, quoad Fridericus III. Imp:, Christiano I. Daniæ Regi gratificaturus, in prærogatiuam Ducatus extulisset.

Apud Hadersleben Ripensis Diœcesis oppidum, coacto in vnum qui tripartito incesserat Colligatorum Exercitu, dum commodum atmis tempus adulto Nouembre expirat, moram sarciens Elector, quantocius ad opus belli accingitur: licet attritis per nimiam lassitudinem equis, vel ipsa viarum longinquitate. Insula Alsen, modico æquoris interiectu à Ducatu Slesuicensi disiuncta, aduersùm Australis Fioniæ littus respicit, breui isthàc in intima Daniæ per canalem Belt in traijciendum spatio: quas in sinu Codano freti angustias, Isthmum seu Zundt, incolæ vocant. Latitudo Insulæ ad quatuor leucas extensa, Sondeburgum oppidum nominatius habet; vbi tunc Holstinensis vidua rebus commotis domicilium fixerat, Assembergo Insulam & Pricipem tuente, qui non obscuri nominis Suecorum Tribunus, infra posita Colligati Exercitus famâ, cum Sexcentorũ manu, máiori potentiæ se opponere ausus. Ipse Carolus Suecus Sèélandiam infestis signis tenebat, constrictum Hafniæ muris Fridericum, propediem oppugnaturus. Huic ferendi succursus constabat ratio, vti per Alsen in Fioniam, enauigato quod interiacet maris diuortio, auxiliator Exercitus in tergum bellantis Caroli enisus, imminentem Dano casum auerteret. Vnde Fridericus additurus momentum rebus & tempori bellicas naues ordinauerat, eum in vsum submittendas, quominus Colligatorum copiæ ob rei

nauti-

nauticæ defectum in aduerso littore hærentes, quantociùs in subsidium transfretarent. Non tamen procelloso nimium mari in tempore deductæ fuêre, vt Elector quæcunq; circa littus reperiri poterant, seu hostium illæ, seu Prouincialium essent, subducere repararæq; confestim debuerit. 1658. His demum in Koldingam mari adsitum oppidum vis cõuersa, eo consilio, vt depulsis aut auersis præsidijs Insulæ littora, facilius paterent inuadentibus; primì, Comes Stroszczy, ac Gulcz Generalis è Brandeburgicis, cum pedite lêbis imposito aquas Canalis ingressi sunt; hos mox tres naues armatæ sequebantur, tutiorem excensum pediti, præsenti explosione machinarum redditura: traiectu nimis dum Sueci littus tuentur, & ob iactus tormentorum exitiabili. Quippe primo assultu nauium Electoris vna globo transuersim acta, ac remigum complures saucij ac lacerati sunt, nisi mox Ranzius, apud Cæsareanos Excubiarũ Præfectus, opportuno austro in aduersum littus à latere delatus, prægresso Gulcio strenuè opitularetur: iam superstantes crepidini Suecos explosione machinarum loco submouens, iam binis eorundem armatis nauibus cum aliquot tormentis potitus. Restabat acrior pro littore quàm æquore pugna, in quo tres ex aduerso munitiones eminebãt pediti ac machinis receptaculum; tum vnde quadraginta Equestria Suecorum signa in vix cæptum exponi militem Ductore Knutho inuehebantur. Aderat præsto periculi spectator aut virtuti stimulus Elector ipse, crepidini obliqui Littoris insistens, cum ingenti balistarũ fragore vtrinq; edito immugit mare, reboant eminentia sinuosi Canalis supercilia, & velut pugna elementorum esset, à mari in terram, rursus à terra in mare frequentes ignes iaciuntur. Interea nitentium, aut depellentiũ confusa murmura, dumq; hortatu erigitur aut obiurgatur miles, promiscui clamores insurgebant, multo faciliore Colligatis negotio, si plures naues in vsum traiectas à Danis obtinuissent. Comparebat & Czarnecius, huc ab Electore accitus (reliquo agmine

nostra,

1658 nostratium apud Hadersleben cum Opalinio manente) cumq; vel anxietatem irriti conatus expendit Princeps, vel succursum laborantibus exhibere satagit, ad astantes se reclinans. *Videtis (inquit) militem nostrum pro possessione aduersi littoris acerrimè dimicantem, à Suecorum Equitatu interiectu æquoris reijci? quid ni succurrimus modò naues adsint, audaculorum ferociam repressuri?* Quæ dicta velut explorando animo suo iacta accipiens Czarnecius, confestim ad cohortes littori insistentes accurrens, suo more infit. *Me, me adsum Poloni, exerendæ virtutis non alibi luculentior dabit se occasio & tempus, quid moramur? In Patria traijciendi flumina pertinaciam monstratis, iam nunc, quid heroicus periculi contemptus in maris aquas possit, si viri sumus, in Holsatia ostendite.* Duodecim stipabant cohortes. Regia sub Michaële Woyniłowicz; Czarnecij ipsius Hasta sub Hieronymo Pagowski, Loricatam ductabat Petrus Męzynski; Leszczynij Inciforis Regni Vladislaus Skoraszowski; Branicij Dapiferi Casimirus Kułaks Marchionis Myszkouij Paulus Borzecki; Daniełowicij item Parczouiensis, Domaszewski Łukouiensis; ac Rokitnicki Dobrzynensis Præfectorum &c: quæ ad imperia fortissimi Ductoris asuefactæ, quocunq; duceret, protinus antegressum sequebantur. Protendebatur in vastam latitudinem canalis, ad vinginti sex iugera stagnante æquore, vel vt verisimilius proferam, in quantum Vistula noster verna inundatione auctus apud Varsauiam, spatiosissimo defluere alueo solet non item profunditas obstitit, mira in tranandum pelagus terrestris militiæ alacritate. Commodè Samuel Kobyłecki Semenorum cohortis Præfectus, aliquot lembos hyppaginesq;, in littore triduo ante conquisitos prehenderat retinebátq; : in quorum vnum, non officij, non ætatis ratione feruorem diminuente, dum insilit Ductor, confestim quidquid eiusmodi nauigiorum inscendit miles, simul demptis sellis Equestribus trahebantur frænis equi natatu æquor superaturi, miro spectaculo, vt qui modo terræ incolæ

incolæ, artisq; nauticæ ignari, iam velut amphibia anima- 1658.
lia in medias vndas illapsi, remigio agerentur. Intendit alacritatem suorum & Elector, clangente tuba enauigationem cunctis edicens festinandam, tum ne deesset exemplũ, lembum & ipse submitti extemplò iussit, tanquam inscensurus. Sequuti Germani pro exili copia nauigiorum; sed immoderatæ fortitudini irati, conuicijs incessebant Czarnecium, tanquam perperam præcipitantem discrimina; maximè iactura equorum permouente, vt qui crassiores, submersioni obnoxij & rara nandi peritia essent: cum Poloni suos in superanda flumina exercitos, peruicaciter æquori committerent. Vbi à Suecis animaduersum in traiectum ferri irremisso feruore Colligatos, iamq; ab Gultzio oppugnato acriter littore, miles in continentem audacter eluctaretur, haud expectatis hospitibus retro subducebant suos; Assembergus quidem Sondeburgum; Kmuthus cum parte peditatus Nortburgum, intra mænia oppidorum tutiores. Dum verò recedunt interq; circumiectos cliuos, aut arenarum cumulos hærendo, vlteriorem traijcientis Exercitus progressum speculantur; in hos post enauigatum canalem instratis equis prorupit Czarnecius, scutulato notæ agilitatis equo, ac coccineo Turcicum in morem sago conspicuus, non amplius quadraginta ex turmalibus socijs stipatus commilitio. Et quamuis submissus ab Electore nonnemo, in imparem pugnam prouolantem retentarent, ast is in monitorem asper, primò velitari in cursu abeuntes lacessit, dein in conglobatos illatus Præfectum turmæ propria manu obtruncat, tribus alijs à commilitio captis, reliquis tutiorem per noctem fugam capessentibus. Ea quidem strenui Ducis virtus, eluctato freti angustias Electori solatio fuit, cum contra, interueniens casus dolori, & prosequendi belli moræ causam dedisset. Breidenus Danici maris Vicepræfectus, iussus à Friderico vt Colligatis naues suppeditaret, aliquantum procelloso mari distentus oberrabat littori, demum vbi innotuit, superato Canali inuasam

1658. ab Electore Insulam Alsen, futurum fore iudicans, vt mox Sondeburgum obsideretur vel caperetur; huc plenis velis cursum direxerat, casuq; in Suecorum classem incidens ac pugnans, medio in æstu prælij, post depressam vnam, alteram captam hostium nauem, glande tormenti traiectus occubuit; fide in Regem suum, & naualis pugnæ peritiâ Dux nobilis. Mox Sondeburgo, quæ primaria Insulæ Ciuitas, admota vis, arce & oppidi mænijs sanè firmissimis, nisi quod facilius subigendi spem faceret, fossas mæniorum quæ aquis implerentur solidiori glacie concretas existere, velut fortuito in transeundum ponte, densius gelu oppugnantibus viam strauisset. Vnde Assembergus locum retinere diffisus, astu demum profecit, vt in tutamen receptam Ducissæ intro existentis securitatem, in plano sisteret. Non in Paradiso tantùm mulier blandè captiosa extitit, sunt, quæ etiam inter armorum fragores neutiquam versipele exuant ingenium. Per submissũ namq; caduceatorem Holstynensis vidua, mulier dolos versare perita, in speciem supplex ab Electore petijt, vti post transcensos montes ac flumina, calcata sicco pede palustria, ipsum quinimo mare tempestatibus scopulisq; infame, quod vidisset ipsa, quadrupedum adminiculo superatum, tot patratis operibus, satiùs ex clementia quam sui perditione trophæum statuere Princeps Elector vellet. Sanè, si miserrimam conseruat, monumentum ære perennius his in oris relicturum. Si vim parat? Sondeburgum ne expugnatum finem cruentissimo bello imponet? in quo tantùm mulier natalibus & dignitate clara, marito orba, oppugnanti sanguine iuncta, omnibus fortunæ bonis spoliata, & humiliter vim deprecans haberetur. Tribueret bellicosus Princeps, imploranti clementiam, imò ea quæ vim minarentur arma, in tutelam sexus fragilis verteret. Constitit permotum fæmineis postulatis vim distulisse Electorem, etiam à fine negotium despicientem, ne inuasum promiscua impressione oppidũ, nullo imperij, nullo probri respectu, vbi diuersæ gentes ardore pugnæ incaluerint,

luerint, crudeliter habitum direptumq; maculam nomini suo ac victoriæ inureret. 1658. Interea dum vltro citroq; de deditione in tertiam diem agitur, Wrangelius cum expedita nauium classe, Sondeburgo aduolutus, applicatisq; arci sub noctem anchoris, primùm viduam Ducissam cum præsidio, dein quæ pretium aut vsus commendabat in naues securè receptis, postremus ipse cum Aschembergo abscessit, misso sub diluculum Tubicine qui postularet. Quatenus pro innata clementia Elector parceret oppido, spontanea protinus deditione ad arbitrium victoris cessuro. Mox sublatis in altum velis, explosisq; pro militari vale tormẽtis abiens, per iocum deditionem oppidi insinuabat; cum iam Sondeburgum omnibus rebus vacuum, præter sexum fragilem, vel quos ætas aut vulnera inhabiles tractandis armis reddidissent, in se contineret nihil. Norburgum inde Poloni adiuncto Sparrio Electorali Tribuno, cum Desultorijs præmissi; quominus recepto oppido, tota Insula in potestate esset. Aduentantes obiectis signis excipiebat Knuthus, sed mox reiectus, ac inuasa suburbia sunt, vbi reperta liberalior annona refecerat militem, præter inediam molestissimo frigore, tum quadrinoctij insomnio afflictum. Vbi patuit equestri assultu haud moueri defensores, cum peditatu Elector adesse maturauit, dieq; XXI. Nouembris ex quatuor Regij modi machinis instituta in muros verberatio; quassatis demum illis & hiatu ad impressionem aperto, missus tubicen præcisè vt oppidum dederetur instituit; addens, nisi Præfectus arbitrio Electoris protinus se tradit, mox aperta vi capto loco, in furca apud principiũ pontis (transierat ab Electore ad Suecos) pænas contumaciæ luiturum. Ad interminatam probrosæ mortis pænam abdicauit ille contumaciam, seq; ac locum Electoris gratiæ commisit; quo inductum confestim præsidium, à direptione immune oppidum præstitit; fremente ob ereptã è manu prædam milite adeo, vt Electoralis tubicen, tesseram recedendi à muris enuntians, parum abfuerit, quin à gregarijs

1658. garijs violaretur. Sic intra octiduum insula Alsen in potestatem redacta, inaccessibilis ambiente freto credita; nisi quo nauibus transuehi non licuit, animosa penetraret virtus.

Suecorum cũ Polonis cõgressus. Hærebat interea apud Aderslaben Colligati Exercitus reliquũ Mõtecucullio cum Cæsareanis, ac Opalinio cum Polonis hic subsistentibus; cum affertur Sueticam classẽ proximo littori adnauigasse, expositoq; milite, in eos, quibus apud Coldingam statio (Quartiera) velle experiri. Marchio Szulcbachus cum Konigsmarco, in solutos vt putabant & torpentes ingruebant: sed ausu quàm successu maiore, etsi ad primum experimentum, non infaustè iecisse aleam Sueci viderentur. Excubabant proximo littore quatuor Polonæ cohortes, quæ dum haud supponentes discrimen remissius agunt, ab Equitibus Suecis subito coortis loco depulsæ, ac cæsis fere XVII. dispallatæ, raptim quà sors tulit ad suos regrediebantur. Nunciato discrimine, dum promptꝰ in succursum Opalinius cohortes reliquas educit, Piaszoczynium ac Polanouium Legionum Tribunos in antecessum præmiserat, vti festinatò suos recolligerent, aut saltem distinerent Suecos, donec cum instructo agmine ipse superueniret. Quod impigrè ab istis præstitum, simul primo congressu reiecti Sueci, vt non præda modò ex stationario milite parta recuperaretur, sed ipsi præsumpti victores in fugam verterentur, sparsim per viam cæsi aut capti; præcipitanter id vnum agente Szulcbacho, vt sicut insperatus aduolauit, sic vix conspectus ne refluxu maris destitueretur, quantocius in naues se recipiebat. Quæ subita procella simul exorta & desidens, magis in præmonitionem nostris cautius agendi cessit, quàm vt ea, nullo effectu suscepta, & probrosa fuga finita, Sueci lætarentur. Elector interim præsidijs firmata Alsen, in Holsatiam Exercitum reduxit, iam quod intra exhaustam álimentis Insulam, diu immorari haud permitteret annonæ penuria: ast magis ob defectum nauium nullo vsui hìc hæsurus, tum Flensburgo ac

ac Fridericodæo in potestatem redigendis, quæ tractu Holsatico fortalitia, adhuc dum præsidijs Sueticis tenebantur. 1658.

Ingruente dehinc brumâ, bellum quidem desidebat, ast apertè gliscebat inter gentes sui dissimiles odium, familiaris militaribus animis tinea, & comes gloriæ, inuidiæ vmbra. Causæ dissidij in apertum plures, potiorem in Cõmentarijs eius belli reperio. Belligerãtes in Polonia Sueci, plerosq; nostratium secum abductos, Legionibus suis aut præsidijs Arcium miscuerant, in qualemuis militiam promptos & obsequentes experti. Isti vtcunq; externo in solo militabant coacti, ast Polonis Holsatiam ingressis, seruitiũ exoticum aspernantes, ad Sympatriotas se recipiebant, vel in deditis arcibus recipiebantur. Offendit Germanos rarescentibus Ordinibus suis detrahi supplementa cohortibꝰ, debitosq; sibi captiuos imperiosè contendebãt, vt qui Theutonicæ militiæ more, Sacramentum in vexilla dixissent. Contra Poloni, populares vindicando, Germani vt Alemannos haberent sibi opponebant. Hinc controuersia, & aliquoties inter ipsas cohortes tumultus, dum recursus ad suos inhibetur; ægrè temperantibus vim Polonis, quominus conterraneos à seruili manus iniectione subducerent: eoq; immodestia militaris processit, vt Prætorium Electoris prope ex statione raperent vnum, qui violenter tractum se vt in stipendia externa nomen daret vernaculo sermone inclamauerat. Etiam ea de re in Castris Sacrorũ Curiones, quos Capellanos vocant, requisiti edixerant; *Peccare eos mortaliter in ordine contra proximum, qui tot animas communione fidelium priuatas, iam nunc Heterodoxis permissas, iacturæ salutis cum possint non eripiant.* Quis crederet deuota Marti pectora pastoritias animarum curas sedulò induisse. Quæ dum in causam dissensus transeunt, neq; celauerat offensam Elector odiosa apud externum Principem libertate, cui cæco obsequio suorum imperium constare solet: & quamuis non ingrata in quoduis discrimen promptissimæ militiæ opera esset, sed mox cumulatæ in solos Polonos lau-

1658. laudes angebant, cum iam hostes Sueci, iam amici Dani, quidquid præclarè gestum istis tribuerent. Vnde inter socios belli altior diffidentia, & velut antipathia quædam, vbi alter alienam gloriam in diminutionem sui accipit, alter vero, quod egregiè solus patrasset, arrogātibus, qui non meruêre, adscribere recusat. Exacerbabat præterea Polonos, quod exploratum, aut ad alia militiæ munia diggressis, currus suos insolenter Germani in postremo agmine expilarent, famulos cum victu aut pabulo reduces excuterent, sed maximè pungebant, quod vicos oppidaq; Danica diripientes, in crimen actorum spoliorum absentes Polonos substituerent; in alijs vtcunq; dissimulata iniuria, vbi cardo honoris militaris verteretur, apud Commissarios Danos contestati falso imputatarum rapinarum innocentiam. Ad hæc Germani opimioribus statiuis disponi, opulentis in Vrbibus locari, tuto consistere, lentè incedere, & suspenso gradu bellum moliri, non conficere; cum interim Poloni in ipso hostium conspectu, ac sub ictu discriminis agētes, exploratum procurrerent, excubias obirent, frontem & latera Exercitus, aduersùs oppositum hostem tuerentur, nec ardua quæq; pro innata generositate subire detrectarent, quod Theutones, velut debitum, ac leuioris militiæ officium, interpretarentur. Sic, commota bile, neq; ab iocis militaribus temperatum, obijcientibus nostris, cunctationem esse originale peccatum Germanorum: contra istis omnia festinanter, & nihil ad rem agere Polonos, reponentibus. Vnde Ductores Poloni, postponi operam suam aduertentes, saluâ Electoris gratiâ petiêre: quominus suopte Marte, ad Regē Daniæ disiunctis, iter aperire liceret: eoq; increuerat contentio, vt postposita hyemis asperitate, relictisq; per oppida statiuis, sub Ioue frigidissimo castris cōsisterent; socios belli ad accelerandum in Fioniam traiectum prouocantes. Equidem Princeps Elector, raræ virtuti amicus, sed autoritatem imperij enixè retinens, & ita alienæ strenuitati fautor, vt non primas fortitudinis partes

popu-

Popularibus suis tribuere mallet: multa solicitudine egit recessum dissuadendo, neu tot rebus præclarè gestis, à se discederent efflagitans, insuper stabilius obsequium ex cōmisso Casimiri requirens. Sed responsum à Ducibus, pro se quidem modestè, pro iniuria Danorum ingenuè, in quorum terras auxilio se missos meminerint non grauamini, vtq; excuterent non augerent vastationis miserias. 1658.

Certè, non fucatæ virtutis testimonium ad posteritatem tulêre nostri, compellato, post insessam Insulam Alsen, à Rege Daniæ Czarnecio literis, in eum tenorem.

Fridericus III. D. G. Danìæ, Noruegiæ, Vandalorū, Gottorumq; Rex, Dux Slesuici, Stormariæ, ac Dithmarsiæ, Comes in Oldēburg ac Delmenhorst &c: *Singulari fauore ac beneuolentia nostra præmissis, Illustrissime Domine, sincerè gratèq; Nobis dilecte, maxima cū existimatione nobis relatū est, quomodo Ill: Vestra diuersis conflictibus, nouissimè etiam in occupatione Insulæ Alsen, sitorumq; in ea Castellorum inter alias hostis copias numero militum, plusquam triplo suis fortiores præuius agmini profligando, virtutem suam verè Heroicam, cum clade & admiratione omnium exercuerit. Quemadmodum nobis semper de Ill: Vestra, vtpote Duce rebus gestis clarissimo, gratulati sumus, affectumq; Serenissimi Regis Vestri fraternū, in auxilium armorum nostrorum Ill: Vrā: submittendo, abunde deprehendimus: ita beneuolentiam nostram Regiam, quam meritis suis etiam apud nos, Ill: Vr: acquisiuit, contestari hisce voluimus, ex animo optantes, vt felicissimis quibuscunq; successibus, fama Ill: Vr: non solùm Patriæ, sed exteris etiam cognita, vniuerso Orbi, præsertim huic Arctoo, magis magisq; innotescat. De cætero, certò sibi persuadeat Ill: Vra: Nos, quidquid officiorū Nobis præstitum fuerit, grato animo, omniq; fauore Regio cum Deo & tēpore agnituros. Dabantur in arce nostra Regia Hafniæ die 24. Decembris Anno 1658.* In fronte literarum titulus. Illustrissimo sincerè grateq; Nobis dilecto D. D. Stephano in Czarnca Czarniecki, Terrarū Russiæ Palatino, Exercituum Regis Poloniæ Generali &c: &c:

Littera Regis Daniæ ad Czarnecium

Col-

1658. *Coldinga occupata.* Coldingam in prominente maris littore Daniæ Reges olim permuniuêre, adiecta oppido Ornsburgo arce, naturæ & artis adminiculo tutissima. Eius oppugnandæ copiam ab Electore Poloni obtinuerant, (quo perseuerantis obsequij species maneret) velut nuper fusarum illuc cohortium probrum amoliturі; reuera, vt separatim virium experimentum faciendo, inuidis quid suopte Marte possêt monstrarent. Concessit haud grauatim Elector quod negare non poterat, dumq; peditũ legiones in adiumentum operæ addit, excusauit haud opus esse Czarnecius, quatuor tantum tormenta in verberationem mæniorum recipiens. Sacer Christi Natalium dies erat, tranquilla deuotione Christianis transigi solitus, cum Sueci apud Arhusium in nostros adeo repente euoluti, vt sacris de mane intentus miles, ægrè tempus ad insternendos equos habuerit. Ast sustinentibus tantisper impetum excubijs, donec signa prouolant, ad primum accursum cohortium repulsi Sueci, dumq; per duo Milliaria retro abeunt, simul insistentes fugientibus Poloni Coldingam inuadebant, exterritis subito metu oppidanis, & defensionem omittentibus. Cognito in celeritate constare victoriam, nihil moræ quin cohortium iuuentus mænia subiret pedes, & post perfunctorium certamẽ ponte deserto, dum maior hominum turba in castellum refugit, quàm vt loci angustia caperet, & ob coarctatam Castelli aream arma commodè defensor miles expedire nequit vrgentibus strenuè Polonis supra spem, loco alioquin commodissimo nec inualido potiebantur. Quo, vt irruptum, nihil obstitit, quin miles pro more victoriæ ferociret, maximè irritatus, vbi aliquot Commilitones parcentes dedititijs perfidè necati intereunt; tum, quod eo loci haberetur Suecis receptaculũm à mari furtiuis incursibus in nostros prorumpendi. Etsi loci occupatio funesta admodum extitit, dum reclusis in Arce fornicibus, inter alia prædam pyrium quoq; diripit miles, ac gregarius aliquis scintillantem fomitem eadem manu tenens, quâ puluerem rapit,

rapit, fortuito incendio quod luctuosum afflixit victores; 1658. quorum XXX. in ipso promptuario, vehementia ignis derepente exanimati, complures effusè spatiatâ flammâ perniciosè afflati aut disiecti, etiam vnus vicino parieti illisus, feralem tragici exitus memoriam, cruore & cerebro excussis, in muro contiguo designauit.

Obsidium Thorunij sequitur, Casimiri Regis præsentia *Obsidiũ Thorunij.* celebre, aperiendæ defluitationi amnis pernecessarium, & tàm actiuè quàm passiuè præclarè factis militaribus memorabile. In occupanda ante triennium ea Vrbe, Carolo Sueco nonnisi intra verba conatus steterat, sine cæde & sanguine transactâ deditione; in recipienda Casimiro immensus labor, sanguinis ac sumptuum iactura ingens; hinc emergente paradoxo, pluris quándoq; constare proprietatis vindicationem, quàm vsurpationem alieni. Vnde derivetur cognomen Vrbis, in obscuro latet; conditam sub Annum CH. 1235. refert Guagninus, à Crucigeris ea tẽpestate rerum in Borussia potientibus: quod prisci æui structurâ vetustum in morem mænia, è solido lapide firma testantur. In aduersâ ripâ Dybouia hæret, intermedio tractu prominentibus longè latèq; paschuis, & præter mite cælum commendata agrorum fertilitate. Fama Vrbi nomẽq; ex studio mercaturæ, vnde parta per longam pacem opulentia, olim sub Stephano Comitia Regni isthic celebrata sunt, sed maximè aucta gloria, quòd priore Suecorum in Prussia bello, armis & insidijs Gustaui Wrangelis petita, vim animosè eludens, æquè strenuam se quàm fidám Regibus Polonis exhibuerat: nunc fatali quodam turbine, Suecorũ rationes & partes secuta, rigidum admiserat cum nouo Domino capistrum, inducto præsidio frænatâ, Ciuibusq; militari iurisdictioni traditis; cum antea semper ius dicente Magistratu Vrbico, lenissima legitimorum Regum imperia experiretur. Fratri Adolpho Bipontino Carolus Rex vicarium commiserat abiens in Daniam imperium; Benedictus Oxenstirna, Polyticis attendebat rationibus &

1658. regimini; in præsidiarium militem Vrbesq; Gubernatoribus omnimoda incumbente iurisdictione. Præerat sub Commendantis nomine Thorunio Stenon Bielke seu Bielcas (Ioachimus Pastorius Borealia nomina reducere ad latinã inflexionem solitus, Bullouium vocat) cui præsidiariorum supra Quingentos Tria Millia; Vrbs recentibus firma operibus, conuenæ obsequentes, addicti ob communia Sacra Ciues; Præfectus ipse pariter astu & dexteritate valens, vt obsidium id non perfunctorij actus negotium censeri debuerit. Superfluum arbitror Castrorum typum, ac militarem circumuallationis orthographiam, aliaq; particularia prolixius referre, ad architectonices præcepta magis, quàm historiæ seriem pertinentia; quæ, nec prudentes requirunt, nec explerent curiosos. Rem ipsam denarro. Medio ferè Septembre Rex Casimirus in Castra venerat, operibus quàquaversùm, ac protenso vallorum tractu egregiè permunita. In Exercitum summa imperij penes Georgium Lubomirski Mareschallum ac Campiducem; Illustrissimus IoannesSobieskiSupremus RegniVexillifer Equitatui præerat; quadrifariam tunc diuisis copijs: cum Potocius Generalis in Vkraynam intenderet; Holsatiâ detineret Czarnecium; Sapieha Moscho opponeretur; quarta demum parte cum Rege in recuperandum Thorunium conuersâ. Armamentarij cura penes Christophorum Grodzicki, Castellanum Leopoliensem; Andreas Potocki Castrametator; Stanislaus Iabłonowski Excubiarum Præfectus; Ioannes Sapieha Campestris Regni Notarius, Martinus Zámoyski Dapifer Leopoliensis, tum alij viri Illustres Equestrium alarũ Ductores: Cæsareanis imperia dabat Franciscus Comes Zuza, Huldensternus, Kielmannus, Zuchmanus, Corona, Buchaymus &c: Generales. Heysterus Equitatui, Suchius vigilijs præerat, Hatsfeldij quoq; ac Marchionis Badensis Legiones alijs septem superaddebantur. Prætoriani, (corporis custodiam seu Guardiam vocant) sub Wolphio Dynemburgensi Præfecto, Mille CC. Desultoriorum phalanges

ges regebat Bokum, præclaræ Nobilitatis Liuo. Peditum 1658. legiones duxêre, Wilhelmus Marchio Butlerus, Otto Ernest Grothausen, Iosephus Łaczynski, Iacobus Giffa, Ioannes Paulus Celary &c: Lætum præsentia Regis agmen prope XX. Millia complebat: intenditq; sine mora Casimirus alacritatem, iam de die excitare opera iubens, ipse ad valla Tribunis misceri, gregarios præsentia erigere disponereq;, & promiscuis periculis præsto aduolui continuus. Eadem de nocte sedulitas, consilia peritorum exquirens, & indefessa animi solicitudine totum publicis curis tribuendo, quidquid temporis priuatæ quieti ac necessario respirio detraxisset. Grata hæc in militem iniunctas operas quantocius exequi accelerantem. Subinde leuioris armaturæ cohortes circumiectam Borussiæ oram decurrebant, traiectus ac Syluarum indagines excutiendo, quominus non subsidia modò, sed omnem alimenta importandi possibilitatem, obsessis præcluderent: & rarò isti vacuis manibus redibant, complures captos adducendo, qui colloquio suorum oblati, nullam spem succursûs, ab hærente in Dania Rege Carolo, ex vero denarrabant: donec Præfectus sermonum commercia abrumperet, per eiusmodi rumores apertè militum animis labascentibus. Magni dehinc momenti nec minoris laboris opus fuit, ponte Vistulam insternere, sub autumnum increscentibus vndis, ac superstructã molem aliquoties excutientibus. Superior tamen humana industria elemento, postquam maiora nauigia rudentibus connexa immanes trabes sustinent supernè instratas, ac ita aquarum violentiâ domitâ, iniectoq; flumini ponte, velut terrestri itinere, immania plaustra supra dorsum Vistulæ commeabant. In militari dein consilio de modo prosequendi obsidij deliberatum, gemina via vt solet in recuperandum Thorunium ducente, vel aperta vi subigendo, vel sponte Suecis in honestam deditionem inclinantibus. Hinc periculi minus, plus temporis, illinc breui momento confici opus apparebat, nisi infallibile discrimen; & succes-

1658. sus incertitudinem plures suspectarent; non iniquè expendendo obfirmatam in extrema præsidij constantiam, etiam ob eminentes operum moles Vrbi circumdatas, quibus triennio Suecorum labor insudauerat, vt locum permuniret accuratissimè. Quin etiam Ciues induruerant animis, friuole illato, temere credito rumore, receptum quoquo modo Thorunium vti Cracouiam, tradendum fore Austriacis, non tantùm vt præsidio firmarent, verum donec Regnum exoluit impensas in bellum retinendum. Vnde Thoruniensibus ob sacrorum dissidia metus, quæ seuerissimis legibus Austriaca pietas coërcet, duo maximè pro arcano dominationi contrario tenens; libertatis vsurpationem, & religionis differentiam. Ea, hostesne ex astu? an ex inuidia æmuli sparserint, in medio relinquo? Certè manente obsidio patuit, nullas magis quàm Cæsareanorum stationes impetitas à Suecis erumpentibus, præcipuè quà Suchius Generalis, ac Baro Buchaimus metati consistebant. Erigebat interim obsidentium studia, proximiorum Palatinatuûm Nobilitas, in remedium inopiæ publicæ collatitiam annonam, in castra ad Thoruniũ Regia submittendo. Ab vsq; Posnaniâ, imo Silesiæ finibus contiguo Wielunio, deuehebantur alimenta resouendo pediti; qui nulla in excursus pabulatorios facultate, si esurit languet: & vbi inedia macerauit corpus, haud diu animum bello aptum sustentare valet. Interea è machinis in Vrbem dati ictus, primò à Cæsareanorum statione, quæ eminentior situ non nihil proficiebat, quassatis murorum summitatibus, vel ipsa D. Ioannis turre vehementia ictuum conuulsa. Sed nihil vsu horribilius aut effectu nocentius, sphæricis globis quos Granaty, iam nunc Bomby vocant; Grodzicio exquisitos pyrotechnicæ artis structores, opimis stipendijs conducente, vbi maximè vsus Patriæ postularet; inter quos eminebat ingeniosâ solertiâ Goëtkant, nouus sæculi Archimedes, stupendorum machinamentorum pararius & autor. Is, præter iactos diuersi modi ignes, tectis incendia, hominibus stra-

stragem ferentes; molares lapides intra Vrbem aut adsita opera mirando sanè molimine inijciens, ædium summa intimaq; horrendis fulminibus concutiebat; quæ saxa vi ignis in sublime rotata, demum in fragmina dissilientia, non modo ineuitabiliter obuios proterebant, sed fumus ipse flammæ artificialis comes, secreta in nocendum arte corruptus vt quemq; inuoluens, tabifica lue inficiebat; ea maximè quam Medici Scæletyrbe, seu affectionem Szkorboty vocāt. 1658. Par Germanorum industria circa latomicas suffosiones spectabatur, Vrbem cuniculis suggredi allaborantium; quà ingenti ab extra munimento in hæmicycli formam defendebatur. Excitauerant siquidem ab austro Sueci ad arcendam vim eximiæ molis Cornutum opus, seu terreum munimentum, in eam altitudinem exporrectum, vt non modo retro se Vrbis mænia, verùm circumiectas à latere munitiones eminentius cæteris tueretur, indito Kawalier Szanc nomine: loco in propugnandum nonnisi probatissimis militum concessibili; nec minus nomen & famam merituris, qui in occupandum niterentur. Huc itaq; primo per accessus operum eniti oportere vbi iudicatum, mox flagrantissimè via obsidionali in molem vis directa, præcipuè à Giziana statione, isthàc nostris cum Baron Suchio impigrè laborem subeuntibus.

Dum in opere feruent animi, Casimirus interim offerre clementiam tàm præsidio quàm Ciuibus non alienum ab ingenio suò censuit, misso ad Præfectum Vrbis prius Tubicine, dein Trabucco Secretario cum plenioribus mandatis, quominus vtriq; ad pacatiora conseruandæ Vrbis media concurrerent; sed maximè incolæ Vrbis, neu extremam accersendo famam hosti, & luctuosum sibi belli epilogum adornarent. Negauit Præfectus Ciuibus respondendi vices competere, quorum ipse pro capite esset, quem dum rursus pertentat Cancellari9 Prazmouius, solicitatorijs in deditionem literis, ad vtramq; requisitionem negatiuè Sueco fastu respondit, animi peruicax, ac in tuendum locum audacia

1658. dacia & prouidentia paribus. Neq; visũ vlteriori benignitate ferociam temnentis alere, proclamata generali impressione; autore vel maximè Mareschallo Regni, ac in consilio Cæsareanum Ductorem vbi diuersa suadet perstringente; qui, etsi bellis à prima iuuentute innutritus, iam tunc (nisi aliquid secretioris consilij lateret) annis ac lassitudine grauis, multum de pristino indolis vigore remisisset. Vnde, subortis licet offensionibus, quas tamen Regis præsentia mitigaret, confestim mandato Casimiri omnium curæ in apparatum oppugnandi vertebantur. Die XVII. Nouembris, Peditum legiones sub Tribunis quæq; suis prodire iussæ, horrida acies dum signum assiliendi expectat, continuò tympanorum fistularumq; concentu Martem ciebat. His permixti Desultoriorũ manipuli, Equestres item alæ circumpositæ, quæ eminus prohibendæ aut reprimendæ eruptioni attenderent; Castrense quoq; famulitium ad opus concurrens, ex trabibus opercula, casarumq; agrestium dimidiatos parietes rotis impositos præseagebat. Ad datum impressioni signum, prouolant vndiq; armatorum globi, ac in varias Vrbis regiones feruntur, Mareschallo, cum Tribunis suos; Zuza Generali Cæsareanos in assultum disponentibus. Primam Iacobus Gissa legionis Tribunus nostræ impressionem sortitus, cum Quingentorum manu propugnaculum maius adoritur, signa infert & pugnat, reiectisq; qui se in plano obiecerant Sueci, tractili ponte fossam insternit; dumq; vltra audens palorum ordinem (Palisada) succidit, amissis tredecim gregarijs ab ipsa molis radice retruditur: adeo denso in suggressos incidente telorum nimbo, vt si vnaquaq; glande scopum tetigissent Sueci, singulis oppugnatoribus trucidandis suffecissent. Simul resonuêre tàm horrenda quàm exitiabilia phalaricarum tonitrua, & continenter missiles dati ignes, quibus obuij quiq; nulla euitandi prouidentia flammarentur: etiam ipsa noctis obscuritas, formidini & periculo fuit, ac confusi pugnantium clamores etsi non geminarent terrorem, certè corrum-

pebant

pebant imperia, vt non ardor modo remitti per tenebras, verùm & ordo aciei labefactari, & signa retro verti cæperint: quoad Mareschallus irreuocabiliter primum agmen regredi aduertens, ad legionum stationes peruectus, orientale latus Vrbis, quo via obsidionalis pertingeret, adoriri imperasset; succumbentibus Gizianis, Butleri ac Grothausi signa in succursum destinando. Enimuero, recruduit iterum certamen, legionibus subtus propugnaculum animosè illatis, & postquam præiuêre, omne pedestris aciei robur in assultum nitebatur; pontes isti manuales fossis inijciebant, conuellebant vimineas crates, & è solido cespite structa defensoribus opercula: admouebant scalas alij, palos succidebant, & omnes infernè in demoliendas hostium operas nitebantur. Nec segnius resistebant Sueci, adeo contumaciter repugnantes, vt protenso autumnalis noctis spatio, irritum ambigua sorte certamen in adultam diem distinuerint. Interea, remittente per interualla pugna & militari fremitu, audiebantur in summitate propugnaculi improperia & cauilli, imbelliam nostris exprobrantium, interq; alios vnus prægrandi machæra ambabus manibus rotata, vt quemq; ex Polonis sub diluculum ad conserendã manum prouocabat, supera statione tutus, & vltra quingentorum stipatus adiutorio. Non tulêre improperium nostri, ac velut ad capiendum locum inuitaret præfracta prouocantis audacia, resumpta tertium impressione, in molem feruntur, claustris quidem ac repagulis nudatam, sed ipsâ terrei parietis accliuitate & eminentiâ inaccessibilem. Hìc, Paulus Celary Tribunus ad radicem molis cum legione sua penetrans, dum accliui operi statura crassior & corpulentus adrepit, hastarum contis à superstantibus Suecis in ima fossæ detrusus prolabitur, casu propè lethali, nisi Iacobi Czarnowski, in legione primipili, priuigni sui, præsenti subsidio subleuaretur. Similis aliorum reiectis scalis depulsio; donec post pertinax trium horarum certamẽ, deserta recessu Suecorum moles, in potestatem nostrorum

veni-

1658. veniret. In loco credidisses includi vitalia Thorunij, in eo namq; exaggerato terrâ Cliuo, antequam Vrbem, prius expugnauerant Poloni superbam illam hostis contumaciâ. Periêre eo experimento vltra Quadringenti ex nostris Legionarij, Ductores Ordinum è Cæsareanis quinq;, Poloni duodecim, inter præcipuos Ioannes Berg Butleri Primipilus (Maior), tum Simon Klebek, sclopigerorum equitantium Centurio, Delpacius, quin etiam Celarij Legionis Legatus notabiliter saucius, insuper complures è Castrensi famulitio, per noctem ac vallorum latebras irrequisiti occidêre. Casimirus Rex albescente die obequitauit Legiones, ex merito debitas iam Ductoribus, iam militi laudes tribuens: ac vt quisq; præclarius sub aspectum Maiestatis rem gesserat, decerptas ex regali vestitu ligulas elargitus, in adiumentū memoriæ, quas posthac recognoscens, benemeritos Regia prosequeretur minificentia.

Recepta munitione, seu Rauelino, protinus vena Thorunij explorata fuit, in qua Vrbe vt ante experimentum nihil non ferox, ita vbi viros pernouêre, sensim desidebat ferocia; adeo in expugnationibus Vrbium plus vnciam mōstratæ fortitudinis, quàm deuncem ostentati terroris valere palam est. Statim municipes, & quæ pignoribus non iniustè metueret conuenarum turba, angi occipiebat; impendentis periculi solicitudine, etsi nec militares viri imò Ordinum Præfecti curas salutis abijcerent penitus, & manifestè priuatis necessitudinibus commoueri ostenderent. Vnde primo à Ciuibus ad Bullouium postulatum missi, quatenus tutellam eorum non perniciem demandatam sibi reminisceretur; satisfactum iam famæ & fidei, imò commōstrata sat superq; virtutis specimina, acri exteriorum operum propugnatione, nisi maior vis præualeret. Ereptum à Polonis Rauelinum, qua mole velut brachij valentioris obiectu se in eam diem tuebantur, ademptâ eâ nihil restare amplius, quam vt prensata victoris misericordia, imminenti exitio subtraheret Vrbem Præfectus. Id non solùm

Ciues

Ciues incolasq; sed & militem velle, ex cuius conseruatione plùs Bullouium de Rege & gente sua meriturū, quàm si ex ruderibus euersi Thorunij Mauzolæum tot capitibus struxisset. 1658. Dicta hæc, velut alia sentienti, sincerius animū Oxenstiernæ Comitis promouêre, qui, (vti memoraui) à Carolo datus Prussiæ director vel Regens, supra Bullouium autoritate erat, ac iubendi potestate. Etsi is quoq; diffidentiam à Casimiro obtenderet, quod Varsauiensi deditione sub fide publica dimissus, conditionem redeundi haudquaquam expleuisset; vnde factum, vt errorem correcturus, eligeret cum reddita Vrbe notæ Regis clementiæ se permittere, quàm cum intercepta præhendi. Plus in Bullouio moræ, qui aduersùs insinuatam dedendi mentionem crudus, non solùm in sensum perdurandi plerosq; è militaribus traxerat, verùm intermisit carpendis per crebras eruptiones obsessoribus, magis noxius dum expectatione proximæ deditionis solutos adoritur. Notabilior die tertia Xbris accepta clades, quâ de nocte prorumpentes Sueci vnde XX. nostrorum strauerant. Proin irritatus cædibus miles, rursus iterandæ impressionis facultatem poscebat, in eos, qui toties ablatam Regis clementiam fauore abusi temerè spreuissent; præsertim castrensi famulitio in resumendum assultum spe prædæ cupido, imò cunctis, vbi prima occupauerant discrimina, contemnentibus instantia. Ast Casimirus ab indole sua abire indocilis, concessis VIII. dierum Inducijs, inhibere omnem hostilitatem mandauit, præsertim cum Oxenstierna in quo autoritatis cardo & momentum, tantillum nonnisi temporis interstitium requireret. quo fratrem Regis Adolphum aliunde subsistentē; de fortuna Thorunij requirere posset. Neq; Adolphus, cui neutiquam pro modo Caroli indoles, cognito ad incitas redactæ Vrbis statu, improbauit deditionis consilium, modò sine probro & præsidij intro existentis securitate pacisci fas esset: cum per vim subacto Thorunio, nè ipse quidem tuto consisteret Mariæburgi. Ita quarto ver-

to ver-

1658. to vertente obſidij menſe, ab Oxenſtierna delegati ſunt, qui Vrbem permitti arbitrio Caſimiri ſub honeſtis conditionibus offerrent. Totum quippe rei negotium committebat Adolphus Comiti, viro elegantia ciuili, & vſu rerum gerédarum ſub patruo nuper Sueciæ Cancellario apprimè inſtituto. Vbi patuit, municipes proprio metu, præſidiarios deſperato ſuccurſu, ſeriò in tradendam Vrbem inclinare, excepta aſſenſu propoſitio, ac viſum, eadem via recuperare Thorunium, quo modo ante triennium in Suecorum poteſtatem tranſierat. Condictæ in tradendum locum Leges, quia ab aliarum Vrbium deditionibus non diſcrepant, vti tædioſum parergon adnectere ſuperſedeo; etſi ad manum ſit prolixior vt vocant capitulatio: eos tantùm qui ſupra receptos alijs Vrbibus articulos, conuentioni adiecti fuêre inſero, nempe: Thorunienſibus Incolis data præteritorum amneſtia, tum Religioni & immunitatibus à ſpeciali Ser: Regis Poloniæ gratiâ cautum. Comes Oxenſtierna ab obligatione datæ fidei liber pronuntiatus. Nummi in Pruſſia ſub titulo Regis Sueciæ cuſi, ad punctum vniuerſalis pacis valorem obtinerent. Generalis Korycki tantiſper penes Suecum hærentis vxori, ſaluus conductus quo volet emigrandi conceſſus. Inſtrumento deditionis, ſubſcriptione manus Regiæ, pro maxima ſecuritatis ratione, dein à delegatis Regijs firmando. Quod demum ſubſcripſêre.

Ex Regijs.	Ex Suecis.
Andreas Morſtyn Reg: Pol: Referendarius.	*Ericus Brukaw Dray, Colonell: S. R. M. Sueciæ.*
Vladiſlaus Rey Neocorczynen: Præfectus &c:	*Benedictus ab Halten, Colonell: S. R. M. Sueciæ.*
Bartholomæus à Rautenfels S. R. M. Secret:	*Fridericus Zunder Fraden, Colonell: & Auditor Cauſarum Sueticus.*

Statuto in conſignandam Vrbem die, contulêre ſe ad XII. Deſultoriorum ſigna ſub Elia Łacki Legionis Legato.

Hunc

Hunc ſecutus Caſtellanus Camenecenſis Grodzicki, pars 1658. magna & ipſe dediti Thorunij, cum binis legionibus; loricatæ dein cohortes, quâ exeuntibus Suecis iter, ſuperueniebant; lætum ſucceſſu agmen, & à quo ſuperari victis pro magnifico habebatur. Sub meridiem pro pridie Calendas Ianuarij præſidium ex Vrbe deductum; Exiêre ſimul Benedictus Comes Oxenſtierna, Steno Bilkie ſeu Bullouius Præfectus, Benedictus Skitte, Draco Anglus, Hamiltonus, Zoogius, Halten, Boko, Zunder, tum alij Trium Mill: & quadringentorum militum Officiales. Stetinum deducendorum (modò ſine noxa ditionum Regni abirent) delato negotio Adamo Biſkupſki Wielunenſi, ac Nicolao Oſtrorog Garuolinenſi Præfectis. Ciues demum in Caſtris adiêre Regem, quominus ante triennium traditæ, iam nunc contumaciter defenſæ Vrbis noxam deprecarentur. Et fortaſſe iuſtum rigorem merebatur obſtinata reſiſtentia, vt ſeueritatis exemplum, coerceret procliues in lapſum munitarum Vrbium Ciues; at, ſatis fuit coarguiſſe ſupplices ſic imbuto Regis animo, vt malis in conſtantiam ſuâ, proſperis pro Rep: vteretur. Aderant ex Magiſtratu Ioannes Preus an Prus, ac Strobandus Præconſules, quos humiliter genibus Regis aduolutos, dum excipit meditata oratione Syndicus Vrbis, in ipſo exordio verba facturum deſtituit ſermo, obſtupuitq; ſeu fragilitate memoriæ, ſeu fulgore Maieſtatis perſtrictus, vt ſocij linguæ inopiam, ſupplere pro neceſsitate Pruſſus debuerit. Iſtis per Cancellarium Regni eo ferè ſenſu reſponſum. *Fatiſcere ac deprauari in hoc ſæculi decurſu Orbem, vel hinc patet, quod laudata olim & in gradu excellentis virtutis poſita Thorunienſium conſtantia, iam nunc in vitium degeneret, & corrumpatur. Quis crederet eam Vrbem, vtraq; hiſtoriæ Polonæ pagina laudatã, ad tam abſurda delabi potuiſſe, vt non modo criminoſæ ad hoſtem defectionis, verùm contra mitiſſimum Regem, contumaciæ armorum oppoſitionis, rea agi & damnari poſſit. Guſtauum Suecum olim, ex inſidijs Vrbem aggredientem Patres veſtri*

Aderant ex Magistratu Joannes Preuss Praeconsul, Joannes Hübner Consul, Jac. Wachschlager et Jac. Giering Scabini, e tertio Ordine Tres.

1658. *stri generosè repulère armatùm; cur degeneres filij intra mænia ne exerto quidem ferro Carolum sponte admisistis? vel si semel labi humanū est, cur commissum Urbis traditione crimen ad legitima imperia sponte reduces non emaculastis? Tædium vos libertatis Patriæ capit, & interim frenum absoluti Dominij admittitis? Si fatalem vniuersi Regni casum supino errori obtenditis? eccur non Gedani exemplum secuti estis, eiusdem fluminis accolæ, immunitatum participes, etiam æmulatores gloriæ constantiæq;. Sed atrox vulnus suspensa manu tractari vult Rex Serenissimus, qui pœnâ corrigere cum possit delinquentes, iam malit clementiâ facere bonos. Itaq; supplicibus parcit, si modò obligatam fidem, geminato iureiurando instauratis: quod tamen boni viri iterare non solent, nisi qui aliquando fefellerunt.* Ita Thorunates in gratiam recepti, & qui grauiora expectauerant, verbis correctionem debuêre. Diuo Ioanni Euangelistæ sacro die, Rex Vrbem introijt, à Ioanne Kosi Episcopo Chelminense, rectâ ad primariam Basilicam ductus, ob agendas Numini grates: E templò Regina comite, ac è Senatu præcipuis in Prætorium diuertit, læto acceptus populi plausu & acclamatione; si modò sincerâ multitudinis lætitiâ esse posset, templa, muros, ac suas ipsorum ædes deformatas conuulsasq; aspicientis; coniectura tamen valuit non vsq; simulantèr lætari, vbi Austriaco præsidio liberos se intellexerunt. Quippe totius Prussiæ gubernationem committebat Rex Castellano Camenecensi Grodzicio; Thorunij Gubernatore Ioanne Paulo Celary Tribuno renuntiato, cum præsidio duorum Millium peditatus, donec incolæ veternum excutiunt; ob formidolosam Mariæburgi viciniam. Recuperatam Vrbem insigni oratione gratulatus Regi, Ioachimus ab Hirtenberg Pastorius, sub titulo Calendæ Regiæ: de eo viro, quia se dat occasio aliqua, interferere libet. Is à puero inter Sectarios quos Reformatos seu Caluinos vocant, extera per gymnasia humanioribus literis imbutus, quâ solutâ quâ ligatâ eloquentiâ inter doctos inclaruerat. iunior Doctoratus

tùs Medicinæ Lugduni Batauorum lauream, simul exoticarum linguarum cognitionem adeptus, perelegans concisâ facundiâ, & breuitatem amanti sæculo accomodatâ. Pleraq; ingenij eius monumenta habemus, vtpote Aulicum inculpatum ex Gallico in Latinum versum; Bellum Scythico Cosacicum; Florum Poloniæ &c: Ioanni Leszczynski Palatino Poznaniensi post Cancellario Regni, varijs legationibus lateri comes adhæsit: demum eiurato Caluini dogmate, ad gremium Ecclesiæ Catholicæ reuersus, ac soluto morte coniugis matrimonio sacris Ordinibus initiatus, dignus fuit, qui in inclyta Gedanensium Vrbe, ad Orthodoxam animarum curam, sub titulo Parochi admoueretur. tum alijs honoribus Ecclesiasticis perfunctus, vt prope ad Infulas si prouixisset destinaretur, quod ei tempori, vel quod magis Principi literis inter arma fauenti debitum. 1658.

Receptæ Vrbis lætitiam, cumulauêre Bienieuij ad Cosacos Commissarij literæ, nuntiantis Regi duram incolatus Vkraynensis ceruicem ad debitam Maiestatis venerationē, iam tandem inclinari; vbi Cosaci abdicato in totum Moschi patrocinio, se fidemq; suam, perpetuo & constanti Reip: obsequio addixissent. Literariam relationem oretenus confirmabat Daniel Wyhowski Patruelis Ducis, ab vniuerso Cosacorum Exercitu huc testandæ subiectionis missus: simul auxilia aduersùs grauem Moschorum potentiam Zaporoscensibus flagitatum. Lætanter internuntios accepit Rex, multùm sibi gratulatus, quod tandem aliquando inueterata perduellio ad mænia eius Vrbis veniam supplex deposceret, cui in alieno demerito exemplum clementiæ intueri perquam vtile esset. Is demum abeuntem Principem sequi iussus, qui, vt ex voto Zaporozcensium à Rege satisfactus & expeditus fuerat; verùm & submittendo confestim auxilio erectus, sequentia indicabunt.

Præterita in Iulio Comitia non consensus magis Ordinum, quàm noxiè Varsauiam corripiens pestis finierat, cunctis luem vitantibus; ac dum quisq; sibi timet, singuli

1658. prouiſu ſalutis in diuerſa dilabebantur. Mos obtinet, in Comitialium actuum concluſionibus, delegari ex gentibus ſex viros Cenſorum ac inſtar, qui ſancitas leges cum Mareſchallo Equeſtri in ſolidum expendant, redactasq; in ordinem, demum prælo ſubdunt publicandas. Accedit aliquis Cancellariæ alumnus ſtylum operamq; commodans concinnandis. Mareſchalli munere, Vladiſlaus Lubowiecki Iudex Cracouienſis, vir omni exceptione maior, fungebatur, Collegas ad correcturam nactus, Chryzoſtomum Giżycki Iudicem Wielunenſem, Martinum Dębicki Vexilliferum Sandomirienſem, Ioannem Chrapowiecki Vexilliferum Smolenſcenſem, ac Martinum Limunt Iudicem Lidenſem, fide integra omnes & continuo vſu negotiorum exercitos; qui tamen, vrgente peſte, dum obiter expediũt functionem, alicui ex aſſeclis Aulæ manu ſcriptum legum codicem credidêre, futurum fore ſperantes, vt is, pari candore fidei commiſſum, prælo ad imprimendum de integro traderet. Sed fidem amico fallente, genuina ſinceritas Conſtitutionibus defuit. quippe intruſa multa, quæ anteriores Regni leges conuellerent; plurima inſinuata, quorũ ne mentio in Comitijs extiterat, & omnia inuerſa reperiebantur. Vbi in publicum codex euulgatus, damnatur praua editio ab omnibus, negat Senatus adulterinis paginis fidem, Nuntij Terrarum de falſitate proteſtantur, inſurgitq; querela cunctorum vehementiſsima: ac quod deterrimũ, dum autor mali aut latitat, aut à conſcijs occulitur, vapulat interim Comitiorum Mareſchallus, vir alioquin probus, nec niſi ex feſtinato itinere culpabilis. Lublini tunc Commiſsio expediri debebat, vbi diſpunctis nominibus, ſtipendiarium æs militi exolueretur: præſto expectabant cohortium Delegati, retenta æra numeraturi; comparebant Commiſſarij, aderant Exactores ad calculum vocati, etiam pleriq; publicis pecunijs exigendis delecti ſe exhibebant, ſed vacuis vt aiunt manibus omnes abire coacti; quod Prouinciæ ob adulteratas Conſtitutiones contribuere omnino noluiſſent, excuſantes. Hinc cordolium militi, eam dilationem verius eluſionem indignanter ferenti: vnde poſt motiuum exoriendæ Confæderationis militaris extitiſſe creditum, quæ, vt exitiabiliter coorta, demum & operoſè ſopiri debuit, in tempore trãdam, bonorum malorumq; Patriæ, ex fide & ordine relator. Eum ſanè deprauatarum Conſtitutionum errorem, plerique Aulæ imputauêre, illa correctores accuſauit, iſtis in crimen Typographum quaſiverò ſubſtituentibus. Certè in Lubouieciũ culpa reijci nequibat, cum is manuſcriptum ſeu autographon Conſtitutionum ab impreſſo diuerſum produceret; idq; ipſum relectum ſibi Rex teſtatur, & præſentium Nuntiorũ aſſeueratio confirmaret. Ergo, noxia pagina piaculari igni addicta ſubit pænam, ac quod præuaricatoris manus peccauerat, innocens papyrus vindice flamma luit, medioq; foro publici miniſtri manu crematur: quominus exẽplari in chartam animaduerſione ſedatis odijs, probrum obliteraretur. Lubowieccij item innoxiæ famæ conſulendo, Edictum Regis prodijt, quo imputatus peſti error, ob quam non ſat probè plerisq; omiſsis, aut cõmiſsis erroribus, è Typo prodierint Conſtitutiones: ſimul omnia exemplaria caſſata, & pro inualidis declarata: tum, quominus librarij diuulgare aut venum circumferre haud præſumerent, ſub papyraceæ mercis confiſcatione ſeuerè inhibitum: mulcta in contrauenientes per officia aut Magiſtratus locorum exequenda; diuerſi modi interim ſubſtituto Codice, qui ab erroribus repurgatus, contineret ſincerius impreſſas Conſtitutiones.

AN-

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECVNDI, REGNANTE IOANNE CASIMIRO LIBER QVINTVS

Elenchus Contentorum

An. Ch. M. DC. LIX.

PRosequendi belli curas in Polonia militaris Nexus interrupit, irrita Lublini ob non comportatas Exactiones Commissione. De eo Confœderati Exercitus cætu, vt Magistratum sibi alium surrogauerint, legesq́ nouas constituerint, adiunctum. Afflicta tunc si quando Regni facies, super belli mala vexatis militari licentia agricolis, imò cuiusvis Ordinis hominibus. Castellani Cracouiensis ab istis indigna tractatio: simul pro demerito pœna à violatore tranquillitatis publicæ exacta. Wirtius in Prussiam irrumpit,

pit, ac vel maximè Gedanum territat, in Curlandiam penetrando. Colligatorum armorum per Holsatiam status. Carolus Suecus hyemis beneficio Kopenhagen obsidet, ac oppugnat; demum reiectus irrito conamine abscedit. Colligati ex hybernis mouent, ac Friderichsburgum obsident; in Fioniam dum transfretare conantur, commissa apud Middelfarium nauali pugna ambigua recedunt vtriq́ Victoria; nisi quod Dux Cæsareanus grauiter læsus prælio finem imposuerit. Moschi contrà Poloniam animum hostilem produnt, Exercitibus in Lithuaniam immissis. Comitia Generalia Varsauiæ celebrata, in quibus belli Sueco-Polonici sopiendi, mediatorum studia feruent. Cosaci contra Moschos bello insurrexêre, insigni victoria ad Konotop, Ductore Wyhouio potiti. Opalinius, dein Czarnecius Ductores Poloni ex Holsatia in Patriam reuocantur; etiam Elector inde recedit in Pomeraniam, in proprijs terris bello Suecos aggressurus; quo itidem Generalis Zuza perrexit cum Cæsareanis. Mareschallus Lubomirius Mariæburgum in Prussia obsidet concurrentibus in opus Gedanensibus, qui Hauptum seu Glowa fortalitium Suecis à Polonis adiuti eripiunt. Douglassius in Curlandia armis Lithuanorum constrictus. Sueciæ ac Daniæ Reges iterum reparatis viribus bello experiuntur, nouissima clade succumbente Carolo. Mors Koniecpolij Palatini Sandomiriensis Mariæburgi obsidium protelatur, condicto in geminos menses armistitio. Casimirus Rex Gedanum venit, cum iam eodem conuenissent cum Mediatore Lumbresio, vtriusq́ partis Delegati Plenipotentiarij, seu Pacis Patratores; Loco futuris Tractatibus in Monasterio Oliuensi delecto, etsi minus probarent Sueci, Elbingám omnino transferri eam negotiationem contendentes. Simon Stárowolski Canonicus Cracouensis, multiplici diuersorum scriptorum editione celebris autor, diem suum obit. &c.

DIuturnum bellum quinquennio ante Prouincias Regni ex abrupto inuadens, iam nunc visceribus Prussiæ medullitùs inhærens, adeo lentè ac veluti per gradus, vt extingueretur, non leues curas, nec perfunctoria temporis spatia poscebat; insitâ rebus sublunaribus naturâ, vt non facilius reparari quàm destrui, sanari quàm ægrescere queant, dum semper tardiora sunt remedia quàm mala. Hominem perimit in puncto mors, cuius generationi Nouem Menses impendi necessum, periclitatur repêtè allisa scopulo nauis, quæ fabricanda plusquam annum requirit; etiam Pax optima rerum breui momento bellis quassa- Anno Christi 1659.

1659 *Nexus Militarü.*

quassata fatiscit, in statum pristinum tardè & ægrè reponenda. Hanc iam armis, iam Tractatibus restabiliendam destinabat Casimirus, monitisq; Ducibus vti in Prussiam contraherent copias, in persona ipse adfuturum se bello denuntiauerat; cum solicitissimæ curæ ac desideria, enato recenter intra viscera Regni symptomate, intenti bono publico Principis sistuntur. Exercitus Regni, erigendæ in meliorem statum Patriæ magna parte autor & instrumentum, nulla præsentis temporis habita ratione, retenta stipendia repetere cæpit; non tàm indebitè quàm importunè; nimirum tunc, quando aut in totum leuari bello Poloniam, aut saltem vires resumere lassatam expediebat. Labebatur triennium supra, ex quo irritæ stipendij cohortes, inter lentam debiti requisitionem, & pollicita soluendi silenter egerant; iam nunc aduertentes, auctione in immensum retenti æris, possibilitatem satisfaciendi deperire, emeritam mercedem reposcentibus protelari, tacentibus surripi, vbi pecuniæ publicæ inter eos distrahantur qui non meruissent; Confœderationem seu Nexum conflauêre: odiosum quidem genti nostræ vocabulum, quæ nihil magis in Libertate amat, quàm ordinariæ potestati constanter obsequi; cæterùm stipendia repetendi vsitatum iam ante militaribus commentum, vt vniuersi repetundarum agant, quod singuli impetrare nequirent. Nec debitum pernegabat Resp:, nisi ex succo ad contribuendum populo ac inde exoluendis nominibus impare ærario se excusans; velut studio quæsita morâ ac dilationibus illuderet, desideria expectantium irritauit: illis contra obtentu indigentiæ, interuersam fidem publicam damnantibus, & idcirco Ærariū egere, quod ex eo impertinenter quibus debitū nihil, decerperent. Ad diem secundā Ianuarij Lublini Cōmissio indicta erat, conuenerantq; Deputati Cohortium prouenientia æra numeraturi; ast, vbi vacuo Thesauro rem intra verba stare, & superficialiter tantùm defectu nummûum calculationibus occupari se comperiunt, in Nexum nomi-

na

na dabant: primò, vt leuior quisq; & indigētia audax, dein consensu plurium tracti potiores, ac ad vsq; hastatorum cohortes pertigit contagium. 1659. Quæ de nouo emergens (si dicere fas) Resp: ne acephalon esset. Directorem cætus seu Mareschallum vnanimiter elegerant, Marium Iaskolski Excubijs Castrensibus Præfectum, additis per suffragia manipularium, qui consilia Nexus moderarentur, aut exponerent Exercitûs desideria Adsessoribus: gliscente insuper motu obsequium Ducibus militiæ renuntiauêre, scripserantq; pro se ac Magistratu suo velut sub iusto imperio leges, modestiam & disciplinam spirantes, acri in facinorosos seueritate. Sic rebus commotis solatio erat, Exercitum è primaria Regni Nobilitate constantem, non vsq; perperam in exuti obsequij secessu perstiturum, Gordiumq; nodum facile dissoluendum, modò collatitiæ pecuniæ è Prouincijs conuectæ numerentur, quibus emolliretur requirentium importunitas. Quin etiam non postrema obiter desæuituræ procellæ spes apparebat, turbidum regendi militem facilè ad obsequium reuocandum, delata Iaskolscio cætus directione, qui insigni fide veteranus ac equestri alæ Præfectus, tum pluries obitis Legationibus (etiam recēter Turcicâ) perfunctus, ex vsu Reip: & dictamine Aulæ, animos popularium inflectere posset, vel demum frangere pertinaciam. Vt innotuit coalitum Nexum, protinus Ducum alter Mareschallus Lubomirius Lublinum aduolat, ac primò pro imperio monitor, dein vbi latius malum serpere aduertit, & desunt adminicula seueritati, idem suasorem vt resipiscerent militares agit, obsecratq; ; quominus seruatæ in eam diem Patriæ decus, maculoso ad posteritatem deferri obsequij probro, commaculare nollent. Curaturum se vbi morigeri ad obsequium redeunt, vt breui emeritum æs, vltra, quàm debiti nomine prætenderent, ad assem de toto recipiant, honorario ære quod Donatiuum vocarent à Rep: augendi. Quippe minus conuenire meritissimi Exercitûs famæ, priuignorum more extorta velle, quæ beni-

gna

1659. gna Mater Patria cum fænore elargiri intendat, ſi modò iuſtum tempus comportandis pecunijs conceditur. Itaq; diſceptatum ab vtriſq; diu & acriter, vt ferè ſemper prompt⁹ diſsidio emergit fomes, inter tergiuerſationē debētis, & impatientiam Creditoris; demum quâ Patriæ causâ, quá Ducis nihil non tentantis reuerentiâ, ad mitiora inclinauêre; nimirum, vt quidquid in parato æris eſſet, Legionatim diſtribueretur, aliæ prætenſiones ad futura Comitia differrentur; manente interim in cohortes Confæderationi innexas Directoris Iaſkolſcij imperio: etiam vt Commiſsio Lublino Leopolim transferretur aſſenſi.

Quod verò in Nexu miles exiſtens pro ſe pleraſq; non illaudatas leges, ſimul & ſeueriores pro delinquentibus pænas tulerit, eueniſſe arbitror, vt exuti obſequij act⁹ per ſe minus probabilis, à circūſtantijs ſaltem commendaretur, dum rigor nouus laxatam dudū diſciplinam, & militarem quæuis patrandi licentiam (legitimis imperijs conniuentiam exprobrando) ſtrictè cohibet. Non malæ alioquin leges, niſi incompetens legiſlator ſanciuiſſet: De quibus aliquis protulit, eius boni teſtes & vindices quod ipſi maximè violarent: etiā iſti quæ peſſundederant, corrigere intendentes. Equidem bellum, ceu morbum, nequaquam de toto & radicitùs expelles, remanent mali ſemina, & domito licet hoſte ægerrimè miles dediſcit ferociam. Hinc in Regno tranquillitas publica vbiq, laborabat; itineribus ob rapinas infeſtis, neq; magis manſione in domibus ſecura, cum multi animo turbidi vel per bellum alienâ vexâ viuere ſueti, etiam tunc imperfecta pace, diuerſa per flagitia honeſtum militiæ nomen infamarent. Nec agreſtibus ſolùm iſtorum furor grauis, in ſemetipſos quin etiam ſæuiêre: Nicolaus Sieninſki claris natalibus, Ioannem Gnoinſki nuper pedeſtris Legionis Tribunum, Rakouiæ affinis ſui oppido diuertentem, dum meridiano ſopori indulget ſubitò comprehenderat; obiectoq; quod rurſus ad Suecos pergeret, nullo iure villi iumento in proximum nemus ab-

ductum;

ductum; traiectumq; globis, mactauit; exemplo bonis 1659. formidoloſo, Res conſideratione non indigna, Gnoinſcius nuper in defenſione Cracouiæ operam militarem adprobauerat; poſt ad hoſtem tranſiens Pinczouiam in nomen Sueci Regis contra Cæſareanos tutatus donec dederet; iam nunc nihil virile auſus, præuentus, in pænam deſertæ Patriæ crudeliter cæditur. Sed præcipua diſcinctæ licentiæ materies inhumana ruricolarum tractatio, vbi inſtituendis legionum delectibus peragrant diribitores mappalia, ac per damnoſos circuitus erro miles rapaciter exſugit miſerorum ſanguinem. *Licentia Manipulariũ.* Fortè Staniſlaus Warſzycki Caſtellanus Cracouienſis in pagum Kazimierza ditionis propriæ venerat, cum incolæ ex circumiecta ditione refugi conuolant ad Herum, intolerabilem graſſantis militis licentiam incuſantes, & niſi comprimantur rapinæ, domos & pignora relicturi. Miſertus peſsimæ tractationis Caſtellanus, mittit ad legionis Ductorem deſolatis bonis nomine ſuo indulgeri poſtulans, ac ſuper edicta Regia feſtinationem ad Caſtra iniungentia, bonorum Terreſtrium immunitatē obtendens, quæ veteri lege à militum ſtationibus libera eſſent. Superbè ad hæc Teuto aliquis Centurio reſpondet, ac præmiſſum hoſpitiorum dimenſorem èveſtigio cum manipulis militaribus ſequitur: non agreſtes modo ſed ipſum Villæ Dominum viſitaturus. Eam proteruiam in contemptum ſui verti intelligens Caſtellanus, conuocatis familiaribus vim vi repellere ſtatuit. Paucis multa. Intrat violentus miles pagum, reprimunt intrantem agreſtes, ſuccurrente Hero audaciores, vnde concurſu facto velut inter hoſtes pugnatum; donec vbi armati exermibus præualent, diſiecta villana turba, Caſtellanus ipſe indignum in modum tractatur, planeq; in humum proſtrato imminebat exitium, niſi fidi alicuius miniſtri, ſuper Herum ſe prouoluentis ope protegeretur. Accurrerat ipſo tumultus initio Orzechouius (is Legionis Legatus) in totum felicior ſi abſuiſſet: quippe furenti militi retinendo impar, quem coërcere non

 pote-

1659. poterat tumultum, iuuiſſe præſentiâ creditus. Atrox ſanè facinus, peiore loco ſuos à milite quàm hoſtem haberi? eccui verò amplius publica ſecuritas conſtabit, ſi Senatus Princeps, ac tot in Patriam meritorum Heros, tale diſcrimen inaudito exemplo ſubit? Iam verò quis ferat, à mercenarijs Edicta Regia accelerandum iter in Caſtra vrgentia, temerè ſperni? Leges Patrias quæ bona terreſtria oneribus eiuſmodi ſoluunt, violari? nullam diſciplinæ, nullam modeſtiæ rationem haberi? Nec diu cum inſolens contumeliæ Caſtellanus, pro violento aggreſſu Orzechouium actione in Tribunali pulſat, ac conuincit, captum demum in pæna capitis condemnat. Vbi vitâ eluendum crimen reo, aderant validi Rex & Regina interceſſores, vtq; Actor pro nocente profuturum vſibus Patriæ donaret, per ſubmiſſos flagrantiſsimè vrgendo. Nec alienus in parcendum Caſtellanus, ita tamen gratiam vitæ faciebat, ſi ad gremium Eccleſiæ Catholicæ rediens Orzechouius, Arianã hæreſim eiuraret. Aſt viro obdurati cordis mors potior viſa; nequaquam ſe commiſſurum reſpondente, vt vitæ ærumnoſæ deſiderio receptos ritus deſereret. Itaq; erroris peruicax in area Arcis Cracouiæ repulſis Theologorum ad ſalutem animæ hortamentis, ac vnius aniculæ ſuggeſtione ſuam in perniciem obfirmatus globis ſclopetarijs diſcerpitur. Semimiſer, quòd temporalis vitæ, perpetuò infelix, quòd æternam animæ iacturam volens ſubierit.

Wirtius in Pruſſiam irrumpit.

Sic interrupto proſequendi belli ſtudio, ſubinde hoſtes Regni inualeſcebant, dum Moſchus in Lithuania varios locos arceſq; occupans, res ſuas inibi firmat; nec Suecus incommoda noſtra ſuum in vſum vertere omittit. Vnde Adolphus Bipontinus explorato per emiſſarios Pruſsiæ ſtatu, pari impetitione Regni Prouincias (vti noſtri Holſatiam) exagitare inſtitit; Paulum Wirtium, nuper Cracouiæ, iam Stetino gubernando impoſitum, cum Quatuor Mill: ex Præſidijs Pomeraniæ coacto agmine accerſendo: qui ipſo anni exordio, dum concretis gelu aquis, per ma-

iora

iora flumina eunti aut regredienti expeditius iter, pari celeritate & audacia in Pruſsiam irrupit, terrore & direptionibus metuendus. 1659. Contra omnium etiam prudentûm opinionem, vt oras iſtas in diſtanti ſitas impeteret, creditam ſibi Prouinciam, & tot Pomeraniæ fortalitia, Colligatorum armis propè inſonantibus, deſerendo. Spem & animos haud dubiè auxit, malè obſequentis Exercitus in longinqua diuerſio; vnde agendi celer, ac latè vaſtationis miſerias nomine prohibente ſpargens, non inermi tantùm plebi, ſed qui ſupra rumores poſiti, ac muris quoq; & præſidijs protecti, validè & ſubitò ingruens, terrorem incutiebat. Elbingam primò allapſus, feſtinatis itineribus Mariæburgum flexit, potiſsimam Suecis in Boruſsia belli ſedem; importatiſq; validiſsimo loco quæ vſus poſceret, maximam iniuncti operis partem exequutus, abducto in tutiora Principe Adolpho; quod hîc ei non ſat ſecuram ſtationem frater Rex iudicaret: Quo ſucceſſu tumidus meditullium Pruſsiæ impunè peruolauit, quidquid obuiũ ferro & igni, maximè Chełminenſem tractum miſerum in modum populatus; Brodniciam lytro mulctauit; Culmam ſeu Chełmno deditione recepit; Starogardum, Czczeuum, Swiecie, aliaq; loca in poteſtatem redegit; parumq; aberat quin Boguſlaum Leſzczynſki Regni Vicecancellariũ, Człuchouiæ agentem interciperet, niſi is re crepera familiarium comitatu & animo ſuo vim perfunctoriam egregiè ſuſtinens, ſe & oppidum defendiſſet. Creditus tunc Wirtius Thorunium reſpicere, vel addictorum Sueco nomini Ciuium tacitis votis illectus, vel transfugis ſpem inijcientibus, facilè recipiendam Vrbem, exinanito per famem morboſq; præſidio, & Ciuibus cum Præfecto malè concordibus: niſi arduùm opus vir ingenio valens intimius ſpeculatus, & incolumitatis propriæ rationem in celeritate vt venerat conſiſtere intelligens, quàm ocyſsime ſuperato amne, ſecurum regreſſum tentamentis Vrbis prætuliſſet. Retrogradus inde Gedàni conſtantiam experiri decreuerat,

rat,

1659. rat, præmittens in Vrbem literas, quibus malam sortem imò oppressionem populi Gedanensis Tribuûmq; Ciuitatis Consulibus exprobraret, tanquam miseraretur: dein præfractæ temeritatis obiurgauit Magistratum, aduersùs Caroli Regis benignitatẽ, quem suo demerito cogeret esse immitem, ac in incolas ex merito offensũ, vbi à Dania redux CCC. Nauium classe frænato mari, peruicaciæ flagellum adesset, Gedanensium contumaciam, qui clementiâ emolliri nequirent, castigaturus. Ipsi viderint quid à terrâ sperandum ipsis, quid metuendum à mari, eâ inuicti Regis vbiq; potentiâ; quantâ nec Alexander Tyrùm, nec Saguntum Annibal, nec Rex Gallus Rupellam nuper conclusissent. Complebat mox facto verborum ferociam territoriumGedanense, dum non ex voto respondent Ciues, præsenti direptione mulctando: constantiâ Vrbis immobili, vti quæ asperitatem minarum obiter deflagraturam, velut è stipula ortum ignem, probè conijceret. Penes Castellanum Camenecensem Grodzicium Prussiæ tunc cura & administratio manebat, neq; is in reprimendam vim segnior, nisi in ardua promptum defectus Equestrium viriũ distineret, quibus circumferentem belli mala Wirtium cõercere posset. Aderant quidem Butleri & Grothausi Legiones isthac in hyberna locatæ, ast inde parum opis, deiectis per morbos & famem legionarijs, nec ad insequendum prompto pedite: Sapiechana verò Equestris ala, ad extimum Prouinciæ marginem ob faciliorem annonam subducta; adeo tunc desolata ora illa, vt non tantùm militi à labore quies, sed & afflictissimæ Prouinciæ à milite respiratio necessaria omnino videretur. *Grodzicius insequitur Wirtiũ* Attamen Grodzicius ad Kłopotouij & Thelezenij velitares turmas, quidquid in promptu Equitatus habere potuit, etiam peditum nonnullis in equos receptis, retrogradi Wirtij vestigia premere statuit; nihil ambigens quin Ducalis Prussia in communem hostem vires iungeret. Nec incommodè iam ad iter accincto, submiserat CCCC. Equites Heysterus Cæ-

sareanæ

sareanæ militiæ Tribunus, cum quibus festinatis passibus hostem insecutus, primò apud Morungam CC. fermè Suecos concidit aut cæpit; aliud deinde agmen Quingentorum apud Lipstadium onustum prædâ excussit dissipauitq;; plura ausurus, si celeritate præuertentem discrimen hostem assequi licuisset. Qui nullo in decretorium certamen ausu abibat, enimuero fugam propè, contento in Curlandiam cursu, Douglassio, quem tunc Lithuani Nitauiæ obsederant, opem laturus. 1659.

At verò Carolus Suecus, sæpius infra successum, nunquam extra animum positus; etsi expugnatâ Insulâ Alsen, transportanda protinus erigendo Dano auxilia in Fioniam supponeret; verùm, vbi tum Batauorum classem, quàm & Colligatorum Exercitus certis nuntijs in respirium digressos cognoscit, quiescentibus istis, audere & agere aliquid otij insolitus haud distulit. Sub finem anni, Colligati, Legiones iam continuo belli opere, iam inclementiâ brumæ attritas, per hyberna locauerant; Cæsareanis statiua (Quartierás) ad Flensburgum Holsatiæ; Ripensem Diœcesim Electoralibus sortitis. Petrus Opalinski cum Maioribus Polonis adsita freto Fionio apud Horsen obtinuit; Czarnecij cohortes circa Harhusen constitêre: Commissarijs Danis dimensionem statiuorum, quibus periculosa laudantibus, excusantibus, quibus bello exhausta obrigissent. Erigebat ardua molientem Suecum, hyemis rara inter exempla numerandæ asperitas, quæ, adeo sæuis inhorresceret frigoribus, vt non modo amplissimi amnes, quâ Bálthidem subeunt, sed ipsum Codani sinus fretum, vehementia tempestatum semper mobile, in immensum gelu constringeretur, tam contumaci illo & insuetato, vt immanibus plaustris per glaciem velut solida tellure via esset secura: repertis maritimo tractu supra centesimum ætatis annum senibus, qui nunquam tam crassa glacie concrescere eo loci maria, licet grande mortalis æui spatium superuiuentes meminissent. Quæ aëris sæuitia planè Colligatis incommodo e-

rat

1659. rat, cum littorali glacie implicatis in transfretandum nauibus, securus in Sëëlandia Carolus ageret, nullo à tergo impetendi metu: rursus illi, congelato mari amnibusq;, in obsidium, quod tunc meditatus Haffniæ, apparatum machinasq; traducere promptius foret. Ita suppetias Dano vel ipsâ aduersantis cæli inclementiâ distinebat; qui idem hyemantis äëris rigor, in agendum quantocius inuitaret Suecos, vti imminens æquinoctium præuertendo, antequam clementior plenilunij aura glaciem resoluit, occasionum non segnes, indagine armorum hostem circumcluderent. Hinc Carolus, velut inuitante cælo, Haffniam oppugnare decreuit: auem in nido compressurus, vbi æmulum Regē in propria Regia conficit; præter vetera odia ac reiectos nuper tractatus, ob recentèr initam cum Cæsare Polonisq; armorum societatem, eidem capitaliter offensus infestusq;. Nec solùm ille Dano indignabatur, aut in Polonos tantùm minas deprōpsit; verùm Domui Austriacæ, Cæsari, Imperio, Electorib⁹, Batauis, imò toti Europæ dira minari sustinuit. His fulminibus prima obijciebatur Haffnia, in qua tunc Fridericus III. & totius Regni Danici spes conclusæ stabāt: Carolo pro vehementi naturæ suæ impetu, tumdemum, quà mari quà terrâ victorem se in antecessum imaginante, vbi in vna Vrbe coronidem atrocissimo bello imposuisset. Nec segnius alter, Regni ac dignitatis tuendæ curas agitauit, suscitantibus animum, præter veterem belli gloriam, breui interiectu æquoris fortissima sociorum auxilia; Classisq; Batana propediem reditura, cum insuper bonæ causæ fiduciâ arigeretur; etiam, quod in proprio sterquilinio audacior gallus existat.

Haffnia seu Koppenhagen Daniæ Metropolis ac Regū sedes, in littore sinus Codàni, ad subsolanum loco palustri sita est. Conditā Annales referunt sub Annum C. H. 1168. primitus à percommodo remigum piscatorumq; congressu Axelhuse nuncupatam, quod isthic Absalon Episcopus domunculas pro Contubernio nautarum exædificasset. Portûs

tûs commoditas, & per adsitum mare commeantes totâ Europâ merces, in famam opesq; protulêre: quin etiam Gymnasium nomen celebre loco comparat, Christiani I. Regis opus, neq; minus Regiā gymnasio confert; vt enim Metropoles sapientibus egent, ita vicissim sapientum ingenia, in Aulis Regum expoliuntur, ciuilitate ac morum elegantiâ. Ad huius conspectum Vrbis Suecus copias explicauit, attonitæ sanè ac obstupescentis, eo loci pedestria agmina prodire, machinasq; curribus per glaciem trahi, vbi nuper altissimum æquor nauigijs sulcatum nunc pedibus mortales in adeundum contenderent, Cum interim Commissarios Danos Magnum Hoge ac Skeelum pro pace missos detineret, dum extrema meditatur, mitiora obtendens; idq; vrgentibus Anglo & Batauis, in speciem prætetulit non auersari pactionem, vel in ipso procinctu oppugnandi. Ergo Claudio Todt cum Equitatu præmisso, Amagiam vicinam Haffniæ Insulam exturbato Alæfeldo Dano occupat; annonam coarctat, communicationem intercludit, demum impressionem adornat, per congelatum æquor velut solida tellure Legiones ducturus, idq; nocte concubia; vt qui pedes calcauerant maria Sueci, iam per obscurum tenebrarum agentes, velut altero prodigio ad victoriam vterentur. causa suberat, quo per tenebras emissis incerta destinatione telis, conspicuos ex flamma ictus, facilior oppugnantibus esset per obscurum noctis euitandi prouidentia. Sic impetita Vrbs, circumquâq; Ductoribus Suecis in destinatas stationes locatis; sed præcipuè apud Stabula Regia, tum Nauale Hafniense, quod infreto vnda nauigabili consistens, assilientis hostis latus ictibus machinarum pulsabat. Equidem prima & altera dies apparatui armorum data, donec consecuta XIX. Februarij nocte, atroci sanè & cruentissima impressione in oppugnādum itum est. Perhibent Carolum, vbi cum Vrbe validissima fortunam, viresq; suas committere decreuisset, primò funes scloperarios (Lonten) ne scintillantes subeuntem militem 1659.

1659 litem proderent, vaginis ensium recondêre; tum vti oppugnaturi indusia seu interulas lineas, exterioribus vestib' supponerent iussisse libratoribus Danis coloris cum niue similitudine fallendis; etiam albicantis lini tessera inter suos hostesq; discrimen de nocte factura. Dehinc ipse in assultum acie ordinata equo desiliens, subtus valla præuius signis ingruebat, identidem apud principia legionum suis ingerens. *Seruate ordines Sueci, & animosè gradum inferte, in capta Haffnia domitores Orbis futuri; ad quam vel natura ipsa per mare viam glaciali ponte strauisset. Nec plus à quoquam suorum exigere, nisi quantum ipse in oculis sequacium præstitisset.* Patuit non vnquam alias aut Exercitum Duci, aut Ducem Exercitui pari respondisse feruore, memorabili per edita virtutis specimina aggressu ac certamine; apud nauale Regium maximè violento, vbi Danica nauigia statione depulsa, simul exteriores munitiones inuasæ, ipsa sub mœnia admisêre Suecos: adeo pertinacitèr valescente nitentium impetu, vt post superatum ascensione vallum, in contiguæ turris summitate, tria Signa Suetica nisi nox esset, conspici potuerint. Non segnius resistebant Dani, in nouissimum conatum vim strenuè sustinētes, & qui per tenebras singulos hostium in scopum ictib' destinare non valebant. iam ad sublatum clamorem in confertos explodendo, plurimos ferirent. Per totam ferè noctem irremissa oppugnatio durauit; cui statariæ, dum obiectu pectorum vir in virum pugnat, trium horarum spatium Loccenius assignat, quibus Andabatarum more vtriq; congressi, vt rarus tàm ex aggressoribus, quàm defendentibus foret, qui non præsenti morte aut enormi vulnere, stationem locumuè consignauerit. Sub diluculum receptui signum à Suecis datum, enormia cruenti cōflictus documenta, quæ nox suppresserat exhibente die; ij tamen etsi retro pulsi integris Ordinibus recedebant, nondum ab animo & spe desertos se monstrantes; cum tamen miserabile visu esset, glaciem illam in qua pugnatum acer-

uis

uis cadauerum exageratam mansisse, ac longè latèq; abeuntium vestigia legionum, cruore vulneratorum respersa rubuisse, vbi albicans nix pro natiuo colore rubedinem, à sanguinis humani tinctura contraxisset. 1659. Inter cæsos fuit Henricus Steènbok rei Armamentariæ apud Suecos Præfectus, caput bello isto nominatissimum; Gengell, Woietta, Westerwich, Feystein, Banner, Keuenhuller, Wawasor, Tribuni; præter alios LXXX. Ordinum nobilis famæ Ductores. Comes præterea Palatinus Homburgensis consobrinus Regis, crus pedis diffractum machinali globo amisit, etiam ipso Rege nimisquam, dum prorumpunt Dani periclitato. Enimuero, adeo nimias spes occupandæ Haffniæ præcepisse Sueci memorantur, vt ante impressionem Ordinum Præfecti plateas Vrbis inter se partiti, è vestigio consequi iuberent vxores seruitiaq;: quæ ne per noctem aberrando in recipienda spolia tardarent, quisq, suam vbi assignatâ plateâ maritum requireret, in spem opulentissimæ prædæ instruxit: cum ex memorialibus libris constet, non plus MDC. Danorum iacturâ incolumitatem Vrbis stetisse debito Friderico Regi seruatæ Patriæ encomio, vti fermè omnes sphæræ cursum primi mobilis sequuntur. Ex Proceribus Danis, laudabilem præstitêre operam, Ebrensteynius ac Schackius Generales; reliquorum præclarè gesta, Patrij fasti credo non silebunt, debitum præconium agnitæ virtuti tribuendo.

Carolus instaurat vires.

Sic à spe deiectus Carolus, non magis recisis pennis imminutum robur Exercitus sui, quàm integram stare Haffniam doluit, æmulo Regi solatium, contumeliam repulso. Quod non plus ab oppugnatione reiectus iacturæ accepisset, imputauêre pleriq; Danis locum satius tueri, quàm abeunti insistere malentibus, vnde emerso licuit ad alias curas conuerti; reduxitq; nulla hostium impetitione agmen Croneburgum, isthic animum viresq; reparaturus, vbi angustias freti ac porthmum validissimum manu tenet, immensitatem illam marium constringentem. Nec diu hìc consti-

1659. constitutus deliberauit, vtram in partem se daret, intimis è Suecia viribus, & quidquid militis ex præsidijs contrahi poterat, ad instaurandum bellum euocatis; gnarus vim corporis vitalem, in succurrendum cordi protinus exurgere, & principali membro à fibris neruisq; communicari sanguinem: Sanè ad arma Princeps indole & assuetudine factus omnemq; fortunæ vicissitudinem infraponens; quod, ad Adolphum fratrem literis expresserat, inter alia scribens, *se confestim rediturum in Prussiam, vel, vt perdita reciperet, vel perderet reliqua.* Igitur, redeunte vere, Wrangelio Maris Præfecto cum classe in Fioniam dimisso, quominus Colligatorum in Holsatia arma distineret, nouum ipse corpus Exercitus format, continuãdo an iterando Haffniæ obsidio; supplementa virium conquirit, Galliam Angliamq; præhensat, quod si iuuando amici desunt, etiam contra fortunam infracto animo extremá subiturus. In his curis solatio erat Anglicæ XL. Nauium Classis aduentus, quam Crõuellius sub Architalasso Montacutio submittens, officiũ præstandi succursus specie tenus domonstrauerat: cæterum polyticum tantum auxilium (appellabo ego Christianum) classis ea ferebat, assistentia & rationibus in promouendam pacem vniuersalem impellere iussa: quam cum Rex in mitiora impersuasibilis voluntati suæ minimè obsecũdare aduertit, indignabundus ringebatur, ex immodicâ irâ in se ipsum sæuiens, quod inter comparata auxilia otiosus, & inter armatos Exercitus exermis planè, ac velut complicatis manibus existeret. Ingeniosus tunc aliquis depinxerat piscem marinum Salpam (cuius ea natura perhibetur, vt continua aquarum ingluuie aluum repleat, in eo tamen pabuli superfluo, nunquam satur, & semper macilentus) subiuncta epigraphe. *Recipit vt ejciat.* Quo perstringebat acuti lemmatis autor, gentem mari incubantem, quæ, nulli viciniæ amica, (vt debiles stomacho solent) caperet quæ non conqueret, ac rursus ingesta gutturi alimẽta, sui Oceani more eiectando, resorberet.

Dudum

Dudum ex fama suboleuerat, Sueciam arcano fædere 1659. Galliæ Regno eo vsq; deuinctam, vt ad arbitrium istius delectum faceret hostium amicorumue: hinc ingens Carolo fiducia, florentissimum pace & armis Monarcham, nullatenus passurum, quin socij Regis ac fæderatæ gentis robur, opportunum quandoq, sibi contra æmulos brachium, velut ipso conniuente proteretur. Similis ab Anglia (vt supra retuli) exspectatio; quin etiam, cum Moscho, formidolosa cœperat armorum coniunctio contra Poloniam tractari; si modo inter ambitiosos sympathia animorum coalescere posset; Moscho parem, Sueco superiorem, neutiquam ferre valentibus. Quoad Galliam, ea licet non vsq; Suecorum res odisset, quominus á fortuna depressis succurreret; ciuilibus tamen medijs erigendos putauit, pace arma componendi studium offerens, vti æquis conditionibus sublata inter infensos Reges controuersia, reconciliatione partium, cruentum bellum sopiretur. Non enim fas videbatur, bella ex bellis serenti Carolo, Gallicam amicitiam obstetricari; neq; credibile, contra inclytos Monarchas perperam lacessitos, parum æquis armis immisceri Christianissimum, cui ab æuo solenne fuerit æquilibrio potentiam æmulorum Regum continere, elatis in depressionem, depressis in fulcrum posito, ac ita ortus occasibus æquare. Cromuellus quinetiam, sub Protectoris nomine, Angliam ea tempestate moderatus, dum magnæ Britanniæ populos mutati status tædet, ac plures ad veterem Regiminis normam redire gestiunt, agitatus factionibus, habuit quæ domi ageret, deforis in succursum inualidus. Ita, dum ambitioni fulcra, seu instrumenta belligerandi subtrahuntur, & Carolus sensim mitioribus consilijs aptari cœpit, & negotio inuigilantibus Galliæ Ministris datum tempus fuit, vt fessis bello populis tranquillitatem procurando, Christianissimi Regis verè Christianum beneficium facerent. Nec ab eiusmodi consilijs abhorrebat Casimirus, præmiseratq; Ioannem Leszczynski Palatinum Posnaniensem,

1659. niensem, ac Nicolaum Prazmowski Cancellarium Regni Thorunium, qui hic Suecorum Delegatos præstolati; vbi illi sueta arrogantiâ indictionem tractatuum Elbingæ perperam contendunt, ac pro solo Regno Poloniæ exclusis Colligatis (à quibus nobiscum belligerantibus non sine probro discedendum foret) proponendas conditiones pacis peruincunt; mox: vel in ipso præliminarium aditu tractatus displicuit, vt in præsens fastuosus, sic in posterum haud durabilis. Quæ negotiatio (vt Aulæ paraphrasi vtar) ne clam habita socios belli offenderet, rationes initi consilij Colligatis Principibus expositæ sunt, inuitatiq; illi, vt communi causæ mutuis consilijs adessent; expeditis protinus (vt supra attigi) Andræa Olszowski Decano tunc Cracouiensi Viennam; ac Stanislao Woienski Archidiacono Pilecensi Francofurtum ad Mænum, vti prior Cæsari pacis Suecc. Polonæ exponeret rationes; alter in eadem concilianda amicam Statuûm Sac: Rom: Imperij opem, & asistentiam exposceret.

Oppugnata Haffnia, hybernis exciuerat Colligatos, postquam per intensa sæuientis brumæ frigora, & continuos Suecorum incursus, semestri in statiuis hæsissent. Apud Coldyngam primò conuenêre, nam Wrangelius freto Midelfarto adpellens, vbi insulâ Alsen vastatâ subsistere nequit, demum, apud Friderichsburgum exponebat militem, loco ac portu valido vires ostentando, tanquam in longum retenturus. Oppidum id Fridericus II. Daniæ Rex ex priuato censu in apennagium Regium traduxerat, ac eximiè instauratum, à nomine suo Friderichsburgum (Friderszode) nuncupari voluit, in receptum nauibus aut exscensuro militi portu percommodo; vnde Suecis opportuna vtrumq; littus maris tuendi facultas, ex habita velut sub fræno Fionia, simul expedito quò & quando vellent, tam in adsita maria, quàm vltra traiectu. Proin, super vetera munimenta nouis operibus præsidioq; firmauerant locum, habebantq; pro receptaculo iam militem, iam annonam, libero mari

Colligati hybernis mouêt.

mari immittendi. Spem fortè Electori Commissarij Dani fecerant, sub reditum Veris, vbi nauigiorum patiens mare, classem in vsum traiectus Colligatis subministrandam, quâ in Seelandiam deuecti, ac Regi Friderico sine mora iuncti, inhærentem DanoMarchiæ visceribus hostem vnitis viribus aggrederentur: ast, nimis quàm verè prolatum; *Felix arma tenet, infelix parat*: quippe Suetica cum Wrangelio classis circumiecti littoris potens, submittendarũ nauiũ efficaciam, interceptis vbiq; littoribus impediebat, ne quidem à remotioribus oris nautici instrumenti quidquam traduci passa: vnde superandi sinus facultate destitutus Elector, ne tempus tereret, aut afflictis Prouincijs diutius grauis esset, hostem vbi mari nequit, terrâ aggredi decreuit, admotis in obsidendum Friderichsburgum copijs. Quod cæpturus opus, in circuitu Vrbis quà continentem respicit, hostium metationes ad teli iactũ circumuallatione complectitur; (iam Poloni transmissa offensa placati, ad munia militiæ laudabili obsequio redierant) in fronte vallum ac munitiones prædueit, firmatisq; præsidio contigui maris littoribus, Suecis prælium offert. Apparebat, quippe Wrangeliũ parto maritimis bellis nomine famosum Ducem haud moraturum certamen, vt cui vltra septem Millia tam nauticæ quàm terrestris militiæ ad manum suppeterent, etiam non omnino noxium esset superari, securo si depulsus campo intra munitiones receptu, aut facili in mare effugio: si vinceret, vel saltem obiectis armis distineret Colligatos, tum demum geminaturum palmas, ac eum Ducem monstraturum se Carolo, qui in præcipiti rebus Suecorum positis nouissimum spiritum, velut in deliquio, sua dexteritate excitaret. Ast, fefellit expectatio, vulpe in cauo securiore: ne tamen non omnino congressum vitare ostenderet, à propinquo diuortiati freti sinu, Mille fere Equites dimisit, qui per proximum littus identidem decurrentes, post breue velitaris pugnæ experimentum, mox subtus valla oppidi, & illos iusto altius fastigiatos aggeres, tuto rece- 1659.

1659. ptu subducebantur. Elector interea spatiosissimo campo instruxerat aciem, idq; eo ordine. Frontem obtinebant Poloni, præeunte Excubitorum ala, quàm Petrus Mezynski Loricatorum Czarnecij Optio ducebat. Sequebantur duæ Legiones, aliquo diuisæ interuallo, sub Piasoczynio ac Polanouio Tribunis; Eques demum Germanus triplici linea, quem ponè peditatus Electoralis incessit; Electore ipso mediam aciem deducente; cum subinde Cæsareani à latere littora obseruarent, quo in ante, aliquot naues hostium appulerant; Cohortibus sub Czarnecio extremam aciem claudentibus. Ast Wrangelius consideratior quàm flagrantior, intempestiuum feruorem in præsens abdicauerat, ac subtus vallo hærentes Sueci, in eum tantum vsum se cominùs effundebant, vt vires Colligatorum pernoscentes, perfunctorio excursu, intra teli iactum pertraherent sequaces. Eo præludio vtrisq; in se diutius intentis, & singulari tantum certamine velitantibus; sub meridiem rursum erumpentes Sueci, in ipsos subsistentis Electoris Ordines ingruebant, quos ille leni secessu vlterius à vallo abducere intendens, velut primo assultui impar, gradum retulerat, ast mox obuersis legionibus hostem excipiens, fortissimè repulit, mutua vtrinq; iactura: vbi Stephanus Czarnecki Præfectus Kaniouiensis, Palatini ex fratre Nepos globo per brachium ictus est; ante annos miles, & eo ætatis pro Patria sanguinem fundere doctus, quo alijs etiam salutis causa phlebotomia interdicatur: etiam Eustachius Wiefzczycki ac permulti è Polonis sauciati, notabili equorum iacturâ, quos mira agilitas ac versatilis ad flexum habenarum commendaret promptitudo.

Sub hæc aderat ab Haffniâ speculator nuntians, Anglicam & Batauorum classes, propediem in freto Oresundico exspectari; vtrasq; suscepto pacandorum Regum arbitrio venire, amica disceptatione diremptura bellum; quod non solùm collidentibus ad inuicem Regnis exitiosum, verum etiam procul & iuxta mare sitis gentibus, non sine quâ 1659. publicæ, quâ priuatæ rei incommodo pertinaciter gereretur, ac respectiuè cunctos affligeret. Proinde, Angliam, cum Fæderati Belgij Ordinibus, in nouum dirimendi belli medium conuenisse, quale, recenti vocabulo, Guarantiam vocant; dum inter duos armis contendentes, tertius aut plures intermedij accedunt, dirimendis armis, aut complanandis controuersijs inter æmulos se arbitros offerentes. Qui verò ex contendentibus æquam pacem recusaret, vel violaret stabilitam, is arbitro in hostem transformato, læsæq; parti iuncto, duplicatis viribus, conuulsæ tranquillitatis publicæ turbo premeretur. Eo consilio classem Anglicam huc appulsam, constitit, pari voto & alteram Batauorum, cui Michaël Ruiterus præerat, præclara naualibus prælijs fama. Et fortè pacificandorum Regum sementem, gentes mari validæ perduxissent in aristam, nisi commotis Magnæ Britanniæ rebus, ex subeunte Cromuellianæ dominationis fastidio, Angli demum reuerterentur: Batauis interim surgentem Dani fortunam, pro veteri fædere potius ducentibus erigere vt amicis, quàm vt arbitris disceptare. Quod vt cognitum, obsidium Friderichsburgi enixè censuit Elector vrgendum, nulla intermissione per contiguum littus operibus stringens, etiam circumfuso pelago, ne commeatus aut miles submitteretur, maioribus machinis receptum inhibendo. Ast, dum lentum obsidium diuturniorem moram poscere videtur, placuit generali assultu experiri, cunctisq; ad impressionem ordinatis, requisitus pro militiæ more loco Præfectus (iam ante vela in altum fecerat Wrangelius) quominus Vrbis Danicæ, suiq; præsidij nouissimo occurrens discrimini Electori oppidum traderet, alioquin breui, nisi extrema præuenit, exitium temeritate arcessiturus. Præerat loco Cox Anglus, qui primò, non tam repugnandi animo quàm constituto in mare effugio ferox superbè Principi responderat, mox indictam oppugnationem anteuertens, subducto in naues milite, ac suc- *Friderichsode deserunt Sueci.*

1659. censo oppido, operosas illas munitiones, trina hebdomade Colligatis oppugnatas, sub noctem deseruit: nequaquã supponente Electore abitum, donec splendescente per noctem flammâ, submissi retulissent, vacuum abitu hostium locum patere, nec vllum metum insidiarum subesse. Intrauit celeriter in valla miles, quæ, ne intueri quidem sine periculo pridie licebat; vbi, nonnihil commeatus etsi corrupti repertum, etiam complures maioris modi machinas impactis apud ignitabula clauis, pro inutilibus Sueci reliquêre.

Eo modo apertum in Fioniam iter, laudatam Danomarchiæ insulam, quam Suecus firmissimè prehensam, ceu scutum quoddam obijciebat distinendis Colligatis, donec interea, labefactatam fortunam belli, aliquantum instauraret. Subministrandã classem (vt supra retuli) Dani receperant, sed, dum copia non suppetit, vel Sueci mari infesso traiectũ impediunt, à Batauis Naues commodato accipi debuêre; interim, ab Electore, si quæ circa littus proximum repertæ, instanter reparabantur; & ferè tredecim diuersi generis in manus venerant, quas glacie littori adstrictas abducere Sueci non valentes, & longa reparatione egentes, tum rudentibus ac omni instrumento nautico destitutas reliquêre. In has miles in experimentum nauigandi inscendens, etiã non iussus, circa vicinum littus oberrabat, vlterius quandoq; progressus, vt quâ vigilantiâ ac numero Sueci aduersum littus tuerentur, exploraret. Etiam Czarnecium in-

Czarnecij nauigantis discrimen.

cessit cupido relaxandi perfunctoria nauigatione animi, vel quod satius credam, curiositate sciendi, quæ illa famosa maris pericula, terrestribus maiora vulgarentur; et, an liceret, æq; salo ac terrâ militari virtuti amphibiam esse. Itaq;, nonnullis familiarium comitatus, etiam Michaële Kozubski Litinense Præfecto adscito, Quadraginta præterea Semenis Kobyleccij (quorum pleriq; bellis maritimis apud Turcas exerciti) vnam ex reparatis inscendit, ac obiter circa littora velificatus, demum in altum nauem remigio agere

præce-

præcepit, quâ postico vento celeriter maria sulcante, ac vltra quàm expediret progressa, cùm à supremo malo conspiciens nauclerus scaphas maiorum nauium prodromas, dein, ex aplustri seu banderijs hostium classem cognoscens, discrimen in procinctu nuntiabat. 1659. Nec fefellit narratio; Quinq; Suecorum naues armatæ velis passis in occursum veniebant, fretum circumiectum explorantes, tum, ne quidquam nauigabilis instrumenti illac ad Colligatos transiret impediturae. Re in vltimum discrimen adductâ, desiderio Czarnecij satisfactum credi potuit, æquoris pericula cum terrestribus expendere volentis. Certamen nullo modo declinare poterat, retrouertere posticus ventus non sinebat, virium imparitas, serus succursus, probrosa deditio, distrahebant; occurrebat tamen imperterrito Duci, sola in Deo & animo suo fiducia, vti eo casu non inultus periclitaretur: et si æquore occumbendum esset, etiam hîc decoræ mortis adsciscere solatium. Itaq;, in ipso discriminis articulo, vt quemque ex commilitio, Martios ignes scintillantibus oculis contuitus. *En inquit commilitones, terrâ quæsitus hostis, mari repertus comparet; non vallo, non manijs, non Castris clausus; sed in plano æquoris nec vsquam insidiarum capace plaga pugnam offert? Macte animo Poloni, quibus ipsa Oceani vastitas pro theatro exerendæ virtutis erit, ac, vtcunq; alea cadet, amplissimam gloriæ materiem habituri. Iam verò, vbi omnium salus in manibus singulorum sita, ita nos audere & agere expedit, vt & socij viros aduertant, & hostes in pugna experiantur.* Incaluêre cuncti animis, eo præsertim momento, quo etiam ignauis salus non extra curam esse solet: omnesq; (non amplius CXXX. viri ad pugnam apti reperiebantur, præter remiges libratoresq;) patrio sermone IN NOMINE DOMINI ad inuicem se cohortati, transtra nauis confestim occupant; vbi Dux in prora coccinea veste, ac strophiolo colum præcinctus constitisset, identidem nauclero præcipiens, vt quæ duæ naues prægressæ cæteras, strenuè in aduersas incitaret suam; sic primi congres-

Yy 3 sus

1659. ſus fortunam occupaturus & ad imminentia interritus. Aduoluti propius Sueci, iam audaciam vnius nauis mirari, iam ſtratagema ſuſpectare; proin curſui moderari, donec alia nauigia adſunt, & interim circumactis in gyrum nauibus, è machinis impetebāt noſtram, futurum forè ſupponētes, vt impari pugna diſtentis, ex continente auxilia ſuperuenirent: ac ita vaſtiſsimo freto circumuenta claſsicula, effuſis à proximo littore Colligatorum nauibus, in diſcrimen præcipitaretur. Ad hæc, modo tranquillum mare vehementiſsimo vento attolli cæperat, vnde geminatus metus; qui demum diſcrimine vtroſq; abſoluit, dum & hoſtes ſtratagema &c. tempeſtatem cauentes, maturè abſcedunt, & noſtris incolumibus retro data facultas ad littora redeundi. Etſi, comperto diſcrimine, quod reboantium machinarum fragor planum faceret, ſubſidium periclitanti Polono haud tardatum, protinus circumiecto ſinu, auctuarijs nauibus completo, & Germanis in ſuccurſum ruentibus. Littori reditum Czarneccium, ſolicita fronte excipiens Elector, ſaluti vt poſthac enixiùs conſuleret, monebat; interim exantlatum diſcrimen impenſè gratulatus. Mox in conſilium militare acciti Duces, vnanimiter in transfretandum ſinum aſſenſère, defectum nauium alacritate ſupplendum cenſentes, quæ ad manum eſſent ſuffecturas, per partes deportando Exercitui: et ſi, quæ in aduerſo littore hoſtium conſpicerentur, ſuas faciunt. Wrangelium non obſtinatius neq; diutius littus Fionicum propugnaturum quàm Fridérichsburgum, quod, cum probro deſeruiſſet. Aduenerant ſubinde ſeptem Danicæ, ſatius Hollandorum, quæ mox cum reliquis milite ac machinis nullâ morâ cōpletæ in anchoris ſtetère; Imperio Claſsis ſex Mill: armatorum vehentis Comiti Montecucullio delato, vti rem auſpicijs Cæſareis gereret; ſoluitq; à littore die IX. Maij, vt ferè primis cæptis fortuna blanditur, illuſtri cælo, ac mira omnium alacritate. Perſtrepebant receſſus maris tubarum tympanorumq; ſono, immugiebant quaſſatæ remis vndæ

vndæ, ac præter geſtientis militis promiſcuos clamores, 1659. euoluta à ſummitate malorum vexilla, ſua leuitate perflāti vento colludebant, donec recedentes in altum, iam fauſtæ expeditionis ergo, iam remanenti Electori vale dicturi, tormentorum fragore alacritatem teſtarentur. Vix medium interfluentis freti euecti, cum Gulcius Electoralis Tribunus cui primam frontem ductare contigerat, intercepto ſpeculatorio lembo cognoſcit, hoſtilem claſſem in occurſum prodire. Superueniebat Wrangelius XVII. armatas naues trahens, ſat luculentam pugnacitatis palmam relaturus, ſi Colligatis traiectum Freti intermedij impediſſet. In ipſa littoris crepidine oppidum Middelfart hæret, eiuſdem cum freto cognominis, præter naturalem ſitum ipſo vndarum æſtuario locus ſecurus, vt pote qui vno latere Codani ſinus fluctus recipiat, eoſdem altero in Balthidem emittat. Hic in aduerſum hoſtem directa vela eo flagrantius, quod ſpes ſubeſſet, depulſis maris poſſeſsione Suecis, vno tenore Middelfartum occupandi. Lunato claſsis ordine procedebant Germani, cum inclinante poſt meridiem ſole, naues hoſtium comparent, itidem à portu in hæmicycli formam prodeuntes. Aliquantum vtriq; circumſpiciebant ſeſe deliberabundi, cum Germanus prior dato ſigno aduerſas naues tormentorum ictibus ferit & lacerat, ſuopte ingenio in conſerendam manū feruidior; ac maiorem quæſiturus lauream, ſi bellum in Suecos, ſolius Cæſaris auſpicijs, & Germanorum indiuiſa cum ſocijs gloria cōfeciſſet. Ergo commonitis Trierarchis duas inſignes ex præcipuis naues, in aduerſos adigere imperat, ipſe protinus cum reliqua claſſe prælium excepturus. Aura perflabat æquor leniſsima, in neutrius partis fauorem inclinante vento, cum antegreſſæ Roſtratæ, in totidem Suecas incurrunt, ac conſimili pedeſtris pugnæ imagine, variant gyros, reuolutiſq; per ſulcatas vndas nauigijs, mutuis ſe ictibus verberant, horribilem fragoris ac fumi prælustri cælo incutientes caliginem. Succedit interim Prætoria vectus Mont: Cucul.

Colligati Littus Fionicum oppugnant.

1659. Cucullius, hunc dein alijs suo ordine consequentibus, cõseritur pugna memorabilis, adeoq; atrox, vt caligante in opaco fumi aspectu, ex die nox, & ex continuo igne pelagus ardere aut ignibus misceri vndæ viderentur. Cruentam collisionem secuta non modica strages, quippe, donec sol in occasum vergit pertinaciter ab vtrisq; pugnatum est, consummassentq; Germani victoriam strenuè decertantes, nisi & exspirans dies, & interueniens casus pugnæ ardorem restinxisset. Quippe, Montecuculli, dum in puppi nauis Prætoriæ militem imperio & hortamentis erigens, impigri Ducis munia implet, transuersali trabe à globo maiore quassata, ac inde dissilientibus ligni fragmentis, confracta tibia pedis, læditur enormi vulnere, & vitæ periculum propè. Titubant mox socij nauales Ducem prostratum rati, & quamuis subducto saucio, ij, quibus secundæ imperij partes delatæ, Gulcius ác Ranzius Tribuni, nihil de vigore cõsumandi prælij remitterent, nocte nihilominus & lassitudine partes dirimente, ab vtrinq; retrocessum est, Suecis portu receptis, Cæsareanorum classe ad diluculum vsq; in anchoris subsistente. Quæ eadem tali experimento sat egisse visa, de die in auersum littus vnde venerat recessit. Sed hæc aliaq; Germanicæ militiæ ea expeditione præclarè facta, haud omittent credo scriptores gentis, facundè pariter ac magnificè tradere: ij tamen, pro fauore aut respectu obnoxij popularibus, ego, extra partes & necessitatem, vt aliena, sine liuore attexo.

Necdum mensuram impleuerat calamitas Poloniæ, oportuitq; adhuc ærumnosi Regni fortunam, pluries in igne tribulationum probari. A Moschis siquidem ampla consurgebat belli moles, vbi ab impotenti diadematis affectatione, quodq; iniquum coarguit ambitum per vim assequendi, enorme armorum incendium excitatur. Gens ea contermina Poloniæ, sed veteribus nouisq; odiorum caussis dudum infesta; non ita pridem Smolenscum vi receperat, Lithuaniam inuaserat, rebelles Cosacos patrocinio refo-

refouebat, neq; nunc stabilem amicitiam professa, nisi quod præsenti bello nutans & incerta ageret, inter depressi Status nostri commiserationem, & assurgentis Sueticæ fortunæ inuidiam. Imperio illi sanè vasto, & sub extremos Septemtrionis recessus porrecto, præerat Alexius Michaëlis alias Michayłowicz, ex stirpe Philaretorum Mag: Dux:, qui prætextum magis contendendi in tempus seponens, quàm vt sincerè auxiliaretur, suppetias contra Suecum Casimiro pollicebatur; nos vicissim mutuæ retaliandæ beneuolentiæ suggessimus in Solium Poloniæ gradum, si modo practicabili liberæ Electionis via, ac Pactis Conuentis mediantibus, ad consequendum Diadema tendere vellet: saluo in præsens Regnantis, cui maximè consultũ oportuit Casimiri statu, qui liberis orbus, ac spe prolis abrupta, designari sibi non abnueret successorem, commodum & dignum iudicans Moschum, in quem fortuna Poloniæ reclinaret. Ast, præualuit ambitus honesto, vt sic inuitatus Regem se facere, quàm Rex fieri mallet. Quis sperasset ex laudabili bonæ voluntatis semente, exitiabilem messem enasci? ac, dum Vnionem polyticam cum ea gente animis Regnisq; iungendi proponimus, vel ipsa sinceri affectus documenta in caussam dissidij transirent, insitã mortalibus naturâ, vt habere quàm exspectare imperia malint, ne oblata recipiendo beneficium oneri esset. Non alia nobis mens, nisi, vt ea coniunctione, inter binás gentes, imminens belli diluuium, primùm sisteretur, dein, vti olim vocato ad Sceptrum Iagiellone pomeria Regni accessu Lithuaniæ amplificata fuêre, sic in vnum corpus Moschis coalescentibus, pristina illa Sarmatiæ Monarchia, ex robustissimis gentibus conflata in augem exurgeret, cui in decursu sæculi, Imperium totius Orbis deberetur. Equidem, vt minus ardua harum gentium coalitio credi posset, non vulgares caussæ seu motiua impellebant; iam, quod ex eodem Slauonicio fonte vtrisq; stirps & origo, etiam mores, vestitus, indoles haud perinde discreparent;

1659. & quamuis aliqua in capitibus Fidei scissura, seu difformitas, & in nonnullis tamen ritibus consonantiâ manet, et, si modo circa Petri Primatum dissidia tolluntur, faciles vniendi. Hinc fiducia conciliato Religionis obice, vtrosq; in vnum Imperium coalescere; ac, post complanatos in fide animos, etiam Regna posse concorporari. Ast malè habuit, Mag: Ducem ostentati Diadematis spes in longum differri, ambiguumq; faciebat Electio, quæ, tot suffragijs, quot capita Electorum essent, constaret: etiam Hadziacensis Tractatus exasperabat, vbi potior pars Cosacorum ad Remp: auulsa, obsequio eiusdem renuntiauerat. Cur quippe Vkrayna sibi detraheretur, quando & vniuersæ Poloniæ imperio suo subijci maneret deliberatum? ad quid Cosacos in duas factiones scindi oporteret, si & ipsi Regni Sarmatici incolæ, in vnam Reip: massam cum Moschis iugi intendant? Hinc euenit disgratijs occasio, vt dum vnius belli agonem auidè præstolamur, altero nos improuidè Diadema ostentando inuolueremus.

Nec diu Moschi quam aliquantum dissimulauerant hostilitatem, differre passi, Prouincias Regni trifariam diuiso Exercitu aggrediendo. Primum agmen Triginta Mill: veteranus belli Trubecki in Vkraynam duxit; tantundem alterum in Lithuaniam Chowanski ac Dolhoruki; Tertium interamni Borysthenis ac Berezynæ ditione Ramadanowski continuit; vt, si emergens in adeundo Regno Poloniæ interueniret difficultas, Mag: Duci in persona progresso vna iuncti omnes, armis viam in solium patefacerent. Ita tamen inibatur Lithuania, vt licetsi armis petita, pax nihilominus vafro consilio in speciem ostentaretur, dumq; Moschi Fortalitia & oppida occupant, agros vastant, omniaq; hostiliter confusa existunt, præmissis nihilominus Vniuersalibus literis, Exercitus suos amico ânimo, Prouincias Regni Polonici intrare vulgarent; ac vel maximè mutuum Vilnæ vtriusq; gentis Delegatorum congressum cupere simulantes, vt ita consentientibus Polonis, & applaudentibus

dentibus Moschis, Magnus Dux vniuersæ Sarmatiæ inaugurandus Imperator, omnem belli apparatum, âc coniunctarum gentium robur, in saluificæ Crucis hostes confestim moueret debellandos. Neq; ab eiusmodi consilijs abhorrebant nostri, vti memoraui bello per calamitates inamarescente; iueratq; à Rege missus in Lithuaniam Ignatius Bakowski Chełminensis Succamerarius, qui mox Commissarios Reip: omni meliori modo, pacis cum gente vicina conciliatores affore nuntiaret. Vnde gens struendis dolis ingeniosa, nonnihil coercita armorum violentia obtentum tractandi prætulit: Vilnâ Cômissarios suos submittens & nostros inuitans: nisi Palatinus Vilnensis Sapieha idemq; Exercitus Dux Generalis, altius explorata consiliorum indagine, quominus Commissarij Poloni instructam vitarent decipulam præmonuisset; etiam ipse perpensa virium imparitate maturè se cum legionibus discrimini subduceret. Quod idem vt Campestris quoq; Dux Gasiewski faceret, non præmonebat solum sed obtestabatur; ast is, immortali odio à Collega dissidens (gliscente dudum æmulatione ob prælatum sibi in militari Imperio Sapieham) non modo profutura monentem spreuit, verùm Commissarios, vt impauidi Vilnam adirent, cohortatus, & ipse cum parte Exercitus, Castra Vrbem prope in ripa Viliæ amnis metatus est. Sanè Duces in exitium ducunt, qui disiunctis animis copias hosti objiciunt, exitiabili semper discordiæ semine. Namq; dum eæ animos diuortiant simultates, publica res, neq; minus priuata detrimentum cæpit; Chowanscio acceleratis itineribus Vilnam occupante, etiam Gasieuium discordem Collegæ & hosti imparem (generosè tamen cum XVI. cohortibus in Moschos inuectum) in potestatem redigente; qui mox captiuus ad Mag: Ducem Moschuam remissus fuit, cumq; eo potiores ex Ordinum Ductoribus, Primæ auspicatò cæpti belli manubiæ. Ita Vilna, Grodno, Troki, Minsko, &c: captæ Vrbes, ac impositis præsidijs firmatæ; Brestiam Ramadanowski cum Legionibus missus

 1659.

1659. missus, sedem bello destinatam; vtpote prono hinc in citeriorem Poloniam tractu, simul facili Cosacorum ex Vkrayna, vbi edomiti vel conciliati, ad Moschum accessione.

Ipso ardescentis hostilitatis initio Mag: Ducis Moschouiæ Legatus, respirium ex via quæsiturus Cracouiam diuerterat, cum vigili Magistratus sedulitate detinetur in loco, donec sistendum an dimittendum Rex decerneret. Viennam ibat CC. Equitibus stipatus, etiam permultos mercibus onustos currus, in quæstum negotiandi trahens. Non abs re feruente iam bello expediebat eum sistere, quod hostis iret; iustiore forte detinendi causâ quàm Chowanski Tractatus simulans, Gasieuium captiuasset dolosè, ne dicam, iniquissimè. Cæsaris nihilominus amicitiæ tributum iri Rex voluit, vt liber mitteretur; quem retinendum multi censuêre, vt qui Legatus ad vicinos & vna explorator per Poloniam esse posset, ac forte fuerat. Causam tamen offensionis Aulæ Cæsareæ ex detentione enatam constitit: quippe Andream Olszowski Decanum Cracouiensem ad Cæsarem ablegatum, non pro priore officiositate Austriaci Ministri acceperant, detentione illa Moschi Legati prima fronte exprobrata; etsi Olszouius artium Aulæ gnarus ac perspicaci ad indaganda arcana indole, minus se gratum ex eo intelligeret, quod in tribuendam Regi Gallo Mediationis palmam, à Polonis manibus pedibusq; iretur.

Prima Moschis belli præludia ab Vkrayna ordiri placuit, quâ tunc in geminas factiones scissâ, alteram edomare aut sopire in antecessum expediebat, vt integrum gentis robur contra Polonos verteretur. Retuli supra vastissimo vltra Borysthenem tractu, sub nomine Cosacorum plebem addictam Moschis extitisse, contra citeriore ripa ad nos inclinasse: iam Wyhouij ductu Moschorum rigorem perosa ac peiora metuens, iam Tractatu Hadziacensi in spem Regiæ clementiæ, ac ad gremium Patriæ obsequiumq; Reip: Commissarijs inuitantibus. Sed plurimùm eualuisse suasus & autoritatem HaniCrimensis palam fuit, impellentis

tis & minantis, nisi Cosaci infestissimæ gentis patrocinio renuntiant, mox à Scythis plusquam hostium loco habendos. Equidem, aggredior bellum atrox, iniquum, detestabile, non quidem spatio temporis diuturnum, sed pertinacia odij & frequentatis cladibus cruentissimum. Quippe extra dubium fuit, si pars quæ lacessiuit exactè suorum iacturam ad calculum reuocat, ne toto quidem biennio Centum Millia mortalium, bello impendisse cognoscet; integro sæculo vix sarciendam iacturam. Res, vt cæpit, obiter recensui; vt gesta, breuibus expono. Sub specie pacandæ ac regundæ plebis ingressus Vkraynam Trubetius, titulum Præfecturæ militaris in Georgium Chmielnicki, memoria Patris Cosacis gratissimum transferebat, verbo tenus Ducem vocari passus, cum interea ipse totius Prouinciæ clauum & frænum mordicus retineret. Ac vbi iste regiminis vel per ætatem incapax, vel per modestiam recusans existit, Martinum Cieciuram substituerat, pubescentis hirquitalli vice munia militaria obiturum, qualem apud illos Magistratum Nakazny vocare mos obtinet. Nec è contra deerat sibi Wyhouius, quidquid cis Borysthenem ex Cosacis integrum, & ferendis armis aptum exciuit, nemine partes facere renuente, cum æquè exitiabile foret, tam popularibus non iungi, quàm hostibus aduersari. Accedebant grandia auxiliorum nomina; ac primò Andream Potocki Castrorum, ac Stanislaû Iabłonowski Excubiarum Præfectos, cum ter Mille Equitum agmine, submittebat Rex Casimirus in Vkraynam, adiuncto Iosepho Łaczynski cum Desultoriorum legiones. Crimensis Hanus XXX, Mill: Scytharum, Gałga ac Noradyno Sołtanis ducentibus addebat, vbi opus ipse cum omni Tauricana potentia opitulum laturus. Penes Wyhouium Sexdecim Millia Cosacorum è veteranis, virorum nucleus, cum citerioris Vkraynæ incolæ, continuis Scytharum irruptionibus exerciti, armorum vsum probè calleant, indeq; pericula ad bellum promptos erudiant, obfirmentq;. Vnde Trubeti-

1659. us licet si trans Borysthenianam ditionem egregiè in fide Magni Ducis confirmasset, comperto nihilominus ingentibus auxilijs subnixum contra tendere Wyhouium, firmatâ præsidio Kijouiâ, vltra flumen ad vsq; Nouogrodecum regrediebatur: donec inter Desznæ ac Semi amnium confluentes locatis Castris se se communiens, ac sic loci situ & sua industria tutus, insequentem magnis passibus Wyhouium animo confligendi exspectaret. Haud longè distat Konotop oppidum, (quod postea memorabili prælio nomen dedit) vbi velut inter partes de loco conuenisset, vtriq; se in conflictum comparabant. Moschis, in validissimo Exercitu, accessu Pozarscij cum XXX Mill: aucto spes ingens, expeditus è Calmucensibus Scythis Equitatus, peditum robustæ legiones, Cosaci in extrema fidem ostentantes, machinæ supra sexaginta; ad hæc, veteranus & multarum palmarum Dux, locus in omnem casum securus, insuper præsto contiguus Imperij Moschouitici limes, citra quem in promtu succursus, & auxilia requirenda aut submittenda, animos faciebant. Contra Wyhouium stimulabat iusta in insidiatorem vitæ & dignitatis vltio, stabilimentum per arma usurpatæ in populares Præfecturæ, tum pro legitimo Rege æquior causa, Scytharum in Moschos immortale odium: ac, quod credibile, non vsq; pertinax Transborysthenianorum Cosacorũ pro Moschis pereundi studium. Facilè itaq; vt decretorio certamine subirent aleam conuenit, adnitente Wyhouio, nec abnuente Moscho, vt qui partis ante trophæis animosus, iam nunc imperio Mag: Ducis armorum experimentum iubentis, incolumitatem Exercitus infra mandata herilia poneret. Et primum congressus præludium hosti successerat, vbi præcursores Scythas maiori numero Moschi fudissent, solito bellorum more, quæ vt primis auspicijs bellatores extollunt, sic rursus succumbentium confirmant audaciam, & ad corrigendum casum irritant aduersa. Reparandæ sorti, dum Nuradinus, suos erigens succurrit: contra Trubetius opponit aci-

em

em & pugnat, extimos ordines Calmucis tuentibus, qui à 1659.
Scythis represi, continuo machinarum iactu protegebantur: solito Barbaris præliandi more, vbi primo assultu submouent hostem, instare acriter, si irrita vis aut retusa, cõfundi & abscedere. Diremptis sub noctem partibus, in æquilibrio stetisse fortuna videbatur; nisi, quod Scythæ ad luculentum traiectum compulsi, fermè CC. suorum amiserant. Et sic in alteram diem ancipiti Marte pugnatũ, crescente Moschis fiducia, quod permulti à Wyhouio deficientes Cosaci, in aduersa Castra transfugerent: vnde, tantum spei ostendit Trubetius, vt promotis in patentia camporum ordinibus, non sustineret modò pugnam, sed prouocaret. Cum interea pro variabili rerum bellicarum sorte, non incelebri victoriæ interueniens casus momentum addidit. Decurrentem a leua amnem ponte instrauerant Moschi, quominus obtinentes traiectum, facilius ex auersa ditione commeatus recipere possent, & auxilia: iam robustissimis Legionum cum Pozarscio, iam terreis munimentis capite molis firmato. In hunc Hulanicki immissus vsum pontis erepturus, vel saltem ne Trubetio iungeretur, cum Quinq; Millibus Cosacorum perductâ ad amnem continuâ fossâ attendebat. Sustinebant põtem crassiores sublicæ, properata contignatione inter se connexæ, ea tabulati latitudine, vt inter bina plaustra hinc inde transeuntia, commeanti Equiti iter esset. Sed, vel operarum incuria sublicis palisq; perfunctoriè fundo infixis, vel firmitudini pontis prævalente onere, corruit grandior moles, tabulato versus flumen prouoluta, eoq;, velut catarractæ obiectu, cursum defluentis aquæ sistebat. Quo animaduerso Cosaci, ac fortuita in præsentem vsum vertẽtes, quidquid proximâ plagâ aridi aut cædui ligni repertum, etiam arbusta adgnatasq; ripæ arundines excisas in profluentem deiiciebant, si inclinatam pontis molem intotum abrumpere nequirent, vel ita obstructo fluminis alueo hostibus incommodaturi. Quod dum agunt, perficere

opus

1659. opus supra vota licuit. Siquidem lenè fluẽs amnis (Deszna) nec vehementi decursu in perrumpendum obicem luctatus, attollebat tantũ supergressꝰ alueum aquas, quæ per depressa pratorum stagnantes, Castra Moschorũ sensim inuolvebant, summo incommodo, vbi primò fossæ increscentibus vndis repleri, dein opera labefactari, ac immadescente humo machinæ, in quibus ingens Moschis fiducia, tenaci limo implicarentur adeo, vt non deportari, aut seiugibus trahi, sed ne loco quidem moueri possent. In eam diem iactu machinarum Moschi Cosacis graues, igne in aduersos pugnare videbatur; iam nunc aquarum beneficio Moschis isti præualent; vt exinde facile credas, commilitare hominibus elementa, & prima illa corpora naturali dissensu sibi opposita, contendentibus sociari. Ita vno brachio mancus Trubetius, etiam altero mox destituebatur. Siquidem, vligine impeditum agmen, dum spatium campi ad explicandam aciem quærit, animaduersa Scythæ prementium se se confusione, vehementissimo assultu læuum cornu inuadebant; simul quidquid penes Wyhouium roboris in turbatos iam & cæno hærentes immisit, vt tandẽ eminentioribus locis depulsi in Castra, velut ad indubitatum Triumphum, ergastulo inclusi tenerentur. Non tamen in extremis animum abdicauerat, Moschus Dux, imo, quod contra fortis aduersitatem superfuit, aciem iterum atq; iterum instaurare conatus, vel vt se imminenti cladi aliquo modo eriperet, vel saltem non inulto fine casurus. Ast vtrumq; frustra fuit, dum, nec pugnare fortiter, nec mori generosè, tenacitas limi permittit. Etiam Cosaci, rarò in extrema fidi asseclæ, creberrimis transfugijs vacillantem nudabant aciem, vt nuper superiorem rati Moschum, ita nunc reuoluta sorte, passim perfugiebant ad victorem: non prius tamen soluta in abitum acies, donec gemino vulnere ex equo deiectus Dux, superstes quidem, non tamen competebat sibi vel à clade vel ab ægritudine emotus animo. Circa eum plura militaria signa, etiam pecu-

peculiare Mag. Ducis Vexillum cum argenteis tympanis, 1659. quæ supremi imperij insignia sunt, in potestatem venêre. Nec diu crudescente vulnere vita abijt, incertum maiori captiuitatis dolore, an pænæ metu, ob amissum Exercitum. Ampla hic Moschorum cædes, licet numerus iniri non possit, vbi iam aquis, iam ferro plurimi intereunt: minore Cosacorum iactura, qui inclinante alea ad Contribules transeundo, vitam perfidiâ seruarunt, compulsos se ad bellum necessitate excusantes. Quod cladi superfuit Akinhoffus ex præcipuis Tribunorum meliore cõsilio & successu pontem versùs subduxit, eadem ipsa limi tenacitate victoribus quin insequerentur obstaculo: qui idem eluctatus, in aridam ac Pozarscio iunctus, reliquias dispersi agminis transflumen reduxit, festinato traiectu ac altiore vado multos hauriente. Sic bellum volenti talio redditus est, & qui nuper Lithuaniam hostiliter exercuit, Gasieuiumq; simulatione tractandi delusum prehenderat, iam nunc ditiones suas iugi incendio ardere conspexit, insuper præclari Ducis ac amplissimi Exercitus iactura, satur belli quod nimium cupierat, credi potuit. Famosum prælium istud (vt comperio ex manuscriptis Commentarijs) diem XVII. Iulij Diuis Petro & Paulo Apostolis sacrum, in iuxta vetus Calendarium incidit. quæ nouo stylo solennitas XXIX. Iunij celebrari solet. Profligato hoste Scythæ, è vestigio amnem superantes ac Pozarscium apud Putywlum assecuti, clade affecêre; simul continuato in intima Moschouitici Imperij excursu, vastationis miserias latissimè spargebant, cædibus, igne, captiuatione mortalium feroces, ac ad ipsam vsq; Moscopolim (quæ Magnorũ Ducum sedes est,) infestissima populatione penetrantes. Wyhouius parare quàm vti victoriâ melior, dum importunè reditum maturat, successum rerum corrupit, vel ipsa fama ac terrore armorũ facilè bellum profligaturus, si prosequeretur. Ast, seu Transborysthenianis fidebat minus, ne in ditiones Moschi progressum desererent,

1659. ſeu quod Kijouiam aliaq; Vkraynæ loca à Moſchis inſeſſa
potius repetēda duceret; án forte premi non opprimi Mo-
ſchum intendens, in citeriorem Vkraynam legiones Coſa-
corum reduxit. Vnde, opportunitas proſequendi belli in-
termiſſa eſt, ac famoſa illa ad Konotop victoria, famâ ma-
gis, quàm vſu conſtitit: adeo in paleſtra armorum plures ad
parandam victoriam, quàm ad vſum eius aptos reperias.

Comitia Regni ſubhæc extra ordinem indicta, ad di-
em XVII. Martij incidebant, in quibus præter interna ma-
la, diuerſorum bellorum grauiſsima occurrebat delibera-
tio. Alij Moſchouiticum recens cæptum, alij Sueticum
quinquennio geſtum, ſopiri flagitabant; miles ob retenta
ſtipendia conflato Nexu, ad ſatisfaciendum ſibi verti cu-
ras Ordinum requirebat; Nobilitas Contributionibus gra-
uata, publicæ pecuniæ abuſus accuſabat, militares turbas
adminiſtris Ærarij imputans, dum emeritum æs ſtipendij,
ipſi vel retinent, vel vſurpant. Nec minor ſolicitudo,
vbi Bienieuius nuper ex Vkrayna rediens, effectum Lega-
tionis ſuæ, nempe Coſacorum ad corpus Regni reditum,
exponit, & quominus per legem publicam Pacta Hadźia-
cenſia firmarētur, in cōſeſſu frequentiſsimo Ordinū perur-
get. Cætus Equeſtris Moderatorem agebat Ioannes Gnin-
ſki, Succamerarius tunc Cheſminenſis, quem miro omni-
um conſenſu electum, vigor agendi, & ſubacta per nego-
tia Reip: experientiæ vis, parem functioni monſtrauerant.
Mareſchallum Nuntiorum vocant, pro quovis Comitiali a-
ctu, alium ex ternis gentibus eligi ſolitum, recidente tunc
in Maiorem Poloniam ſubſtituendi vice. Magna eæ fun-
ctioni autoritas, ingens potentia & exiſtimatio ineſt: quip-
pe cum Ordo Equeſtris in Comitijs, priſco more iubendi
vetandiq; ius retineat, id omne in manu & arbitrio Modera-
toris repoſitum manet; præſertim, ſi dexteritate cæteriſq;
paribus animi facultatibus ad munus obeundum æquipol-
leat. Ille, per ſtudia popularium, velificatur Maieſtati, ac
zelum publici ad normam legum contemperans, æſtima-
tur

tur Senatui, inter ſui Ordinis ſocios Publicola: ille diſce- 1659.
ptantium rationes excipit, illationes diſtinguit, ferendæ
ſententiæ facultatem tribuit; intercedit ex lege, expoſtulat
pro neceſsitate; ac vndoſum hoc publicarum deliberatio-
num mare inuectus, dum altercationum procella efferue-
ſcit, vel impotens animorum turbo inſurgit, vtriſq; pru-
dentia occurrit, controuerſiarum æſtum aut ſuadendo mi-
tigans, aut autoritate componens. Revera Regem ani-
morum agit, ac opportunâ in publica commoda operatur
efficaciâ; contra, ſi diſcolus, aut muneri impar, haud pa-
rum diſconuenit harmonia, ac plerumq; compages illa
Comitiorum titubat aut reſoluitur, per huius capitis in-
temperiem, vel inſufficientiam. Ac, vt periculoſiora ſem-
per ſunt interna ſymptomata, placuit Ordinibus primo de-
ſcendere, ad militaris Nexus media reſoluendi; expeditiori
in externum hoſtem conſiliorum ſucceſſu, poſtquam re-
pertum vadum ciuili complanando diſsidio foret. Com-
parebant Exercitus Nuntij *ex præcipua* Regni Nobilitate,
Staniſlaus Iordan, Palatini Sandomirienſis; Stephanus Bi-
dźinſki, Illuſtriſsimi Vexilliferi Regni; Ioannes Pieniazek,
Caſtellani Woynicenſis; Michaël Czechanſki, Iaſkolſcij Ne-
xus Directoris, Cohortium Optiones: Ludouicus Prze-
cławſki, ac Ianuſsius Bieykowſki è Commilitio: à Germa-
nicis quin etiam legionibus, Stephanus Niemierycz, ac Er-
neſtus Grothauſen Tribuni, quos nunc recenti vocabulo
appellant Colonellos. Exponebant iſti ſcripto contenta
(Inſtructionem vocant) pro quibus miſsi, ſed præcipuè à
quadriennio retentorum ſtipendiorum exolutionem præ-
ciſè vrgentes. Ac, ne ſolùm expoſtulatione debiti ni-
terentur, damnabant publicarum Contributionum vel
exigendi incuriam, vel expendendi abuſum; requirebant
in fidem Reip: mutuo datarum ab Eccleſijs pecuniarum
rationes; tumdemum, poſt pleraq; Fiſci errata, non incō-
gruè opprobrata, eluſos ſe fuſi ſanguinis pretio querebā-
tur, non modo ſpe abrupta emeritos aſſes recipiendi, ve-
rùm

1659 rum etiam à Iuſtitia diſtributiua excludi, vbi ex pane be-
nemeritorum confertur militi nihil, opimis vacantiũ mu-
nerum in immeritos collatis, aut qui nummis beneficia
Reip: licitarentur. Peracris ſanè (vt ferè ſemper inter
meum & tuum) interueniebat controuerſia; reſpondeba-
turq; à Throno pro Maieſtate ſeuerius, rurſus Patriæ amo-
rem inſinuando mitius: ac ita, dum & blandiri & ferociore
conſultũ videtur, diuerſæ expugnandis animis machinæ ad-
mouebantur. Nec Duces Exercitus ſuas partes omiſêre,
indignãtes, aut miſerentes errori, qui pluriũ eſſet, potioresq;
è Senatu recentium liberatæ Patriæ decorum memoriam
ingerebant, addentes, dilatam tantiſper debiti æris exoluti-
onem, temporum iniuriæ non renitentiæ debentium ad-
ſcribi oportere. Laudatas in eum finem præteritis Comi-
tijs Contributiones, quæ dum infra debiti quantitatem exi-
ſtunt, alias in præſens ſciſci concluſum, & Remp: velle;
quæ demum exoluendis nominibus ſufficerent. Pro pi-
iaculo tamen habendum, in exigendo debito non planè ſo-
lita praxi, nec ciuiliter agere milites, eiuſdem Patriæ filios
Conciuesq;, & oſſa ex oſsibus: quo facto iam Maieſtatem
Principis, iam Patriæ amorem, etiam venerationem Ducũ,
minoris ſibi præ debitis aſsibus cõſtare oſtenderent. Tra-
hendis ad mitiora, maximè efficax Ludouicæ Reginæ ope-
ra enituit, dum in conclaue, vel omnes ſimul, vel ſeorſim
ſingulos ad colloquium vocans, commonet & arguit, ni-
hilq; omittit, quod pro Rep: faceret; tractandi animos pe-
rita præcipuè affabilitate, pollicitisq; fauoribus, vtroq; va-
lido ad perſuadendum ſtimulo. Demum, vbi Exercitus
deſideria in publico exponere iuſsi, Stephanus Bidzinſki
Dapifer tunc Sandomirienſis, frequentiſsimo Senatu in eum
ſenſum verba fecit. *Palam eſt Sereniſſime Rex Domine Nr:
Cl: rapidiſſimo curſu ad nos conuolare pericula, geminatis ho-
ſtibus, & multiplicatis ærumnis vndiq; impendentia: quàm
verò in remedium. & occurſum iſtis, conſilia & auxilia publi-
ca gradu ſubrepant teſtudineo, luce meridiana clarius liquet.*

Equi-

Equidem, non aliud toto hoc Conuentu, imo frequenti Senatu 1659.
*crebrius audire eſt, quàm fidem publicam, cui plurium anno-
rum ſtipendio deſtitutus Exercitus innititur, fatiſcentem ſuc-
cumbere; dum ſancitæ Contributiones, non modo non inferun-
tur Ærario, ſed varijs & legi publicæ aduerſis declarationi-
bus ſanciendæ negantur. Hinc, abrupta ſpe emerita ſtipendia
recipiendi, ſubit animum ſolicitudo, in illamq; neceſſariò deue-
nire cogimur quæſtionem.*

Conferet exanguis quo ſe poſt bella Senectus?
Quæ merces erit emeritis?

*Dein, toties læſa & eluſa patientia, conſequenter vt enun-
tiet, neceſſum erit: viribus vtendũ eſt, quas fecimus; arma tenenti
omnia dat, qui iuſta negat. &c: Optarem ſanè ex communi
bonorum voto, quominus compoſitis Patriæ rebus, truci
non modo voce, quàm infeſta acie hoſti graues ageremus; aſt
cum peſſimo Regni aſtro ea nunc voluantur tempora, vt in ele-
gantiam verborum præpoſterè intenti, nonnulli debitas in ſti-
pendia Contributiones negando impediant; dumq; eget miles,
ac interim retenta quatuor annorum ſtipendia exſpectat, pro-
lixis iſti diſcurſibus, quantum acumine valeant demonſtrant,
cur ſilebimus? cur cruentos aſſes ſat leuidenſe fuſi ſanguinis
pretium non repetemus ab ijs, qui poſt Deum dexteris noſtris
incolumitatem ſuam debent? eos tamen vel denarium ad com-
modum publicum conferre piget, ne reſtitutæ ſalutis Patriæ
gratiam, nobis debere oſtendant. &c: Principijs ergo obuian-
dum, exhibita incunctanter ſolutione, ſeris demum nec profu-
turis, quod Deus auertat curis, per exquiſitas verborum circũ-
ſtantias malis mederi velle, quando nefando ſceleri nomen erit
virtus, & irritata patientia, ſuum vt repetat, fortiori procu-
rabit remedio. Iteratis proin vicibus, ad ima pedum ſubſellia
Sac: Reg: Mtis D. N. Cl: nomine totius Exercitus preces hu-
militer deponere, quatenus præſentes Regni Ordines, meritiſſi-
mo Exercitui in exoluendum efficaces ineant rationes: vel ſi
æquanimè poſtulatum infra ponitur, fortem & indilatam ſo-
lito iuris medio, exequutionem præſtolentur.* Hæc Rege co-

 ram

1659. ram, tanquam iniuncta, animoſè protulit, nulla cuiuſquam offenſa, aut liberi ſermonis vituperio, cum ſemper debitore Creditor, dum ſua repetit audacior eſt. Et iam remittente ſenſim feruore apparebat prætenſiones Exercitus pacatè ſopiri potuiſſe, cum interim affunditur oleum igni, ſparſo per ſpeciem arcani Proiecto, (ſcriptum vocant pluribus communicatum) conſtituiſſe Regem læſam ex contemptu vindicare Maieſtatē, Nexumq; militarē qui reſolui ciuilib⁹ medijs nequiret, ſeueritatis adminiculo ad orbitam reducendum; vbi reuocatus ex Holſatia Exercitus, ingratos iſtos & Patriæ minaces, ex dignitate Regnantis coërcet. Non ſtuppam admotus ignis facilius depaſcitur, non argillam promptius ſubitus torrens allambit, vt hic rurſum æſtus animorum recruduerat, in eos vel maximè, qui publicas pecunias tractaſſent, aut exigerent; iam voraginem deſeruitorum aſsium, iam ſanguiſugas emeritæ ſtipis, immites verbis vocabant, vt quiſq; in Aula gratioſus, pro obiecto militaris odij deſtinantes. Neq; minus Nuntij ipſi inter ſe clam commiſsi, velut delegationem Exercitus proprijs commodis poſthaberent, per emiſſarios indigna ſuſpicione onerabantur. Ac iam iſti Varſauiâ diſceſſum apparabant, quod præciſè ab Exercitu in mandatis accepiſſent, vti non amplius ad exitum Aprilis in Vrbe moram trahentes, valedicto Rege redirent Leopolim: Actum verò Comitiorum omnino prolongari oportebat, vtq; protelaretur conſenſerant Ordines, ex magni momenti rationibus, in quibus ſalutis Patriæ cardo verteretur. Ægrè tandem impetrari potuit, vt manentibus reliquis Ianuſsius Bieykowſki Leopolim abiens, Cætui ſuo nuntiaret. *Curas Ordinum in eo vel maximè ſtare, vt exercitui benemerito (cuius impauido pectori & labori, iam Fides Catholica, iam Maieſtas Regnantis, integritaſq; Patriæ innitatur) non ex merito ſolùm, ſed etiam de congruo retenta ſtipendia exoluerentur. Huc & Regem Ser: enixè ferri, quominus præſenti ſatiſfactione in actum deducatur rigor Iuſtitiæ, quæ iubet vnicuiq; reddere quod ſuum*

eſt

eſt. Non præteritis Comitijs, non præſentibus flagrantius actũ 1659.
quicquam, ſi modo laudatæ in anteceſſum Contributiones exolui potuiſſent, ob iniuriam temporũ, & peſtis impedimentũ, quæ vtraq; euſq; non exoluti debiti genuina cauſa. Quare, Ser: Regem, vti Legionum Patrem & Principem, ſperare ſine dubio, emeritam militiam aliquâ morâ & exſpectatione à Conciuibus Patriæ condonata, æquanimiter, donec collatitium æs inferetur Ærario, præſtolaturam. Ita demum ſatisfactum verbis Exercitui, res intra dilationes ſtetit: quàm verò inde fertilis conſequentium in Rep: malorum occaſio & ſeges pullulauerit, ſequentes anni (ſi Deus vitam) planum facient.

De Mediatore Controverſia.

Quoad afficientia ab extra mala, conſiſtebat deliberatio in expediendis gemini belli rationibus, nempe Suetici ac Moſchouitici, quorum gerendo alteri, alteri ſopiendo Rēp: accingi oportebat. Hinc velut in problema enata quæſtio? *Vtrum cum Sueco, an cum Moſcho ſatius paciſci expediret?* tum rurſus *Cæſarinè an Regi Gallo, deferendum Mediationis arbitrium?* Ardua ſanè optio, & eo magis anceps, quod altero in Pacis Conciliatorem prælato, alterum ex poſtpoſitione, non planè amicum facere, conſequens eſſet. Ludouicus ſiquidem XIII. Galliæ Rex, tranquillitati Europæ intendens, dudum per Legatum Lumbreſium curas offerebat, ad dirimendum æquis conditionibus inter nos & Suecos bellum: quod longius à nobis ſepoſitus, & nullatenus rationibus alterutri⁹ partis immixtus, multi acceptandũ benè affecti Regis ſtudiũ cenſebant, ſanè cunctis diuturni belli tædio, in qualemqualem pacem ſe dantibus; quæ vt cum Suecis, præ Moſcho, concilianda tractaretur, maior Ordinum pars inclinabat: contra Lithuanis in renouanda cum Moſcho fædera enixè contendentibus; per eiuſmodi rationes. *Vbi Suecorum arma ac Fortuna in deterius vergunt, conſentaneum videri, fractos bello, exhauſtos neruo, deſtitutos amicis, ac iam planè extremis laborantes conficere in finem; cum & canes allatrent macilentiorem. Ex iuſtitia eſſe, vt qui rupto Induciarum vinculo fædifragus, non diuina,*

non

1659. non humana Iura pensi habuisset, ne nunc quidem, vbi præcipitium prope hæret, sacrosancta pactorum ineundorum religione sublevaretur; vtq; arctis Poloniæ rebus pro pace requisitus superbè abnuerat, etiam nunc pacisci cupiens, in pœnam talionis reijceretur. Æquiorem in istum Polonis belli causam vti Inuasorem: neutiquam in Moschum ad diadema accersitum, & bellum tãtum vt existimationem tueatur ostentantem. Ingratitudinis notam incurrendam fore, dum vocatum vt regnaret, & auxiliantem vt demereretur, bello aggredimur; interim capitaliter infensum Suecum ad amicitiæ leges admittendo. Quod, si publici commodi rationes respicere expedit, satius fuerit Prussiam, cuius ex integro à Suecis recipiendæ nulla possibilitas, laceratam armis vindicare; quàm nondum conuulsã Lithuaniam, miserabili vastitati subdere, serò aut nunquam ad præsentem statum redituram &c: Contra alij. Sub belli Polono-Suetici nomine, totius propemodum Europæ, quâ terra quâ mari tranquillitatem contineri, inde quod multos afficit, multi curant, & in opus efflictim deducere satagunt. Pax omnibus vniuersale votum, bellum perosi execrantur; cuius coniunctim sopiendi si nos occasionẽ nunc intermittimus, alias gentes commodis proprijs haud defuturas, permissa suæ sorti Polonia, quæ sic opprimenti facilior erit, vbi pro deserta censebitur. Regem Suecum extremis laborare non vsq; pro certò accipiendum; integrum ei Sueciæ Regnum, non temnenda à Protectore Angliæ subsidia, à Moscho coniunctionis armorum inuitamenta etiam veteri Gallorum amicitia suffulto, superest inuictus ille animus; sicubi per bellum labefactatæ vires, maiores tamen opinione aliquorum in præsens esse constat, quibus prehensam Daniam retinet, mari classibus dominatur, Prussiam insessis arcibus premit, Cæsarem ac Brandeburgicum colligatos distinet, easq; tot æmulis opponendo, manifestè haud exiles esse demonstrat. Quod prior Poloniam lacessiuerit, condonando offensam, Christianæ modestiæ specimen fore; si in extremam repugnandi necessitatem cogimus, in Polyticorum aphorismos peccabimus, desperatione in spem, & coactum resi-

stere in audaciam impellendo. Insuper rationem rationis esse, 1659.
exolutâ fræno Vistulâ aperiendum Balthicum mare defluitationi, quæ vtraq; tam amnis quàm mare in potestate Suecorum existentia, nonnisi beneficio pacis Sueticæ reserari possunt. Ita demum quietem Regno, Lithuaniæ respirium, Moscho confusionem reddi; euacuari Poloniam auxilijs, augeri pecuniâ ac tributis, imo semetipsos sibi ac pristinæ libertati restitui, vbi nihil ex Prouincijs Regni pax Suetica decerperet; & deiectus importuno ambitu Moschus, non Lithuaniâ modò, verùm interceptis ad Berezynam vsq; latifundijs extrudetur. Sed, quis ille desideratæ Pacis ex veteri formula Pater Patrat9, ex recenti Conciliator? Iniecta siquidẽ Mediationis Gallicæ mentione, secessum à partibus, imo ingratitudinem Imperiales nobis exprobrabant, Lumbresium, quod importunus nec vocatus negotio se ingereret, simulati officij arguentes: nimirum, vt quos aperta vi non possent Suecos Galli, eos solita subtilitate, & artificiosis in paciscendum formulis tuerentur. Consurgebat enimuero factio, Delegatis externis in Aula nostra resid ẽtibus, de suscipienda aut postponenda ea Mediatione, multâ solertiâ agentibus. Nihil isti intentatum reliquêre, suadendo, terrendo, etiam largiendo; repertis, qui probrosi quæstus causâ licitantibus se ingererent; donec Casimirus Burchacki, Dapifer Czerniechouiènsis, compertus ex dato obstrinxisse fidem, quominus factioni se illigaret, criminisq; postulatus, metu pœnæ resiluit, persuasitq; conscijs aliam induere pro Patria, ex vsu honesti mentem. Demum, ære sedato motu, ad tractandum asignati sunt Commissarij, in contextu operis specificè nominandi, qui, tàm cum Suecis quàm Moscho sufficientibus instructi mandatis, disceptarent pacem; vel saltem, cum altero non amicorum Principum stabiliendã, si cum vtrisq; haberi non posset: sincerè parata Rep:, vbi dirimunt hostilitatem pácta, veterem amicitiam Christianâ concordiâ sarcire. Sed verè Epictetus. *Quædam res in potestate nostra sunt, quædam non sunt.*

1659. *Cosacorum Legatio.* Sub finem Actus Comitialis, Nuntij Cosacorum CC. ferè comitatu comparebant, in causam tardioris aduentus longinquum iter afferentes, cum pateret de industria moram traxisse: lætum nihilominus fuit vel sero venientes spectare, ac acerrimos perduelles reddi Patriæ postliminio, quiq; capitaliter infensi, toto Orbe nobis perniciem hostemq; quæsiuissent, repente mutatos, ac mira metamorphosi ad gremium communis Matris redire gestientes. Vt istos ad obsequium fidemq; Reip: nuper pertraxerint Cõmissarij, anteriore libro memoraui; nunc, quomodo Vicariam Numinis potestatem, & sibi legitimũ Regem Casimirum venerati, paucis trado. Primas Legationis obibant Constantinus ac Daniel Wyhowscy, Thymothæus Nosacz Castrorum Præfectus, Gregorius Hulanicki Tribunus; Oratoris partes susceperat Georgius Niemierycz Succamerarius Kijouiensis, natalibus & ingenio valens, recenter à latere Suecorum Regis, varijs affectuum procellis in Vkraynam reflatus. Hìc, quem in finem Internuntij ab Zaporoscensium Exercitu missi forent, in consessu Senatus exponebat, formato eius tenoris proloquio.

Et oratio Niemiericij. *Quod Dominatorum terræ numerosi Exercitus, quod inuincibilis fortissimorum Heròum dextera, quod subtilia celeberrimorum sapientum ingenia vt perficerent, nequiuêre; hoc, præsenti æuo deduci in effectum omnium oculi conspiciunt, & communis vox applaudit, & triumphat. Ad vocem hominis olim Luminare maius solarẽ cursum stiterat, non ingenio, non potentiâ alicuius creaturæ coercibilem: ad vocem Sac: Reg: Mai: Vræ, raræ & inuictæ clementiæ eius confidendo, ad vocem inclyti Regni Poloniæ & eius pristinæ virtutis memoria, miraculi instar magna pars bellatricis populi, & iam alieno Horizonti deuincti, Exercitus Zaporoscensis, cursu extraordinario & supernaturali, ad clementius hodie cælum rediens, in illo Serenissimum Solem, Sac: Reg: M: V: D: S: (l: ac laudatissima astra amplissimum Senatus Ordinem, vniuersumq; Reip: Hemisphærium veneratur. Propè decennium voluitur, ex quo non tam culpa*

nostrâ, quàm malo sidere aliquo alienigenæ ex Ciuibus facti, 1659. *hyperboreo nos tradideramus Monarchæ; quod, planè irato cælo factum crediderim, vt toto Orbe fauentiorem quærentes Dominum, à legitimo & benignissimo deerraremus Rege, ac cæcorum in morem, velut cataclysmo quodam obruti, quàquàversus vagaremur. Ast, vbi insani diluuij cessarunt vndæ, vbi reddita mens & oculi cæcutientibus, præfestinè ex arca tempestatibus iactata descendimus, alij in montes, in decliuia alij, currimusq; prius aut posterius, Matrem hanc Patriam salutaturi; vt, quod Fati malignitate transuersim actum est, per resipiscentiam corrigamus. Ea causa, vel vt clariùs proferam, voluntas miserentis Dei, hodie ante Thronum S. R. M. V. ac in facie Reip: sistit Exercitum Zaporoscensem cum Duce suo, & in his totius Roxolanæ gentis compendium, & vniuersitatem ad ima Solij Regalis subsellia deducit; vt S. R. M. V. liberrimarum nationum Dominatorem, pro Rege legitimo, Remp: pro benigna Matre, Poloniam pro natali solo, coram toto mundo, & secuturis sæculis profiteamur. Quippe, peculiare est Dominium S. R. M. V. toto Orbe inclytum, & Hierarchiæ cælesti perquam simile; quæ, vt æternis spiritibus, sic humano generi liberum arbitrium relinquens, per sæcula dominatur. Exultent tepidiori cælo gentes aliæ, opum congerie abũdent, affluant cornucopijs, alijsq; ad apparentiam vitæ præsentis commodis, certè, sine vera libertate seruiles animos in aurea cauea fouent, sine proprio arbitrio captiui, ac suarum opum mancipia. Libertas Poloniæ, tam pretium omne superat, vti similitudine caret &c. &c. Quæ eadem, nos, ad diu prægustatam natalis soli dulcedinem trahit, & illâ vti frui inuitat; imo planè cogit, vt in hac Rep: nati & educati, in eadem libertate disponentibus Fatis vitæ finem sortiamur; pro hac optima Matre, pro S. M. V. incolumitate, pro amplitudine Patriæ, sanguinem, imo vitam profusuri. Hoc est, cur errones Filij ad Matrem properamus? cur peregrè euagati ad Conciues festinemus? ad interruptam harum gentium, religione, idiomate, legibus, consonantem vnitatem aspirando,*

1659. *pristino statui vnde malignitate Fati excidimus, concorporari petentes &c:* Concludebat dehinc patheticè. *Redit ecce perditionis Filius ad Patrem optimum, quid mirum, si illum osculo gratiæ exosculabitur? si annulo ornabit dexteram, cõuestietq; nouis vestimentis, & pinguibus armentorum cæsis, lætabitur vsq; ad inuidiam? Redit plusquam perditus ærumnosæ Matri denarius, quid mirum, si lætabunda gestiat Patria? si Conciues gratulentur? exterres sibi Patriotas reddi, & illos Patriam? Redit ad vigilem errabunda ouis pastorem, quam impositam humeris portat, & exultat gaudio magno. Quodsi, immortalium Spirituum phalanges, ob vnius peccatoris conuersionem ineffabiliter lætantur: quid, si plus quàm vnus, quid, si dicam Mille; imò Millia Millium animarum in subiectionem S. M. V. ac Reip: Matris gremium conuolare intendunt, cur non lætentur cælicolæ? cur supernæ illæ mentes vbi tot erronearum ouium greges ad ouile proprium regressas, non instruant tripudium &c: Etiam tu Ser: Rex, ex conuersione populi tui gaude, exulta ex tot Prouincijs sine sanguine receptis, vbi fertilem illum Ægyptum sponte ad orbitam obsequij reductã habes; illam inquam terram Promissionis lacte & melle fluentem, omnigenæ abundantiæ promptuarium, aureum à multis sæculis pomum, bellatricis quâ mari quâ terrâ Roxolanorum gentis domicilium. Vkraynam. Quâ in sinum protectionis Regiæ accurrente, vt certum est vel cælum ipsum ea rerum conuersione lætari; sic & nos summa ãnimorum exultatione acclamamus. Viuat Ser: Ioan: CASIMIRVS REX, viuat æternè Regnum Poloniæ.* Hæc prolixius quidem, sed quis vetet fessum continua bellorum narratione legentis animum, aliquâ solatij misturâ releuare.

Grata cunctis resipiscentia plebis peruicacis, vbi auulsa pridem Vkrayna restituitur corpori Regni, simul Moschouiticæ in Poloniam hostilitati haud parum de viribus decedit; hinc, cum plausu accepta Legatio; si modò vel tantillum saltem durasset in Cosacorum animis perseuerantia obsequij, quàm diu in auribus Polonorum hæsit officiosus

ficiosus perorantium sermo. Certè, vt Hadziacensis Commissio effectum sortiretur, in duplici cardine instituta legesq; Patrias commoueri oportuit. In Spiritualibus; dum ritus Græco-Russi Catholico-Romanæ Ecclesiæ æquiparantur; Vnio Schysmati odiosa exulare iubetur; Metropolitanus Kijouiensis cum Wladicis in Senatum Regni cooptatur; geminæ studiorum Vniuersitates erigi conceduntur &c: In Polyticis. Ducatus Russiæ in absoluti Dominij modum recusus, antiqua forma regiminis abolita, leges innouatæ, aliæ obliteratæ, indictum Nobilitati ex patrimonijs exilium, possessiones nouis Dominis attributæ, Regalia (vt vocant) permissa plebi; Magistratus in speciem aucti, simulachra tantum potestatis, vbi vis & robur penes Ducem Exercitus manet. Cuius imperio XXX. Millia Cosacorum, X. stipendiariorum suberunt, sufficiens sanè numerus, quo ex beneplacito suo afferat Regis Maiestatem, vbi nolit oppugnaret. Qui, ne non sine honore agat, collata in præsens infestissimo Patriæ capiti Palatina Kijouiensis dignitas, additis Senatoriæ Curuli Barij ac Lubomliæ amplo reditu Præfecturis. Ac, quo in plures Regiæ munificentiæ torrens deriuaretur, congesti in multitudinem honores & præmia, admissis ad prærogatiuam Nobilitatis Polonæ Cosacis; vt sic dispares, & diuersa volentes, æqualitas quæ concordiæ Mater, cum veterrimis Conciuium firmiore animorum nexu conciliaret. Hinc aliquis metum incutere ausus, quod Romæ contigit olim. *Ne nouorum Ciuium potentia & multitudo, veterum dignitatẽ infringeret; plusq; possent recepti in beneficium, quàm beneficij autores.* Velleius. *Nec minus cordolium, antiqua gentis Sarmaticæ decora adeo euiluisse, vt ad postremos mortalium arrabo libertatis deferatur. Cum tamen, nemo adamantem inter quisquilias æstimet; & præmia virtutis, si ineptè locaueris obsordescunt. Miseram certè sæculi sortem, quo & sceleribus honor, & malefactis præmia tribuuntur. Quid, quod inconueniens fuerit, Maiorum decora properanter ne petentibus quidem tribuere*

1659. *buere ijs, qui internam amplissimi Characteris virtutem ignorantes, non pluris Equestris annuli communicationem, quàm pro puèrilibus crepundijs reputabunt, donec Varsauiâ abeunt fastidituri: cum apud illos more receptum maneat, si quis ob demerita proscriptus mulctam honoris patitur, per iocum quærere soleat, an publico Banno perculsis, cibo & potu vti permissum sit? leuipendiũ pœnæ ostentando. Etiam nunc aliquis ex socio percunctatus est, nunquid vmbram suam maiorem vbi Nobilis factus, quàm ante ingressum Varsauiam aduertisset? Verùm æquentur Originarij cum aboriginibus immunitatum participio; quid, si non in totum obligauerimus Nobilitatos, & indubiè irritauerimus præteritos, quos odiosa hæc dignatio fefellit; & mehercule, omissi multo maius nobis facessituri sunt negotium, quàm relaturi gratiam ij, quos in communionem eius prærogatiuæ admisimus. At, sit sanè eo illicio, vel partem aliquam Cosacorum ad obsequium Reip: pertrahi posse. Ast, quæ indignitas compagem hanc Reip: ab æuo coalitam, alliciendæ plebis gratiâ dissoluere? Quæ iustitia, Ecclesijs fundationes, veteribus dominis patrimonia redituſq; detrahi, vt turbulentæ multitudini gratificemur? Quæ autoritas, erasâ ex insignibus Patrijs Russiâ, iuribus Maiestatis derogare? vt vnius Cosacorum Præfecti dignatio & potentia augeantur. Pomerania cauere docet, pars olim Regni, è Conciuibus vni Suatepelco Griphio in Feudum tradita, nostra esse desijt. Si cordi est Cosacis ad Remp: redire, sponte faciant; gratiori accessione quia vltroneâ: non carniuorarum alitum more, quæ in manum venatoris deuolant, escam repertura; præmium scilicet obsequij.* Diuersus aliorum sensus, modò Cosaci à Moscho abstraherentur, omnia infra ponentium. *Ac, primò, bonum ex natura sui diffusiuum esse (aiebant,) cum & Sol radios luminis spargat, rerum sublunarium non sui causâ. Decus Nobilitatis pluris æstimandum, si opus virtutis non vteri habeatur, & beneficium sit tribuentis pro merito Principis, non cunarum: nam, qui genus & ceras Maiorum iactat, aliena laudat, velut simia Leonis tecta exuuijs. Verùm, frustra fumosæ auorum*

imagi-

imagines parieti affiguntur, si alieno pilo superbus hæres, claritudinem tantùm in astragallis gerit, & iners Eques 1659.
Equestri censu exclusus, defluitando phaselos, aut nundinandis lucri causa bobus nomen dederit. Ad hæc, rarefacta per bellum Nobilitate Polona, cur non suppleant numeros Cosaci bello emeriti, ac recenti in partes Patriæ accessu commendabiles. Si, vti impares auersamur, & agresti populo gentilitia decora communicare piget, vel ad suam ipsorum respiciendum originem; de qua Poeta nostras ait.

Exule Patre sumus, sed plurima Regna per Orbem,
Principia exulibus dant sua, Roma Notho.

Nec vsq; dehonestamentum natalium metuendum, exolescet scrupulus hic cum tempore; etiam ipsi eadem cum plebe Damascena humo creati sumus, & in similia vtrisq; principia resoluendi. Bello certè præsenti cum Moscho expedire, vt quã maximè augeatur frequentia Nobilitatis, cum hæc gens seruitutis manceps, & statui Equestri è diametro infesta, validè oppugnet libertatem. Ducatus Russiæ, inq; eo Magistratus instituendi, ad ordinem & regulatam Prouinciæ administrationem tendunt, vti in Lithuania olim factum, etiam hîc: ne obsint inani metu, dum per dependentiam veluti brachia Regalia operabuntur. Quod rebellione aliquando Cosaci se commaculârint, transmissâ in iratum cælum causâ, oportere amnestiâ obliterandum delictum: cum etiam apud Deum distinctio valeat, inter peccatorem peccantem & peccatorẽ pœnitentem &c. Sic demum, non infelici exitu Comitia finiêre, vel solà contra legem prolongatione tædiosa, dum vltra trimestre protrahuntur. Vtq;, paci compaginandæ cum alterutro hostium dimissi Commissarij fuêre; sic, in casum belli, Duces armorum cõmoniti, viderent, ne quid vndecunq; Resp: detrimenti caperet. Potocius quidem Generalis in Vkraynam, Campestris Lubomirius in Prussiã intendere iussi; Sapieha Vilnensis Palatinus, aduersùs Moschos destinatus reuocato interim ex Holsatia Czarnecio, vbi propter ferendũ Dano subsidium Colligatorum armis iunctus morabatur.

Et

1659. Et Colligati quidem apud Codani ſinus littora hæ-
rentes, aliam proſequendi belli viam inire debebant; ni-
mirum, vt qui hactenus tanquam auxiliares Friderico in
Prouincijs Daniæ ſubſtitêre, iam nunc Cæſaris nomine ob-
nuntiata Suecis hoſtilitate, in ditiones Pomeraniæ hoſtium
Iuris immitterentur. Quippe Dania certorum Feudorum
intuitu Romanum Imperium pro capite agnoſcit; vel quia
nondum abſoluta Cæſaris Leopoldi Coronatione, Suecos
velut ſuſpenſa manu tractare expediebat. Itaq;, reuoca-
tis ex Holſatia Legionibus in Pomeraniam penetratũ, iam
vt in ſuiſmet ditionibus ſentirent belli mala hoſtes, iam
per Danicas oras ſumma victus penuria, quem tam hoſti-
les delectus, quam etiam ipſi hærentes ſesqui anno Colli-
gati absũpſiſſent. Rareſcebat enimuero militantiũ iſthic nu-
merus, Germanis paſsim dilabentibus: ſolo quod fatendum
Electore per ſe rebùs intento, & rigore imperij legiones
continente. Duces quinetiam Poloni inde abierant, Opa-
linius morbo, Czarnecius mandato Caſimiri reuocatus;
vti bello Moſchouitico nauaret in Lithvania operam. Er-
go verſis in Suecos offenſiuo modo Cæſareanorum armis,
Generalis Zuza, poſtquam Griphenhagium ac Damum
valida Pomeraniæ fortalitia cæpiſſet, Stetinum deniq; Pro-
uinciæ Metropolim, ſparſo latè per maritima terrore cir-
cumſederat. Patrata iſthic Germanici Martis facinora
tranſmitto, ego diſtantium incurioſus, & quem proprijs
occupatum haud vacat in alieno vagari. Ne tamen Rex
Danus in totum à focijs deſertum ſe queri poſſet, IV. Ger-
manorum Millia; etiam Polonorum Mille, ſub ductu Ca-
miri Piaſzoczynij in Holſatia remanſerant, reuocato cum
maiori copiarum parte (vt memoraui) Czarnecio. Equi-
dem, haud exile eas inter gentes comparauerat ſibi nomen
Czarnecius, Principibus viris ob militarem indolem æſti-
matus, militi ex periculorum participio charus, illuſtri ſa-
nè gloria, non tamen inuidiæ expers, cum laudarent vt ſtre-
nuum fortes, damnarent vt præcipitem ignaui, quâ magni-
tudine

tudine animi eminebat, temerariè prouocari diſcrimina 1659.
obſtrepentes. Certè abſtrahi doluit Elector, etiam Rex
Daniæ retentare conatus, niſi regreſſum præciſè imperan-
ti Regi obſequi debuiſſet; cum bona Principum gratia,
tractu Hamburgenſi in Patriam remeando. Sub abitum
flagrantiſsimè ab eo Commiſſarij Dani poſtulauêre, quomi-
nus oris vultusq; lineamenta in ectypum transferre picto-
ris penicillo pateretur, memoriam ſui inter gentes amicas
vel in imagine relicturus: quod diu abnuit fucatæ laudis
contemptor ille, reponens, res ſi quæ in Cymbrica Herſo-
neſo præclarè geſtæ ſunt, monumentum ſibi forè ære peren-
nius; donec tandem exoratus, obiter pingendi ſui copiam
fecit; ſanguinis prodigentior quám colorum

Abſolutis Comitijs Poſnaniam Caſimirus perrexerat, Caſimirus pergit Poſnaniã.
iſthic ſtabiliendæ pacis curâ, cum, ad eundem ſcopum col-
limantibus iam Mediatoris, iam partium ſeſe indicentiũ
ſtudijs deducendi in effectum negotij, ratio conſtare ma-
ximè videretur, vti haud longè á loco Tractatuûm conſi-
ſteret Rex, à quo velut fonte actui incipiendo autoritas,
& illationibus partium promptius diſpungendis, definitio
petenda eſſet. Hîc ſubſiſtentem ſalutabat exacto in Hol-
ſatia biennio Czarnecius, præclarâ ſuâ gentisq; famâ rediẽs,
ac, quem præficere armis contra Moſchum deſtinaret Caſi-
mirus, Gaſieuij in captiuitate exiſtentis vices obiturum:
Sequebantur Ducem commilitones, dum ad oſculum Regiæ
manus admittuntur lacernoſi, proq; veſte Patria ſagulis o-
creisq; Sueticis induti: cultu ſanè inopi,. niſi parta præcla-
rè factis gloria, ſub peregrino cælo hoſpitantes, ſplendidè
conueſtijſſet. Sub idem temporis Viennâ allatis Edictis,
Germanicæ legiones ex Polonia reuocabantur; lætus in
vulgum nuntius, ne ijs quidem ingratus, qui introducendi
autores, velut ingens miſerentis viciniæ beneficium iacta-
uerant. Itaq; dum pedeſtres Zuzæ ac Denſochij Legiones,
in Sileſiam Wielunenſi tractu remeant, & qui alius ſub ſi-
gnis Auſtriacis miles in Regno cõmoratus (Tribunus Hag-

Ccc ſterus

1659. ſterus cum Equitatu remanſerat, belli Suetici decurſum præſtolaturus) aliquem ex Tribunis delegauerant, qui abeuntium nomine per officium valediceret Caſimiro; is verò quæ quantauè Germani in Regno Poloniæ patrauerint armati, memorans, dum verba latina indebitè corripit aut producit, miſertus noſtratium aliquis innocentes Syllabas torqueri, extemporaneo diſticho in Oratorem luſit.

Quid prope Thorunium Dux auxiliarius egit
Quæritis? obſedit, ſedit, & edit, & it.

Simul Cracouia præſidio euacuata fuit, redditaq; ſibi Vrbs, cum duo Millia & ſexcentos milites biennio aluiſſet. Recipiendæ, Vladiſlaus Rey Neocorczynenſis Præfectus, ac Ioannes Miroſzowſki Delegati à Rege, qui ijdem abeuntes Cæſareanos ſine noxa ditionum Regni, ad limitem Sileſiæ deduxerunt. Exiêre Vrbe Germani die VII. Octobris vigens agmen, & ægrius á contracta Vrbici populi familiaritate diuelli ſuſtinens; conſecuta fæminarum è veſtigio infaſciatas proles exportante turba, vt vel neſcientibus palam eſſet, eius fæcunditatis agmen, ex otio & mæniorum vmbra prodire.

Mareſchallus in Pruſſiam copias ducit. In Mariæburgo ſpes & vires potiſsimæ Suecis, loco natura validiſsimo, & diu ante operoſè munito. Circumſtabant Elbinga, Brodnicia, Graudentum, Czczeuum, Dirſauia, Hauptum, aliaq; munita præſidijs oppida, velut membra capiti ſuffragantia, & quæ velut à corde ſanguinem reciperent, aut viciſsim communicarent. Penes Adolphũ Bipontinum Caroli fratrem vicaria adminiſtratio Prouinciæ, Principem gloriæ quàm arma faciunt háud ſegnem, niſi quod ſecus vergente fortuna è comiſsâ ſtatione decedens, ſecuritatem proprij capitis deſiderio famæ præhabere oſtendiſſet. Quod tamen prouidentiæ imputabant Sueci, vti diſpertitis in loca munita præſidijs, omniq; cura in diuturnam propugnationem inſtructis, ſupereſſet extra diſcrimen ipſe, qui periculis ſuorum & indigentiæ obuiam iret. Quocirca, vtramq; Viſtulæ ripam complexus armis

Mare-

Mareſchallus Lubomirſcius, quantocius in ipſa Pruſsiæ penetralia legiones duxit; magni moliminis ſocio Illuſtriſsimo Ioanne Sobieſki Supremo Regni Vexillifero, diuinitùs, vt ſuppono, ad occiduum Regni limitem pacandum deſtinato, vt olim Throni Sarmatici clauo admotus, demum in Orientem ſecurius contra Barbaros arma verteret. Penes Caſtellanum Camenecenſem Grodźicki rei armamentariæ cura, cui ſolerti eius Oeconomiæ adminiſtro, in promouẽdis conſilijs belli, plurimùm Mareſchallus tribuebat. Gotofredus Hagſterus, & Retſchinius Baro Tribuni Germanorum, bis Mille Cæſareani Equitatus adduxerant; vt propè ad ſexdecim Mill: accederet Exercitus, non vltra maiori numero, ob quadrifariam diſpertitas, vt innui Regni, copias. Quæ longè infra deſtinatum molimen vires, etſi ſolicitum redderent Ducem, is tamen in ſummam belli intelligens, omnes, pro inſito agendi vigore moras abrumpebat; an quod probè meminiſſet, tam ſibi belli munia, quàm pacis conſilia credita, ſi priore nequiret, futurum fore ſperans, vt altero lauream reportaret. Vbi contractæ legiones haud cunctatus, Graudentũ (Grudźiądz) in primum armorum experimentum deſtinauit. Id minoris quidem nominis Pruſsiæ municipium, aſt in ripa Viſtulæ ſitu percommodo. Quingenti Sueci Ductore Kuhno Tribuno inſederant, primam ingruentis Exercitus Poloni vim excepturi: eiuſmodi oppidis ex arte militari Mariæburgo circumpoſitis, quominus primo impetu elaſſato, in ea quæ pro cardine eſſent, reliqua vis exereretur languidiùs. Hìc Caſtris in crepidine amnis poſitis, interim è machinis quaſſantur mænia, iaciuntur ignes, pulſanturq; interiora oppidi pilis granatis, iam mortalibus cædes, iam ineuitabile tectis incendium ferentibus. Etſi, in anteceſſum Mareſchallus, non inutilẽ primis cæptis clementiæ famam ratus, obſeſſos obnuntiaret, ni ſe ſponte dedunt extrema arceſsituros? aſt reiecta præmonitio, ſeu ſperato ſuccurſu peruicacibus Suecis, ſeu coalituræ mox pacis fiducia: idq; adeo inurbanè, vt ſalu-

Graudentum aggreditur.

Ccc 2 tis

1659. tis nuntius Tubicen, ſub aditum abitumq; globis peteretur, quem diuerſa licet afferentem, tractari humaniùs expediebat. Frangendæ temeritati Mareſchallus exemplo opus aduertens, ne prima experimenta temnerentur, in diem ſequentem oppugnationem indicit, miſsilibusq; rurſum ignibus inquietam hoſti noctem eſſe voluit; quâ, dum artificioſa Pyrotechnitæ mala in oppidum iaciunt, fortè euenit, vt vnum fæno ſtraminibusq; incidens, materiam ardendi facilem ſuccenderet, à quo demum fomite eualeſcente, flamma totum oppidum in momento corripuerat. Ita, quæ natura ignis eſt, vt emolliat ferrum, etiam hìc infregit pertinaciam obſeſſorum, conſternatis fortuito caſu tam municipibus quàm milite; ſed diuerſa cura ſciſsis vtrorũq; animis, cum pro retinendo loco præſidiarij agerent, in reſtinguendam flammã Ciues allaborabant, ſæuienti elemẽto pignora opesq; erepturi: cum interea aggreſſor miles violentus irruit, vna manu excidium oppidi, altera direptionem fortunarum intentando. Vix bihorio repugnatum, obſcura inter tenebras defenſione, & dolentiore cæde, vbi, quibus flamma pepercerat ferro caderent, rurſus eludentes ferrum, igne abſumerentur. Indoluit Dux pereuntibus, ac per præconium tubæ ſeriò parci miſeris iuſsit, ſimul vehementiam irati militis Tribuni retentabant, vt non repugnantes ſeruarentur, monumentum victoriæ. Septingenti nihilominus ex oppidanis interiêre; CC. ex præſidio: qui vero conſeruandæ ſalutis rationem in flumine ſubiecto reponebant, celeri exitio deleti ſunt, ſubductis lembis, aut, ſi qui inſcenderant, protinus ab accurrente milite ſubmerſis. Re deſperata Præfectus in caſtellum ſe cum potiore parte præſidij ſubduxerat, faciliùs dedi quàm capi oſtendens; verùm vbi nec animus nec ſubſiſtendi ratio competit, Equitibus Hagſteri in manus venit; honeſtius & ſecurius in ante diem deditione exitium præuenturus, quàm vt nunc cum probro tot profuſi ſanguinis reus, caperetur. Ex Turri itaq; in quam ſe abdiderat protractus, cum vnde viginti

Ordinum Ductoribus Mareſchallo ſiſtitur; ac tantùm ideo 1659. quod animoſior verbo quàm opere fuiſſet increpitus, incolumis manſit: Quadringentis ex præſidio vitâ donatis, quorum ferè omnes inter legiones Polonas militaturi nomina dedêre.

Sic famâ & terrore latè ſparſis, copiæ in citeriora Boruſsiæ proceſſêre, etſi anxio Duce, vbi perpendit rei gerendæ obſtacula, & difficultates. Quippe, præter graue autumnali intemperie cælum, iam annonæ per deſolatam Prouinciam ſumma difficultas, iam perparcè ſuppeditati in belli impendia ſumptus angebant: Cohortes pleræq; pigerrimè in Caſtra allabebantur, aliaq; incommoda, quæ prius Dux intelligit, antequam militare vulgus ſentiat. Aſt ille præſentibus par, futura curæ Numinis remittens, ſemper in promptu occurrentibus malis remedia habuit, ſciens prudentiæ miſturam, fortunæ belli opitulari. Ac primò, copias validiſsimo loco impugnando dum augere nequit, tripartito diuidendas exiſtimauit. Wilhelmum Butlerum Supremum Vigiliarum Præfectum, cum Baronis Ratſchinij Equitatu, in obſidendum Hauptum Gedanenſibus adiũxit: Baronem ab Oedt cum Raytris ſuis, ac Stephanum Niemierycz cum legione pedeſtri, ad intercipiendam Elbingæ communicationem (paſſus vocant) ordinauit, vti Electoralibus iuncti ambo, omnem petendi aut ſubmittendi auxilij ſpem præcluderent: ipſe demum cum reliquis copijs verſus Mariæburgum tetendit, quominus fertiles illas, in gemina diuortia ſciſsi Viſtulæ Inſulas, ſuum in vſum vendicaret, ac ſic oportuniſsimo loco hoſti erepto, in ipſã Vrbem armis experiretur.

Mariæburgum nobilis Boruſsiæ Ciuitas, Theutonicos Fratres primos conditores agnoſcit: Caſtrum præcipuè inſigne munimentum habet, quod ad Hartmannum Comitem Heldringenſem, Magiſtrum Ordinis initia ſua, ac primam fabricæ deſignationem ſub Annum 1281. refert. In ea poſtmodum Vrbe, tanquam primario Myſtocraticæ do-

Mariæburgi ſitus.

L. Guaguinus.

1659. minationis membro, non ſolùm ſedem, verùm & condituram ſepulchri, morientibus eſſe Magiſtri voluêre. Qua parte interamni ſitu iacet, longè latéq; prominet diffuſi agri planicies; ab læua nobiliſsimus amnis Viſtula decurrit, altera parte Nogato fluuio, minore quidem illo, ſed placiditate influxus commodiſsimo, alluitur. Mira cæli benignitas ſalubrem locum facit, etiam præter nauigabilis fluminis quæſtum, fertilis circumquaq; agri gleba, facilem æquè pro agricolis, quàm opificibus victus rationem exhibet, populoſam ex antiquo reddens Coloniam: hinc olim præ alijs Pruſsiæ Vrbibus Magiſtri delegerant ſedem, etiam ſublatis iſtis, pro poſſeſſoribus Coronata capita, ſub titulo Oeconomiæ, in hanc diem agnoſcit. Infra Vrbem in gemina brachia diuortiatus Viſtula, Inſulas maiorem & minorem efficit, quarum vtræq; fæcundata illa Nili effluuijs Ægypti arua, ſi non laudibus æquant, certè opimiori meſſis affluentiâ ſuperant. Ibi videas iam balantium pecudum numeroſos greges ali, iam ex opima frugum meſſe cornucopias in vſus humanos ſuppeditari, haberiq; velut geminum Cereris vber, quorum altero panis abundante circumiecta ora reficiatur, altero lacticiniorum diuite ablactetur copioſè. Ante quadriennium, Palatino Weyhero in deditionem adacto, belli iure Mariæburgum Sueci retinebant, non ſine Polonorum cordolio, alieno cauo lupum ſtabulari, & ali vnde noceret. Vrbe ſe incluſerat Nicolaus Danquartus cognomento Lilienſtrom, domi inter Suecos Nobilis, præter exquiſitam architectonicæ militaris peritiam, fidei experimentis, & quantiuis periculi contemptu Carolo æſtimatus, quo vtroq; plura ſæpe inter extrema belli, quàm prudentiæ artibus geruntur. Præſidiarij ad III. Mille, ex fortiſsimis Suecorum delectus miles, Ciues aut religionis aut Germaniſmi nexu deuincti, nec defuerant transfugæ aut legibus damnati, tutiſsimo aſyllo iſthic recepti, quorum ſemper publico hoſte in patriam acerbius odium eſt. Monſtrauit certè Danquartus haud

nutri-

nutritam otio indolem, erectis circa Vrbem operibus ſanè ſtupendis, etſi iam ante vallorum mæniorumq; ductu ſat firmam; ille tamen caſui prouidens multa prioribus per quadriennium addiderat: poſt expugnatum Thorunium eo ſtudioſius firmando loco incumbens, quo maius erat, imò plane Sueticæ fortunæ reſiduum, quod committebatur ſuæ fidei tuendum. In partem ardui laboris accurrerat & Bullouius (is nuper Thorunio Præfectus) etiam cõplures veterani Sueci Germaniq;; ſeu à Principe Adolpho vocati, ſeu ſtimulo gloriæ, huc ſe velut ad certam virtutis officinam contulerant. Par Præfecto in cæteris cura & Prouidentia, cum non modo promptuaria Vrbis ſufficienti annona copioſè inſtruxiſſet, ſed crebris per maiorem Inſulam horreis reconditas fruges, præſidio armatorum tueretur. quam diu licuiſſet vſurus, dum retinere nequit peſſundaturus. Hinc forte ſpei nimius, Carolo in Daniam (vti fama fuit) ſcripſerat; *conficeret auſpicatò transmarinũ bellum Rex, omnino de Pruſſia ſecurus, quam vtcunq; perflaret belli Polonici tempeſtas, ſe nihilominus vel ſexennale Mariæburgi obſidium, donec ſoſpes regreditur ipſe, toleraturum.* Sed talia iactando magis dicuntur, quàm fiunt. 1659.

Inſula Maior recepta.

Decreto obſidio, ante omnia ſubiectas Inſulas hoſti eripere viſum, quarum maiorem Haupto Fortalitio frænatam, minorem ponte Vrbi deuinctam poſſeſſor Suecus tenebat. nequaquam creditus nutrices ſuas, & omnis alimenti pænu, ſine conflictu & ſanguine deſertum iri. Ad Album montem, à petroſo ſolo ſic vocatum, Poloni Caſtris conſtiterant, vbi Stawecius cum binis velitum turmis transflumen peruadens, quale & quantum apud pontem Suecorum præſidium eſſet exploraturus, dum fidentius progreditur, & primitias periculi incautè ſpernit, à prorumpentibus Suecis nouem velitum iacturâ retruſus eſt. Melius Samueli Czaplicki ſucceſsit, qui comperto iuſto præſidio pontem retineri, inobſeruatus hoſti continuit ſuos, donec maiore potentiâ patrandum opus ſignificaſſet;

Ergo

1659. Ergo statim obnuntiato milite vt in certamen paratus adesset, vis in Insulam directa fuit, ad primum fulgentium signorum conspectum abscedente hoste, & nullo memorabili facinore depelli se passo, loco longè commodissimo. Quod vero adeo facilè decederet, ex metu insidiarum plerique prouenisse iudicabant, ne scilicet Gedanensiũ ab Haupto, aut Electoralis Chilij miles, manum conferentibus retrò abitum præscinderet. Sanè, ingens Dei beneficium fuit, facili negotio locum recepisse; cum mox & Dersauiam timidi in alieno periculo præsidiarij deseruerint; pari flagitio Starogardum in aduersa fluminis ripa igne ex ussêre; perfunctoriæ tuitionis oppidorum ab hoste specimen, qui adeptis fortálitijs, vt alienis vestibus vtitur, quas vbi cõducit induit, laceras aut inutiles abijcit.

Graudento, & Insula receptis, demum vires & ingenium Dux cum Mariæburgo commissurus, vti nouissimum fortunæ Sueticæ nidum, stringere Vrbem operibus cæpit: aliquorum consilio & voto vt aggrederetur persuasus, pluribus effectum infra ponentibus: quippe instans hyems, victus arctior, insufficientia virium, præsidij obfirmata peruicacia, situs loci inexpugnabilis, non obiter vendicandum locum ostendebant: etiam miles non exolutis stipendijs segnior, aut iniecta spe proximæ pactionis remissus, ad laborem vigiliasq; oscitabat; ijs tamen malis à prudentia remedium quæsitum, reliqua suppleuit fortuna: namq; pro supplendis copijs requisitus Casimirus Rex, protinus Dyneburgensem Præfectum Wolphium, cum Prætoria legione submiserat: commeatuũm subministrationem viciniores Palatinus recepêre, (sed actus hic voluntatis magis quàm efficaciæ fuit, annonæ vectura ob viarum longinquitatem impossibili) Institores ac propolæ Castrenses, ad mercandum aucto pretij inducti, publicas vias tueri iussis cohortibus, quo venalia ferentes, immunes à vexa & rapinis existerent. Interim iugi sedulitate excitata opera, egestæ fossæ, suggestus, loricæ, aliaq; ex ingenio & arte machinamenta, quæ veteri Latio incognita nominibus carent, vsum præsenti sæculo inuenêre. Tum verò velites adsita Vrbis suggredi iussi, non modò humiliora Nogati fluenta, sed ipsum vastissimum Vistulæ alueum, vorticibus amnis aut autumnali frigore haud deterriti, sub aspectum Suecorum equis nando transmittebant. Inter quos Michaellus quidam (Michałek) Tucholiensis molitor, statura quidem infra virum, at animo interritus & industria pari, munitionibus hostium sæpius aduoluebatur; binos aliquando vigiles Suecos per obscura noctis suffuratus, ita, vt præhenderat, cum sclopetis & fomite igniro adduxit.

Solenne apud Rhetores, à minori ad maius argumenta texere, etiam apud Medicos, à Capite sanandi totius corporis rationes ordiri; hoc idem in concilio militari decisũ. Caput erat (Hauptum) Gedanensium ditionis, situ interamni Fortalitium, quod itidem obtinebatur à Suecis. Ab incepto siquidem bello, in eam Vrbem maximè vertebat vota appetitumq; Carolus, iam beneuolentiæ illicijs, iam armorum terriculamentis, in partes tracturus Gedanum; haud erubescens, quasi vero, in societatẽ belli vocare, aduersus pares omnino insociabilis. Vt verò latentis doli illecebras, simul intentatas minas modestè eluserit, aut contempserit viriliter Vrbs ea, in anteactis retuli. Vnde ille spreta oblatam beneuolentiam indignatus, dum Vrbi nocere nequit, aut parcere simulat, vim furoris sui in Hauptum eorundem Iuris effundebat, quod à Præsidio Vrbico defensum aliquandiu, donec maiori vi cedens, tandem in potestatem eius veniret. Eo subacto, (cudendis fulminibus suis officinam appellare solitus) vti amnem Vrbi committeret, rem prodigiosi moliminis nouus Deucalion aggrediebatur, si modo fas esset, elementorum quàm Devs constituit naturam, mortalibus immutare. Quod ne interim furenti liceret, de manu vindicare Hauptum oportuit, enixè intentis Gedanensibus, vti depulso opprimente, illud seruitutis capistrum omni conatu excuterent. Aliquoties

Hauptũ receptũ.

1659. tamen tentata oppugnatio successu caruit, vel quod cauta Ciuitas quà terræ, quà mari cohærens, in diuersa exerere vires haud sibi integrum censeret; vel prudenter exspectans, vt vbi bellum in agone, securiori vindicatione, ac minore impendio receptura, quod suum esset. Ergo, vbi admotas Mariæburgo copias Regni aduertit, etiam ipsa protinus Valentinum Winterum Tribunum, cum bis Mille & octingentis Legionarijs submisit, regulata obsidione stringendo Haupto, futurum sperans, adiutum iri à Mareschallo conatum, vti sic recisis pennis etiam Mariæburgum ad mitiora consilia truderetur. Trudi namq; necessum fore apparebat, vbi inflexibilis Danquartus, saniores monitus respuens, in extrema obduratus vel fuit, vel videri voluit. Hauptum itaq; Butlerus Vinterusq; ex Neringia; altera parte ex Insula Sibertus ac Brandesius Tribuni, viarum obsidionalium ductu se admouentes, strinxerant egregiè: non tamen præsidiarij animo aut spe concidebant, imo licet valescente fame ac continuis assultibus fatigati, adeo per eruptiones Wintero graues exstitêre, vt CCC. prope gregarijs mulctatus, & nisi extemplo succursus adfuisset, statione imo obsidione depellebatur. Vnde, iterum ab Vrbe copijs augeri vires oportuit, Salomone Brandesio, Nicolao de Linda, Fuchsio, Strakwicio, Wechelto submissis, etiam Ioanne Borbato Præsidij Mindani Præfecto, quà consilio, quà manu, simul cooperantibus. Octingenti Sueci propugnabant, animo certè robustiores quàm stomacho, cum Danquartus omnem vim in se prius versum iri reputans, perparcè suppeditasset victui seruientia, satius pro se maiori parte ducens reseruanda. Tentatus vt in deditionem assentiretur Præfectus, primò minax recusauit, deinde vt mora eluderet, non alio consignandum Hauptum respondit, nisi ipso Rege Casimiro veniente, Caput Capiti suo redderetur.

Mors Koniecpolij. Interuenit eodem anno, Alexandri Koniecpolski Sandomiriensis Palatini obitus. Natus erat Patre Stanislao Koniecpolski Castellano Cracouiense, ac Supremo Exercituum Regni Duce, rebus gestis & gloria belli Imperatore clarissimo: qui nuper Vladislao IV. bellum in Ottomanos meditanti, crederetur fuisse eius moliminis fomes, & instrumentum. Par Filio ad bellica inclinatio, haud quaquam fortuna respondit; spectabilis sanè & qui rarò loricam deponeret Patriæ Ciuis, Gradiuum totus spirans, & indefesso vigore agendi. Aderat obuia in viros armis conspicuos liberalitas, etiam largiendi copia, concurrentia adparandam bello famam media: quarum prima, sine altera, ægrè se per actus exhibitionis monstrare valet. Verum, vt benefaciendi promptitudo, si copia tribuendi affatim suppetebat Koniecpolio, ea hæreditatis paternæ amplitudine, vt in sola Vkrayna amplius quam centum populosa oppida numerauerit, complura vltra mille Patrumfamilias incolatu referta, præter alias in Regno ac Russia possessiones. Hinc Aulæ eius ante bellum splendor, ac ministerij regalem prope caterua, vsq; adeo numerosa, vt recurrente solutionis tempore, ex grandiori Elencho per ordinem literarum Alphabeti confecto, de nomine minister quisq; salariandus vocari debuerit. Cuius tamen Patrimonij licet notabilem bello Vkraynensi iacturam subierit, non tamen vllam expeditionem præterlabi passus quin adesset, ac licet coarctato censu, prioris animi ac liberalitatis retinens. Pro paradoxo fuit, continua militia emeritum, haud ad Præfecturam Exercitus aspirare valuisse, crebriori promisso Regis, nullo effectu; fortè, quod nimium in Priuato Ciue splendorem, & popularitatem, odiosè suspiciant Reges, munificosq; in vulgus, fauore & opibus publicis ægriùs iuuant, quibus cum multa acceperint, plerumq; iniuriæ loco est, plura accipere voluisse. Certè, vt bello vtilis Koniecpolius, sic eiusdem causâ existimatio vapulauit, vbi autorem rebellionis Chmielnicium feudo depulsum in arma agit, & postquam rabidam feram iniuria proritasset, improuidè ex custodia elabi patitur. Neq; minus iungi Sue-

1659. Sueco infra laudem fuit, nisi fortè à prouido consilio, vel ab ineuitabili necessitate facto excusabili. Coniunx illi Barbara de Zamoscio, Thomæ Zamoyski Cancellarij Regni filia, è qua natus Stanislaus, vnicus Patri superstes, quo demum steriliter excedente, Domus Koniecpoliæ ex recta linea ramum, arescere Fata voluerunt, translata ad collaterales hæreditate. Ductum funus in paternum oppidum Brodij, cui in hanc diem validissima inter Fortalitia Russiæ Arx, nomen loco comparat; autori gloriam.

Neq; per Curlandiam fauentior Suecorum sors fuit, vel destituente iam partes fortuna, vel ad consilia pacis impellente, quo humanitas & necessitas trahere non posset. Douglassius, vt memoraui, altiꝰ Prouinciæ vngues impresserat, iam iniquissimè tractato Duce Iacobo, iam pressurâ incolarum, quos immisericors diuersitor, in imperati æris contributionem, ferro & igni adigebat. Cohæret illa limite cum Samogitia, vnde non improuidè Lithuani viciniæ succursuri arma hùc intulerant, quominus amicis opitulando, à laribus proprijs hostem detraherent. Haud pridem Michaël Pac Castrorum Lith: Præfectus, Columbam, nominatissimum apud Suecos Tribunum, ad Bausko profligauerat, Ixellio ac Wrangelio iuniore cæsis. Etiam Lipnicki ac Komorowski Tribuni, subinde non ingratam Curlandis exhibueranr operam, commisso peracri prælio, in quo Aderkassus, ac Millerꝰ Generales Suetici, Octingentis amissis capti, ac Varsauiam remissi fuêre. insuper Hilarius Połubinski Notarius Campestris, cum Mille Equitatus agmine insperatò veniens, non sine hostium cæde Mithauiam nuper receperát, egregiâ prædâ potitus, vbi ex ergastulis compedibusq; vltra CC. Nobiles Curlandos liberasset. Obsessa subinde Arx, in qua Mill: CC. præsidiarij defensionem agitabant, instituta nudis pectoribus oppugnatione, cum non pedes, non machinæ, non missilis artificij ignes, in promptu Lithuanis: adeo tamen strenuè clausam indagine feram pressêre, vt sine necessario in arcis muni

munitæ halosim apparatu, à Mille Equitibus, Mille & ducenti Sueci pedites, mænijs clausi, armis instructi, leuioris armaturæ agmini dedere se cum XXXX. tormentis cogerentur: Spensio Tribuno locum tradente, multisq; encomijs fidem & strenuitatem Lithuanorum efferente. Ea deditio contigit ineunte Decembre Anni præsentis 1659. 1659.

Pastorius in Floro.

Etiam Nuenburgum, Goldinga, Vindauia, Scronda, Libauia aliaq; Curlandiæ oppida de manu Suecorum vindicata sunt; insuper Douglassium, diuertendis Lithuanis in Samogitiam irrumpentem, Pacius in traiectu fluuij Iura, notabili clade dissipârat. Constitit posthac Carolum Suecum ereptam de manu sua Mitthauiâ, adeo impotenter tulisse, vt Spensio ac Millero Tribunis, quibus traditæ Arcis crimen imputatum, in comparendum strictissimo Edicto diem dixerit, sine dubio noxam festinatæ deditionis capite luituris, nisi alter furori subductus, Millerus vulnere excusatus, militari infamiâ notarentur.

Caroli fortuna inclinat.

Et plures iam atræ bilis causas inclinâs Fortuna suggerebat, vt subinde natura feruidior, ex insperata rerum conuersione vehementiam affectuũ impotentiùs solueret. Sanè peracerbum erat, subsidium Cromuelis nil tentato successu euanuisse, vbi Anglica sub Montacutio classis domũ vrgentibus Edictis reuocatur; sincerius Batauis Dano assistentibus, qui, non incommodis brumæ, non tempestuoso mari deterriti, Socio Regi fidi in extrema perdurabant. Nec vsq; læta ex Pomerania, ingenium felicitate corruptũ offendebant, vbi Griphenhagiũ, Demminum, Anklamum, aliasq; maritimas Vrbes Cæsareani intercepissent, fœdâ Prouinciæ vastatione consecuta, vt fumantis oræ calamitatem, nisi interiectum æquor impediret, conspicere Carolus, aut certè ex profugis & hostilia passis coram cognoscere posset. Prussia, iam illi pro desperata habebatur, non vltra dominum agnitura, nisi inquantum propugnâns Mariæburgum Danquartus, exspirantis istic possessionis Sueticæ agonem protraheret. Equidem, validiùs ærumnæ premunt feli-

1659. felices: ac magis aduersitas affligit animum, continuo prosperitatis vsu innutritum. Sic, in biuio doloris & vltionis, dum à se impetrare nequit, vti irrequietam mentem ad pacatiora consilia flecteret, rursus in obsidium Haffniæ accingebatur; seu tædio præsentium in extrema obduratus, seu Classis Batauæ recessu erectior, quæ tantisper pro fulcro Haffniæ stabat. Quippe Michaël Ruiter Thalassiarchus Hollandorum, in Fioniam subinde vela dederat, specie quidem vti Danicas copias Nauibus destitutas transueheret, reuera depellendis Prouincia Suecis, ac ita distractas Caroli vires debiliores redditurus, Cum is, vti Poloniam, sic Daniam præhensas tenens, alieno pane & ære aleret bellũ, saginaret militem, suppleret legiones, & nullâ Sueciæ iacturâ, aut impendio, nostris aut Danicis opibus, nobiscum belligerauit, glirium more, quibus ex alieno pænu esca est.

Pugna Danorũ cum Suecis. Itaq;, cognito Classis Hollandicæ in Fioniam abscessu, Szulcbachum Comitem submisit, vti is, confirmatis locorum præsidijs, negotium exscendenti in littus Dano facesseret. Ast, præualuêre Dani, apud Chartemundam disiecto ponte celeritatem Comitis occupantes, vnde compendio viarum exclusus, dum sinum maris circuire cogitur, ipsi interim Middelfardum versùs delati, iam Colligatis iunghi iam aciei instruendæ, opportunum tempus habuêre. Potior pars victoriæ fuit, hostium consilia in ipsos vertisse, vti factum; & qui interscindendos Danos satagebant Sueci, ne ipsi quidem, nisi bifariam partito agmine, in pugnâ se expedire poterant. Vbi consultum haud detrectare certaminis aleam, summo feruore vtriq; in conflictum ferebantur: eo modo instructa acie. Præibat cum Mille Polonis Equitibus, Casimirus Piasoczynski Tribunus, pro Excubitorio munere frontem obtinere solitus; sequebantur per concisa agemmata Dani; ab læua Cæsareanus Eques, *Loccenius.* ac Electorales legiones; & istæ quidem primum ad Odensam in Suecos fortuito vallo acclinantes inuectæ, initium peracri prælio fecerant, non segnius restitantibus Suecis; donec

donec extractâ aliquantum pugnâ, viribus impares in abitum soluerentur. 1659. Consilium erat Nydborgum regredi, vbi submissa recenter à Carolo auxilia suos exspectarent, etiam triduanâ inediâ pressus miles, alimentis corpora reficere posset, relicta isthìc impedimentorum parte, dum Chartemundam præueniendam celeritate festinant. Ergo, composito in militarem recessum agmine, cõficiebánt iter, inter septa hastarum, continuosq; sclopetorum iactus pertinacissimè pugnantes; è vestigio consequentibus Danis, & mordicùs carpentibus abeuntes. Vbi cruentum iter Nydborgum emensi, iterum conuersis ab vtrinq; signis & odijs, fortissimè redintegrata dimicatio fuit, Suecos Sulcbacho ac Borychero, Danos Ebresteyno ac Schackio, partium Ducibus, salutis, famæ, victoriæ, commonentibus. Egregij hìc bellatoris nomen, simul & gloriosam mortem tulit, Casimirus Piasoczynski Ostroſęcensis Præfectus, Tribunus Polonorum, ex prima aciei linea animosè in Suecos inuectus, dumq; feruente prælio latiorem fossam equo superare contendit, triplici globo ictus, demum in ipsis victoriæ vlnis exspirauit, exemplum suis & incitamentum. Ortus illi vt simul adiungam, è Familia Roxolana Nobili Piaseczyniorum, animi corporisq; robore insignis, etiam ex præclarè oppetitâ morte militaribusq; qualitatibus non indignus encomio. Cæde Piasoczynij, Thelezynski ac Morzkowski Cohortium Ductores, consummandæ pugnæ haud defuêre, donec palmam victoriæ superioribus Danis concederent Sueci, cruento certamine victi prostratiq;. Comes Sulcbachus (Regi Sueco per sororis connubium socer) non instrenuè Ducis officio functus: demum, re desperata, fortuito lembo euadens, mari se commisit; sat prosperitatis nactus, quod manus Batauorum solicitè maris littora obseruantium effugisset. Plurimi Suecorum, vbi *Sueci profligantur.* nec virtus, nec fuga salutis modum aperit, in acie cæsi, reliqui vitam clementiæ victorum debuêre. Quatuor Millia interijsse pro certò habitum, vel ex ipsius Loccenij Historici

1659. ſtorici gentis relatione credibile: parcitumq́; facile dedi-
tijs, vbi Dani non amplius ſui alieniq́; ſanguinis prodigi,
ſemet tradentium acceſſu augeri lætantur. Inter cæſos fu-
it Botycherus, Supremus Vigiliarum Præfectus, Kock, Laue-
ran, Cranius &c: Tribuni emeriti militiâ. Inter captos
eminebat Adolphus Vinarienſis, ac Darmſtadienſis Duces,
&c: Waldecus, Konigſmarcus iunior, Brunaw &c: Comi-
tes; Henricus Horn rei tormentariæ Magiſter; Engel, Schon-
deben, Offner, Taube, Smith, Peterſon &c: Legionum Præ-
fecti, vltra Septuaginta machinæ bellicæ, ſigna militaria
CXXVI, aliaq́; Caſtrenſis præda intercepta, cõſecuto pro-
tinus vſu fructu victoriæ, dum Fionia in totum pro Fride-
rico recuperatur. Eſtq́; ea clades ad Nydborgum Suecis
admodum funeſta, temeritatis Caroli proles, operumq́; e-
ius nouiſsima. Ad hoc offendiculum impegit fortunæ
rota pugnaciſsimi Regum, hic ſcopulus minacem toti pe-
lago audaciam ſtitit, hic decidit flos & ſpes vaſti illius
Spiritus, vniuerſi Orbis imperium agitantis: quo de-
mum afflicto (vt fermè finis ad alta leuatis, ruere) capi-
te, non Dania modo Poloniaq́; ſed & Rom: Imperium a-
liaq́; infero mari contigua Regnâ, ac Reſp: in ſpem reſta-
biliendæ pacis adduci cæpêre. Præcipuum tamen ſortita
Dania laboris præmium, præter Fioniam liberatam, etiam
ex Sèélandia quantum virium reliquum, Croneburgum
verſus graui hoſpite ſubducente. Incidit ea victoria in di-
em XXV. Nouembris, eandem Friderico Regi natalẽ: fau-
ſta ſanè & in æuum Danis lux memorabilis, quâ fracto præ-
ualentis hoſtis robore, Regnum illud Borealium nobiliſsi-
mum, iterum renaſci videbatur. Non citra tamen iactu-
ram victoria ſtetit, è Danorum parte vltra MCCC. occum-
bentibus, contumaci ab vtrinq́; depugnantium virtute, ac
prælio tam in loco, quàm per viam pluries geminato. Nun-
tiata clades Carolum flagranti excandeſcentia commouit;
fortè tunc cum Delegatis Hollandis, ſuper ineundis fæderi-
bus colloquium inſtituentem. Ferunt inſperato nuntio
attoni-

attonitum obmutuiſſe diu; dein, ſenſim emerſo ex ſubita ſi- 1659.
deratione animo, ad Delegatos prolocutum. *Haccine (in-
quit) viri boni officioſitas eſt, vt Iſcariotæ in modum, oſculo blã-
di, acerbiorem plagã ſimulatione veſtra infligatis? dum ſtri-
dentes linguâ pacis melos, veſparum more caudâ pungitis? Aſt
enixurum ſe vti fraudis protinus pæniteat.* Quos inter affe-
ctus inſcenſo equo abibat, cum interea Delegatorum ſar-
cinas ſequeſtro prehenſas inſpicere, & quidquid literarij
inſtrumenti eſſet, per ſatellites ſubducere iuſsiſſet; non re-
ſpectum Legationis, non rationes excuſantium admittens,
qui ignaros ſe facti, nec conſiliorum belli participes, pro-
bare offerebant.

Arctiſsimè preſſum Mariæburgum, dedendum demum
aut expugnandum multi cenſuêre, vbi magna parte deiecti
muri, imminutum præſidium, coarctata annona, adeoq́;
ſubtus mænia admotæ operum moles fuêre, vt lapidis ia-
ctu vtrinq́; ſe impetere poſſent; ſed maximè noxius miſ-
ſilium è pyrobolis ſeu Granatarum proiectus, quæ com-
minuti ferri fragminibus obuios paſsim lacerarent, hinc
plurimi è præſidio ſtrati ictibus, ſaucij corpore, truncati mẽ-
bris, etiam afflatu fumi noxio vigore membrorum deiecti,
munijs militaribus maiori parte decedebant. Nec legio-
narijs ſolùm exitiabiles ictus, permultos ex Ordinum Du-
ctoribus interemptos deſiderabat Præfectus, vti Kuchnium
& Brandtium legionum Legatos, Littonum, Buſchium, A-
hlefeldum, Bocklingium &c: emeritos Centuriones, qui te-
lis maioribus confoſsi ceciderant; inſuper Danquartij Fi-
lius quadriluſtris, dum vallum inſcendit, comminuto ſub
aſpectum patris pila machinali humero, inter ſummos crû-
ciatus, die XIIII. Nouembris, vita ſimul & Mariæburgo
abijt. Inter quæ tamen, propoſiti tenax Præfectus, omnẽ
dedendi mentionem excludebat, nihilq; aliud monitus
aut requiſitus reſpondebat, quàm, à tradendo loco prohi-
beri fidei & famæ reſpectu; ſic inter vim, famem, ac pro-
miſcuas cædes, vtriſq́; pro loco potiundo aut retentando

1659. certatum, non tantùm euitari potuit, quin interea Hauptũ ad deditionem cogeretur. *Hauptũ deditur.* Quippe Gedanenses, commeatum ac recentes delectus ab Vrbe submittendo, irremisso conatu stringebant Caput, quà terrâ, quà flumine clausum; dumq; propediem spes est vi aut deditione recipiendi; etiam Winterus familiariter per literas Danquartum requirebat, vti exitium suorum quod immineret præuertens, tradi locum iuberet, tam diu ex more belli obstinatè defensum, donec amplius retineri nequiret; simul de clade in Fionia Suecis illata nuntiabat, spei auxiliorum præcidendæ. Oscitanter ad hæc respondebatur ab altero, ex strenuâ propugnatione periculosæ laudis affectatore, donec sub ipso ineuitabilis discriminis articulo suaderi se passus, duos Tribunorum super securo tractatu obsides dedit, pari numero parte ab altera recipiens: nempe Nicolaum de Linda, & Ioannem Bobartum egregia fama Ciues Dantiscanos. Quin etiam admissus intra Castellum Rosembergius Consul, pactionem in capita digessit, necessaria admittens, superflua expungens, & præcipuè tempori consulens, quominus aduentanti Casimiro, gratulabunda Vrbs exhiberet fidelis operæ documentum. Pari præsidio firmata Brodnicia, & simili deditionis successu in eam diem recepta fuit, ab Henrico Denhoff; hùc, cum pedestri legione ac Equitum ala dimisso. vt tandem Sueci velut fumo apes, occupatis locis sensim depulsi, ac opinione illa debellatæ Poloniæ submoti, iam nonnisi caudâ Prusiam in Mariæburgo ac Elbinga prehenderent.

Sua interim Casimirum fortuna, in constabiliendam vniuersæ Europæ pacem Gedanum deducebat; non magis Castrensibus machinis Mariæburgi muros quatientibus, quam Ludouica coniuge Regis animum ad Generales tractatus efflictim solicitante. Patebat euidenter, Deo melioris causæ fautore, in finem Suecos armis vrgeri oportuisse, ac bello satiari gentem tranquillitati publicæ haud amicâ, nisi procliuis in Rege ad mitiora animus, tum belli Moschouitici

uitici recens in Lithuania consurgentis respectus, etiam minus heroica in depressum hostem vltio, feruidorum rationes mitigarent. Igitur Rex, sub ipsam Haupti deditionem castra ad Mariæburgum præteruectus, ac in Neringiam insulam descendens, Schiuenhorsti pago à Lindano Consule Gedanensi salutatur: vnde, sequenti die Castra Gedanensiũ lustrauit, ac ibidem militari mensa prandium sumpsit. Mareschallus interim, vbi inclinare Danquarti pertinaciam nequijt, frangere decreuerat, aduersùs cæli & belli mala inuictus, & nisi præsenti impressione locum extorquet, vel tota hyeme obsidium continuaturus. Hinc, per submissos egit, quatenus Gedanenses iam annonâ in victum, iam pannis in vestitum suppeditatis, castrensem inopiam, fide Reip: freti, subleuarēt; adpromittens fore, vbi excussus hostis, & Pax redit, ad assem contractum æs exoluendum. Super quibus Magistratus in Curia deliberauit, non vsq; à studio iuuandi auersus, & semel pro semper suspectos Vrbi suæ hostes amoliri necessarium ducens; nisi dum pacis via per Tractatus celeriorem bello finem, & spes lucri, resumpta terrâ mariq; negotiatione quæstum intendit· distulêre in præsens officiosi esse Gedanenses, eiusmodi supplementum, quà priuatâ, quà publicâ Vrbis inopia, excusantes. 1659.

Adulto Decembre, accelerauit aduentum in Vrbem Rex, plausu populi & lætitiâ acceptus. Etiam Lumbresius, per officium visitans, luculenter Regis Christianissimi mētem explicabat, huc se dantis, vti inter infensos Reges æquanimis pax interuentu tanti Mediatoris coalesceret, ac in controuersiarum decisione, aut moderamine, omnia ad æquiponendij stateram, soli iustitiæ fauorabilem, expendenda fore. Nec Sueci Regis inpacata consilia procliuem animum reticuit, non alio argumento inclinationem persuadens, aut reconciliationis cupidum monstrans, quàm, quod Legatos suos ad Tractatus, plenaria potestate instructos, dudum ante miserit, qui Frauenburgi oppido Prusiæ, salutarem negotiationem præstolarentur. Collatis

1659 demum cum Senatu rationibus, Monasteriū Oliuense non incommodus disceptando negotio locus designatus est, vbi tanquam consiliorum centro, susceptas arbitri partes Lumbresius obiret, Rege in Vrbe cum suis manente, per adsita verò Palatia pagosq;, diuersis pertinentium, seu (vt vocant (Interessatorum Principum) vel Legatis vel Internuntijs subsistentibus. Etsi aliquantum de loco rursus controuersiam mouerent Sueci, pro Elbinga aut portu Pilauiensi diu ac pertinaciter contendendo. Reliquæ eius Actus circumstantiæ, quia sub exordium ineuntis anni cæptæ, ac in finem optatum perductæ sunt; ideo, quidquid transactū fuit, consequens liber fusius explicabit. Iam nunc super intensissimæ hyemis frigora, & morbos per contagium vulgatos, dum sic Rex vult & iubet, & cuncti ad exorientis Auroræ pacis iubar respiciunt, solui Mariæburgi obsidiū debuit, dimissis in hyberna cohortibus.

Monetæ mutatio Nec omittam, tunc primùm conturbatas rei monetariæ rationes, Statum Regni enormiter afflixisse: omni bello grauiore peste, quod istud fœderibus post sexennium extingui potuisset: contra, depressus monetæ valor, ne septem quidem lustris instaurari queat. Olim nummulariæ officinæ Regibus vectigales in Polonia fuere; labentibus dein sæculis, vbi res fungibiles sublato in maius pretio increscunt, quæstum & inuidiam in Remp: transcripsêre Regnantes, cum ditari ex eo nollent, vnde plus publicæ querelæ, quàm emolumenti Fisco Regio accederet. Tantisper tamen tolerabilis nummi mutatio erat, dum is exoticæ monetæ conformis, iuxta auri argentiuè pretium æstimabatur, maiore nunc damno & sero reparabili iactura procursus, vbi, tam qualitas metalli, quàm valoris æstimatione apud exteros repudiatur. Subleuando in præsens ærario conducere visum, si minuti nummi, quos solidos vocant, ære cuderentur, vsualis monetæ defectum suppleturi: quæ ferax mãmona, bini Millionis per legem Comitiorum Anni 1658. concessum semen, adeo copiosè multiplicauit, vt

primo

primò ab apertis officinis anno, supra viginti Miryades 1659. eius æneæ prolis, intra Regnum prodijsse credibile fuerit. Similis in argento labes, vigesibus nummis ad pretium floreni recusis. Signabatur moneta inscriptione metrica. *Dat pretium seruata salus, potiorq; metallo est*; altera parte incisis principalibus Regij nominis literis



quas demum aliquis non falso interpretatus fuerat. *Incipit Calamitas Regni*. Et solidos quidem (maneat ex merito memoria) Titus Liuius Boratini Italus; argenteos nummos Thomas Timf Silesius cudendi munus in se recepêre; ob publicum paracharagma in hanc diem diris populi detestabiles, & ex infami quæstu tantùm lucri adepti, vt ab autorum vocabulis sui nummi, in hanc diem nomenclaturam obtineant: etsi non facturi illi, nisi maioris potestatis permissio dispensasset. Ab initio malum vtcunq; tolerabile visum, nonnullis veterū nummûm augem in lucro ponentibus. ast vbi pretia rerum sensim duplicari, auri ac argenti valor in immensum attolli; cõmerciorum rationes interuerti; meliore metallo omnes priuari, molesto cupro pauci ditescere, & omnia subita emptibilium confusione inuoluuntur, tum demum, vis mali ex effectu sentiri cæpit, noxium consilium damnantibus cunctis, consulente nemine. Etsi, in Comitijs Anni præsentis, intentata lis Boratinio fuerit, quâ se is explicauerat, cum, XVIII. testibꝰ iureiurando peruincens, non vltra duos Milliones solidorum iuxta stipulatū cum Rep: procudisse: nec sibi noxam imputandã, cum interea tam extra quàm intra Regnum, æruscatorum feruerent officinæ, falsatos nummos elaborantium, plerisq; ea sedulitate Boratinij exẽplar imitatis, vt à genuinis discerni nequirẽt: alijs præcipuè exteris per incuriam accipientium eo prolapsis, vt ignotam Casimiri faciem, cum barba effingerent. Et hæc erat plaga Ægyptia, paracharagmate Regnum inuolui, debita subtilibus consilijs, publicæ paupertatis causa.

Circa id temporis, eximium par virorum, per diuersa illustri-

1659. illustrium, mortalitatem expleuit; Grodzicki, & Starowolski, vtraq; Pallade memorabiles: quippe, vt notabilior virtus per qualitates subiecti elucescit, ita maiore cum cura ad posteritatem tradi debet, ex raritate æstimanda, vel imitanda ex æmulatione. Christophorus Grodzicki Castellanus Camenecensis, Rei armamentariæ per Regnum Præfectus, prope belli Suetici finem, cuius ipse pars magna fuerat, viuere desijt. Stirps ei Equestris, dotes animi inter arma spectatæ, famam & claritudinem auxêre. Apud exteros militiæ rudimenta deposuit, præcipuè Hollandos, Orangiæ domus contubernio æstimatus, vbi Archimedeæ facultatis, quam architectonicam militarem vocant, arcana percaluit. Suetico in Prussia bello, ex præstãti ingenio Duci Exercituũm Koniecpolio carus, indeq; ad consummandas Codacensis Fortalitij munitiones, iussu Vladislai IV. amandatus, præsidio præfuit; donec Cosacorum rebellantium perfidia, euerso Codaco, Carcerẽ biennio apud Chmielnicium subiret; Stephano Czarnecio captiuitatis socio, vtrisq;, ergastulo & custodiã elusis, indigna detentione se expedientibus, Grodzicio ad Scythas refugo, & captiuitatem apud Barbaros, detentioni Cosacorum præferente. Hinc reuersus, ad Batouum occumbenti Przyiemscio superstes, iterum in manus Scytharum venit, vnusq; penè conciso omni Exercitu, ob veterem notitiam seruatus, tandem opera Patris Hilarij Carmelitæ, ex Taurica seruitute redemptus, egregiam Patriæ operam continuatã militiã nauauit. Obsessam decem Hebdomadis Leopolim strenuè contra Cosacos defendit; Hanum Crimensem in amicitia Casimiri confirmauit; Prussiam delata sibi administratione egregiè tutatus est; Rem armamentariam ex fide procurauit, in conquirendis ingenijs ea in arte excellentibus, & requisitis ad rem, nullis parcens sumptibus, & sedulitati. Summa laudum fuerit, armis natum, bello innutritum, vtraq, fortunâ exercitatissimum, inter Regum fauores, Patriæ vota, Ducumq, encomia, demum in ipso Gradiui

Decessus Grodzicij.

diui sinu vitam posuisse, ac quod, pro coronide felicitatis censeri debet, in ipso Suetici belli agone expirasse. 1659.

Quidni & literato viro, literæ in censum veniant. Etiam Simon Starowolski Canonicus Cathedralis Cracouiensis, vir in tantum laudandus, inquantum virtus intelligi potest, circa ea tempora humanis excessit. Natus erat Patre Basilio Starowolski familia Nobili pro tessera gentilitia deferente, Matre N. Zarânkowna, quinq; fratrum minimus, quos ex vocatione Equestri Pater in bellum expeditos absumptosq; dolens, hunc Beniamin in sortem Domini destinauit, literis erudiendum; vti quod iam quatuor filij sanguine scribere designauerant, superstes iste, atramento & verbo efficacius ad posteritatem loqueretur. In Vniuersitate Cracouiensi humanioribus literis imbutus, etiam per externa gymnasia, recondita doctrinarum præcipuè Iurisprudentiæ scrutatus est: post, ad ministerium Altaris transiens, in Collegiata Tarnouiensi Ecclesia, Primicerium (Cantorem) egit: dein, à Petro Gebicio Præsule Cracouiense, ad Canonicam Cathedralis Basilicæ dignitatem vocatus. Quo in candelabro, non vt fatuus ignis fulsit; capite, lingua, manu, Ecclesiæ proficuus: neq; minus literis vacauit, plurium editionum autor aut scriptor, eruditione celebris, iudicio maturus. Inter alios ingenij partus, quos supra viginti legisse memini, eidem Monumenta Sarmatiæ nostræ debemus, non minore studio collecta, quàm sumptu. Hic igitur vbi vniuersæ carnis viã ingressus, Monumentũ sibi ex literis ære perennius posuit, exstante vestigio, STAROVOLSCIVM extinctum, non posse mori.

A. M. D. G.

Etiam Starouolscij.

ANNA-

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECVNDI, REGNANTE IOANNE CASIMIRO LIBER SEXTVS

Elenchus Contentorum

An. Ch. M. DC. LX.

SVb Anni initium, pax cum Suecis tractari incipit, in Monasterio Oliuensi. Mediator Lumbresius Tractatibus præsidet; cooperantur Principum Interessatorum Delegati, de nominibus specificati. Partium ut vocant principalium propositiones, responsa, & controuersiæ; tum diuersorum ad pacem se indicentium disceptationes; præcipuâ Lisolæ áduersus Mediationem Gallicam obnitentiâ. Mors Caroli Gustaui Suecorum Re-

gis; nec diu cum complanatis aut sublatis difficultatibus, tandem Tractatus vniuersalis concluditur. Rex Casimirus Gedano abit Varsauiam, Ordines Regni ad ratificandam pacem vocaturus. Subinde arma in Moschum expediuntur, Czarnecio cum Holsaticis cohortibus Lithuanico Exercitui se iungente. Chowanski Moschorum Dux ad Polonkam profligatus, etiam arx Lachowicze diffugientibus ab obsidione Moschis, liberata fuit. Varsauiæ Ordinum Conuocatio peracta, vbi obtentæ victoriæ nuntius adest, demum & consilia prosequendi belli agitantur. Exercitus Regni stipendia feruentius requirit, cuius causam dum Campestris Dux sedulo promouet maleuolorum odia incurrit. Casimirus, vbi bello in persona se adfuturum declarasset, finita Conuocatione ad vsq; Samboriam progreditur. Pestis diuersis in locis grassatur. Exercitus Regni ex statiuis Prussiæ, in Vkraynam tendit. Lithuani post breue respirium iterum arma resumunt, Sapieha Sklouum, Czarnecio Mohilouiam subigendas destinantibus. Quibus Dolhoruki auxilium laturus ad fl: Basiam cum nostris experitur, exin campo depulsus, ac inter valla Castrorum abditus, obsidetur. Liberando Cosaci intēdunt; etiam Chowanski instauratis viribus rursus Lithuaniam citeriorem premit. Hinc cis Borysthenem regredi Lithuani debuêre, prohibituri fœdā Prouinciæ vastationem. Cum Chowanscio rursus subitarijs prælijs certatum, quoad dissipatus, ac Castris exutus, tandem se intra Polociam reciperet. Status in præsens Vkraynæ; Moschorum vires, Chmielnicij regimen, & Wybouij secessus, exponuntur. Szeremeth Moschorum Dux in viscera Regni expeditionem decernit. Huic occurrunt Poloni. Scythæ iunguntur nostris, Lubomirio totius Exercitus regimine incumbente, ob ægritudinem Potocij. Ad Lubartouiam primus cum Moschis congressus: hic dum retrocedunt commissa per viam pugna cruentissima fuit. Apud Cudnouiam vallo inclusi obsidentur, & oppugnantur fortissimé. Istis Chmielnicki in succursum tendens, à Mareschallo distinetur. Pugna cum Cosacis ad Slobodyscze, quoad misericordiam serio implorantes, in gratiam recepti forent sub conditione: quod idem Moschis non negatum; etsi Scythæ pactioni intercedunt, captiuando Moschos aut cædendo. Vis subita frigoris imbriumq; fœdè Exercitum affligit. Casimirus Rex cum Reginâ Cracouiam veniens, Supremo Numini pro victoria grates agit, & triumphat. &c.

PAx in meta, pax vna triumphis innumeris potior; brauium nobile, arrhabo salutis, hæredissa cæli, vota omnium, & gaudia felicium. Vbi panditur hyppodromum, multi decurrendo stadio se accingunt, & cursum expediunt; sunt qui per plana viarum effusè prouolent, alij per obliqua incita- Annus Christi 1660.

1660. incitatiſsimè feruntur, repertis qui pedibus diffiſi, vel au-
reo pomo celeritatem Atalantæ diſtineant, vel conſtrata cla-
uis orbita, palmā primi accurſus ferre cum Leſcone moli-
antur. Rem clarius aperio. Statum Europæ in tranquil-
lum reducere, non modo è re Poloniæ Sueciæq; bello con-
tendentium erat, ſed complura Regna & Prouincias, prout
ſe ad belligerantes partes indicebant, non ad beneficium
tantum Pacis, ſed ad Tractatus etiam admittere expediebat
præſertim cauſæ aut armis innexos: ne dum in particulari
paciſcimur, ſocios belli prodere, & à ſe Martem in vicino-
rum iugulos depellere videremur. Hinc Pax ea vniuerſa-
lis dicta, ac generale quoddam armiſtitium. Ergo Prætem-
dentes, ſeu Intereſſati, ad partes Principales ſeſe referunt,
arma deteſtantur, bello preſsis indolent, ſanguinis, cædi-
umq; miſerentur; reſpirium terris, libertatem mari, ſecu-
ritatem commercijs, de verbo ſatagentes, intimiore ſenſu
altiùs recondito. cum interea quiſq; ſibi prouidet, rationes
pacis ad priuati commodi regulam ſubigit, alleuari proxi-
mum niſi ipſe ſupereminear non vult: hi planá diuerſo co-
lore implicant, alij confuſa obtrudunt, adſperguntq; ſcru-
pulos, ac formulas amphibologicas, quæ vel ſalutaris ne-
gotij telam diſſuant, vel deſideratæ rei efficaciam moren-
tur. Ita, dum quiſq; pro ſe agit, vix poſsibilis primo in li-
mine credita, deducendæ in effectum Pacis concluſio: vel
humani ingenij more ob fragilitatem ſibi diffidentis, quod
ſoli Deo competat productio Entis ex nihilo; etiam quod
vniri mortales animis, ægrèferat veterator ille, qui ab æuo
ſeminans zizania, habetur ſpiritus diſſenſionis.

Sub recurrentis Anni 1660 exordium, aderat quinta
Ianuarij, poſteris candido notanda lapillo dies, partium
aſſenſu ad tractandam pacem determinata, de qua verè di-
Pax tractatur Oliuæ. ci potuit. *Hæc eſt dies quam fecit Dominus.* De loco poſt-
quam diſceptatum, tandem conuenerat, vti tractaretur O-
liuæ, qvod eſt peruetuſtum, Sacri Ciſtercienſium Ordinis,
leuca Gedano diſtans, Monaſterium; vbi tamen Tractan-
tibus

tibus, ad mutua colloquia non viſum congregari, ſed per 1660.
ſcriptas ſchædulas, vt partium deſideria proferent conclu-
ſêre: ſeu vitandis verborum offenſionibus, vt fit inter ſu-
ſpicaces, ac, nec dum, amicos; ſeu, quod effata oris inter-
pretando eludi, aut retractari negando poſsint; quæ verò
ſtylus paginæ innaraſſet, inficiari nequeunt, manetq; indu-
bitatum ſemel placiti documentum. Ardui operis Patra-
tores, ex merito, ad poſteritatem memorare lubet, & de-
beo. Ac primo, quia delatæ Mediationis partes Chriſtia-
niſsimo Regi, (cui à multis ſæculis ſolenne eſt in res Euro-
pæ arbitrium) locum & officium tanti Mediatoris ſuſtine-
bat, Antonius de Lumbres Dominus, de Herbingen, Loos,
& la Cloye, Ordinis Regij S. Spiritus Liliatus Eques. Ab
Auguſto Romanorū Imp: vti primo Orbis Chriſtiani Prin-
cipe, ac Colligato Poloniæ, Franciſcus Carolus Lipſteinſki
Comes à Collowrath, Dominus in Richennau, Sac: Cæſa-
reæ Maieſtatis Conſiliarius, Regiarumq; appellationū in Ar-
ce Pragenſi Præſes; tum Franciſcꝰ Baro de Liſola à Thyſe,
& Marienfedl; itidem Cæſ: Maieſtatis Conſiliarius. Pro
Polonia ac M. D. Lith:, Ioannes Comes à Leſzno Palatinus
Poſnanienſis, Reginal: Maieſtatis Mareſchallus, Maioris
Poloniæ Generalis, Mariæburgeń, Corſuneń Præf:; Georgi-
us Comes in Wiſnicz Lubomirſki, Supremus Marêſchallus
idemq; Campidux Regni, Minoris Poloniæ Generalis,
Chmielniceń, Olſtineń, Caſimirień Præf: Nicolaus in Pra-
zmow Prazmowſki, Supremus Regni Cancellarius, Epiſco-
pus Luceorień: Abbatiæ Sieciechouienſis Adminiſtrator;
Chriſtophorus Pac Supremus Mag: Duc: Lith: Cancellari-
us, Wilkouiceń, Kozieniceń, Præf:; Andreas Morſztyn, Re-
ferendarius Regni, Kowalień, Zawichoſteń, Præf:; Vladi-
ſlaus in Nagłowice Rey, Curiæ Regni Theſaurarius, Neo-
corcineń, Libuſień, Præf:; Ioannes in Gnin Gninſki Succa-
merarius Pomeraniæ, Gneznen: &c: Præf:. A parte Sueco-
rum interfuêre. Magnus Gabriel della Garde, Comes in
Leckoo & Arensburg, Sueciæ Senator & Theſaurarius, Li-

 uoniæ

1660. uoniæ Gubernator, nec non Academiæ Vpſalienſis Cancellarius. Benedictus Oxenſtierna, Comes in Korſholm & Vaſa, Liber Baro in Moreb, Regni Sueciæ Senator, & Cãcellariæ Conſiliarius. Chriſtophorus Carolus Slipenbach, Comes in Schouede, Sueciæ Senator, & Conſilij bellici Præſes. Andreas Guldenklaw, Baro in Hulterſtad, Conſiliarius Status, ac per Pomeraniam Iuſtitiæ Præſes. Electoris Brandeburgicus Colligatus itidem noſter ſubmiſerat, Ioannem ab Owerbeck in Euchmedien Baronẽ, Electoratus Dapiferum ac Conſiliarium, Hohenſteynen Præf:, Laurentiũ Chriſtophorum à Somnicz in Grumzdorf Hæredem, Conſiliarium Status, Lauenburgen ac Bitouien Præf:; Albertum ab Oſtaw in Narpkien, Appellationum Ducalis Pruſsiæ Aſſeſſorem. Aderat quinetiam Paasbergius à Rege Daniæ cum Delegati facultate hìc miſſus, qui tamen acerrimè reclamantibus Suecis, nullas in concilio partes obtinere potuit, etſi, vt reciperetur, vehementius Cæſareani contenderent. Batauı quinetiam, ſeu vt vocant Hollandorum comparebant, Fridericus Dorpius in Curia Hollandiæ Conſiliarius, ac Ioannes Isbrand Fæderati Belgij Aduocatus, tum alij diuerſorum Principum ac Rerumpub: Delegati, quos, vt tunc de nominibus cognoſcere difficile fuit, ſic nunc prolixam inſerere nomenclaturam paginæ onerosũm foret.

Cæpto Actu, vbi inſtrumenta Delegationum viſa, & ad inuicem lecta ſunt, partes Principales offerebant Lumbreſio, arbitrij iure & modo Iudici, conceptas in ſcripto Propoſitiones, ſeu puncta paciſcendi; quæ obiter adnotabo. Requirebant in primo capite Poloni, *vti Decreta in Suecia, contra religionem Catholicam ac Sigiſmundum III. prolemq; Regiam lata, abrogarentur. Regni Sueciæ veris hæredibus interceptio, cum vſu fructu compenſaretur. Liuonia Regno Poloniæ redderetur. Dux Curlãdiæ cum omni ſatisfactione in priſtinum ſtatũ reduceretur; Damna Regno Poloniæ & Mag: Duc: Lith: per bellum illata, ſarcirentur. Loca in Pruſsia*

præſidijs inſeſſa euacuarētur. &c: Contra Sueci repoſcebant. 1660.
Prætextum iuris hæreditarij in Sueciam penitus aboleri, cum plenaria quarumcunq; prætenſionum abrenuntiatione. Liuoniæ totius iuxta ſuos lîmites abſceſſum. Sumptuûm in bellum expenſorum compenſationem; adhærentibus Suecorum vniuerſalem amneſtiam, tum Patriæ, honoribus, bonisq; ſuis reſtitutionem &c. Sanè cruda vix poſsibilium materiarum congeries, fatiſcentis in primo limine Mediationis tormentum. Alacer tamen recipiebat Lumbreſius, magnarum rerum praxi imbutus, gnarusq; id demum in concilianda pace, quod in mercium licitatione euenire, vt primò intendatur, dein inſtante emptore remittat pretium, donec in condictos aſſes venditio definita maneat. Vnde æquabili vultu, nec improbabat quod Poloni offerrent, nec arguebat quod Sueci poſtularent, ne præiudicio offenderet. Ac, quia ab inexhauſto bonorum fonte Deo procedant omnia, pax vel maximè, quàm migraturus è terris fidelibus teſtamento legauerat Chriſtus; hinc eo nomine per omnes Baſilicas ſolennes indictæ ſupplicationes, feruebantq; votis templa Vrbis, & pulpita, tam Catholicorum, quàm, quæ ſibi Auguſtana Confeſsio vendicat. Etiam Ioachimus Paſtorius pro pace dicere iuſſus, in frequenti Legatorum conſeſſu verba fecit, neſcio, vtrum nobilius Auditoriũ nactus, an materiam dicendi? Exſtat viri facundi Oratio, ſub Titulo Avrora Pacis typis Gedanenſibus impreſſa; quâ fauſtum vt *Aurora Pacis.* Patribus Patratis congreſſum, ſic negotio finem apprecatus, pleraſq; eius belli circumſtantias expoſuit, cum plenioris Hiſtoriæ promiſſo, niſi ſcriptorem vita deſtituiſſet.

Vbi ad eſſentialia ventum, Sedis Apoſtolicæ Nuntius, ſanè veritus, ne pacis Monaſterienſis in Germania exemplo etiam hìc Religioni Catholicæ ac Romanæ Sedi aliquod præiudicium emerget, aliquoties Regem adiens obnixè precabatur, vti pro recepto nuper Orthodoxi Regis titulo, *Immunitas Eccleſiæ.* eum ſe præſtaret Monarcham, qui quærere quæ Dei ſunt, quàm quæ ſua malit: nec pateretur vt in Regno Poloniæ,

1660. ferus aper deuaſtaret Vineam Chriſti, quod conſequi neceſſum foret, ſi Sereniſsimus cum heterodoxis Principibus paciſcens, Catholicæ Eccleſiæ dignitatem, Iura, & incrementum, temporali paci poſthabuerit. Pontifici quidem optimo, qui ſe etiam erronearum Ouium paſtorem meminiſſet, nimium quam dolore, tantùm Chriſtiani Sanguinis intra Europam fundi, ac pro paterna manſuetudine id vnicè exoptare, vt tranquillatis diſsidijs, ſatius in gentes quæ Deum non nouerunt, hic furor armorum verteretur: quo tamen zelo domus Dei agitur prouiſum Religioni cupit, ne commiſſæ bellis partes, iniuria & damno Eccleſiæ inter ſe paciſcantur. nempe Prouincias in aliena dominia tranſcribendo, hæreticam prauitatem de Religione Orthodoxa triumphare permittant, Ferunt Caſimirum ducto ex imo pectoris ſuſpirio, reſpondiſſe. *Bis ſe Regem, primò Electione Ciuium, iam nunc reſtitutione armorum; vtroq; modo Supremi Numinis ope, & Dei gratia veriſſimè. Ergone immemor accepti, pro tot tantisq; beneficijs, nouam cum cælo Gigantomachiam inibo? & dum alliſus eleuor, contra omnis boni autorem ingratijs pugnabo? Abſit, vnquam mihi cogitatum nefas! imo vero & Regnum, & vitam, & quæ vtrisq; potior famam, Sanctæ Matris Eccleſiæ dignitati ac integritati, infra ponere æquum cenſeo, idq; re ipſa oſtendam.* Sed talia magis tuendis Eccleſiæ Iuribus, aut in præcauendum, quam vt diffideret Nuntius Summæ Sedis ingerebat; cum & Caſimirum tenerrimè erga Religionem Catholicam affectum ſciret, & Eccleſia ſemper abhorrens à ſanguine, quæuis diſsidia inter fideles conciliare ſolita ſit. Quæ enim vera mater, non prius viſcera eripi, quàm infantem ſuum ſcindi patiatur? quis, niſi bonus paſtor creditarum Ouium incolumitatem, vel propriæ ſalutis redimat impendio?

Acrior inter profanos diſceptatio, prorumpentibus velut ex Eolico vtre controuerſijs: dum vnus quisq; ad metam priuati cõmodi tendit: humano more, vt nemo lupum non ex aliena caula ſaturari, quàm ex ſua malit. Notabi-

lis ex

lis ex Suecis difficultas præter alia, dum Sectæ Arrianorũ 1660. per legem publicam, è Regno Poloniæ proſcriptæ, peruicaciter ſuſcepto patrocinio, inſtant, quominus conceſſo reditu, ignominia exilij aboleretur. Depoſcebant item grandem æris ſummam, in compenſationem reddendorum in Pruſsia fortalitiorum, dudum eiuſmodi extorſionibus per externa bella, ac reſpondente ſucceſſu, aſuefacti. Aſt reſponſum. *Conciliandæ pacis non licitandæ iniri media, cum durabilior ſemper amicitia ſit, quæ ex æquo & honeſto, quam quæ ex empto comparatur. Iam dedecere Suecos illiberalis ſtipis facere mentionem, quam Polonis integrum non eſſe per eas largitiones ſe macerare, quos iniquiſſimum bellum depauperaſſet.* Verùm ſolers ſemper in quæſtum cupiditas eſt, & auaritia, in alienas crumenas ſe vel odoratu immittit. Quadriennio ante Ragocius ad Nigrum Oſtrouum armis inferior, condictam pecuniæ ſummã, pro damnis Regno illatis depenſurum ſe receperat, nec præſtitit; iam à Scythis malè mulctatus, iam à Turcis Principatu Tranſyluaniæ detruſus. Manet pro debito Syngrapha nobis, etiam duo ex Tranſyluanis in Łancutenſi (ſi benè memini) Fortalitio, obſides attinebantur. Tranſcribi in ſe poſtulant debitum Sueci; negant enixè Cæſareani, bello indubitatam occaſionẽ quæri metuentes, vbi moleſtus Creditor repetundarum agit, resq; pacatas Hungariæ interturbat, tranſcripta nomina in ditionibus Ragocij requirendo. Etiam noſtri, quamuis irrepetibile debitum cenſerent, ingenuè tamen imaginarij pretij mentionem recuſauêre. Tum plura alia diſtrahebant. Hollandorum Delegati, vt pro Daniæ cauſa nuper armis, ſic nunc rationibus, ne tractatu pacis excluderetur Fridericus, efflictim inſtitêre: pro Maxima adferentes, fauces maris Zundt dictas, ante omnia recuperari oportere; deinceps Pruſsiæ conſulendum. Cui ingrato problemati reponebant noſtri, Primam creandi hominis Deo fuiſſe curam, dein creato prouidendi. Pruſsiam ante omnia & Viſtulam fræno exoluendas, tum demum vt liberetur Croneburgum,

Sueci Arianis patrocinantur.

1660 burgum, facilè Polonos aſſenſuros, quod ipſis inutile foret niſi in anteceſſum haud impedita commerciorum defluitatio aperiatur.

Conſurgebat enimuerò permoleſta illationum tempeſtas; Eurippo alicui non abſimilis, qui immenſitatem vndarum hauriens, iam ſorbet vt emittat, iam emittit vt reſorbeat. Neq; minus Socij belli negotiũ faceſſebant, haud occultantibus Cæſareanis Gallicæ Mediationis diſplicentiam, præſertim, vbi pro explorato fuit, Caſimirum in gratiam pacis, quibuscunq; in Sueciam prætenſionibus haud grauatim abſceſſurũ, ſolo regio titulo ad vitæ tempora contentum; quo demum ſublato obice, ex facili cæptos Tractatus concludi poſſe conijciebant. Ad hæc, rumor incerto autore perſtrinxit, fortè de induſtria vulgatus, Gallorum Regem Auſtriacas Prouincias, præcipuè Alſatiam, cum ingentibus copijs ingreſſum, terrore armorum extorquendis, quæ ſuaſio non poſſet. Quæ famæ inania maleuolis ſpargentibus, etiam credentibus ignaris, Ludouicam Reginam pro ſcopo publici odij obijciebant, velut ipſa ſtudia pacis Sueco-Polonicæ flagrantius agitans, nouo bello Regem Francorum, cum Domo Auſtriaca committere vellet. Vn de Liſola paſsim obloquebatur, ſeu ad morem noſtrum liberius meditata proferendi compoſitus, ſeu quo Miniſtris Imperialibus non ſegnem operam iactaret, aliquando in conſeſſu Commiſſariorum Poloniæ grauiter queſtus. *Quid Imperium Rom: Regno Poloniæ præſtiterit, quoùe merito Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus, Regem veſtrum lata ope iuuerit Poloni, neq; mihi memorare conuenit, neq; vobis credo contigit obliuiſci. Perdit enim beneficium qui iactat, niſi, quod aduerſus immemorem accepti, exprobratione vti liceat. Sed tranſmitto, vos videritis. an tam glorioſæ libertati veſtræ, non paria pro acceptis referre conſentaneum fuerit? Sed, quid dico paria, contraria exhibetis, malum pro bono reddendo. Nos iuratam cum Suecia pacem, cauſâ veſtri poſtpoſuimus? Vos, ſocios belli à quibus adiuti deſerentes, depulſam à ceruicibus Re-*

gni

gni hoſtilitatem, in Sac: Rom: Imp: Prouincias reuoluere conamini? Vobis ab extremo præcipitio ſubleuandis, non ſanguini Germanico, non vitæ pepercimus; Polonia contra ſcriptorio atramento in nos pugnat, Leges neſcio cuius pacis ſibi formãs, quas cerebroſus aliquis, & in nomen Auſtriacum malignus aduocatulus dictauerit. Equidem, vt iraſceremur Germani Suecis, efficere Poloni potuiſtis? neutiquam nos, vt Poloni Mediationem gentis æmulæ abdicetis, eualebimus? Sanè, piget officij, quod amico haud rependenti exhibueris, pungitq; animum reminiſcentia, ſponte malum accerſiuiſſe, ingratis opitulando. Sed Rom: Imperium Sua Maieſtas, ac Germana inuictiſſimi Imperatoris virtus propugnabit; certè Polonis eius Mediationis penitus introſpicienda arcana, ne hæc Galliæ officioſitas, quanto impenſiùs obtruditur, eo nocẽtiòr exiſtat. Vnde verò irrequiſitæ illi in diſſitum Septemtrionem beneficia ſerere? niſi ex impenſa ſemente multiplicem colligere meſſem intendat? cur elaborata in tempus modeſtia pro concilianda pace deſudat adeo Gẽs, aſſuetudine ad id ſolùm facta, vt nec ipſa poſſit, nec quemquam pacatè agere permittat? niſi vt, quod nec Sueci protectione, nec Moſchi inuaſione, nec Ragocius impotenti furore peruicêre, ſubdolis iſti artibus, & verborum lenocinijs aſſequantur. Falſus ſim vtinam vates, plus ab hac mediatione negotij vobis, quam ab armatis Caroli Sueci exercitibus periculi obuenturũ; cum illis etenim acie tantùm, ac aperto campo congreſſi, ab iſtis tacito, & ex inſidijs, imò ſuiſmet viribus oppugnabimini. Succedent claſſico atroces factiones, inquieti motus, tranquillitatis propriæ indigentia, alienæ ruptura, in contendendũ cum innocuis impulſus, & nihil vſpiam pacatum. Pax erit ſine quiete, turbæ ſine reſpirio, amici & hoſtes ſine delectu, libertas gentis non ſine capiſtro, ac reſtrictione. Implicabimini neceſſitate ſentiendi ea quæ Gallia velit, & faciendi, quæ Francis expediant. Quid, ſi Poloniam rurſus inter titulos adnumerare volent? quod negando ſpondere non auſim: ſolers quippe eſt circa deſtinata ambitio, & irrequieta cupiditas. Inſubriam Alpes, Liguriam mare, Nauarram Pyrenæi intercludunt; Ar- 1660.

Ggg ragones

1660. *ragones virtute Hispanica tuti sunt; Siciliæ ac Neapolis Re-
gna ob funestas vesperas fastidiuntur: quidni in protensum
Sarmatiæ clima transplantentur Lilia, ardorem gentis tepore
septemtrionali mitigatura? Eccur tamen sedulus nimiũ, nunc
amicum vobis præstare ostendit? cur non prius, vti patrator
Pacis Stumdorfiensis, ab inuasione Regni vestri Suecum dehorta-
tus est? cur Poloniam de immerita hostilitate non obnuntia-
uit? cur bello iniquo armis non obstitit? cum posset & debuit
pro Guarãtiæ modo, & officio Mediatoris. Quia meliore Sta-
tu vestro, lapsum amici tractatibus iuuare intendit, postquam
eum diu pecunijs & auxilijs contra vos refouisset. Sed esto
tractetur pax? quam tamen non omni casu bello potiorem esse,
pronuntiandum: ast, si restabilienda ea, cur non Summi Pon-
tificis vti Oecumenici Christianitatis Pastoris, & cuius est in-
ter lepram ac lepram discernere, standum sententia foret? vel,
cur non magis Aug: Imperatori Rom: arbitrium competeret,
qui Coronatis capitibus eminentior, primum inter Monarchas
Europæos locum obtinet, simile quid præstiturum Regem Ca-
tholicum; Electores imperij; aut Principes Italiæ; si modò præ-
occupatus in Galliam animus, tam imminentia mala, quàm
emersura bona, prouida consideratione discuteret. Sed, quia
sic vobis deliberatum, fiat sanè? iterum tamen se edicere, eam
Mediationem non minus negotij Poloniæ, quàm nuper Prote-
ctionem Sueticam, facessituram.* Hæc, ex præmeditato, ali-
quantò post, & scriptum obtulerat, quo in capita redacto,
dum nostris exprobrat secessum à partibus, pathos suum
amplificabat, Polonos, non modò pristinam amplitudine
Regni, moderna pactione notabiliter concidere, sed quod
magis Religioni Catholicæ, Iuribusq; Ecclesiæ derogare
nimium: vt qui Liuoniam Suecis transcribentes, Rigensem
Archiepiscopatum, Curoniensem, Osæliensem, ac alios
Orthodoxos Præsulatus, ac Ecclesiæ feuda, admodum ma-
lignè Heterodoxis manciparent, non minore scandalo, ac
Romanæ Sedis præiudicio. Ad ea responsum, vt sæpè a-
lias, à nostris. *Pacis ac belli distinctos Actus esse quorum al-
tero Regna ægrescere, altero acceptas plagas persanari. Sta-* 1660.
*tum Regni Poloniæ ad incitas bello redactum, nonnisi pace re-
ualescere posse, quominus surgentibus aliunde hostibus sufficere
possit. De auxilijs latis admodum honorifice sentire, nisi quod
eo solo euilescat meritum, dum præstiti nimium autor meminit
nam beneficia vti minerales spiritus euaporant, nisi obtundas:
non magis tamen ex vsu Poloniæ fuit accepisse auxilia, quàm cõ-
modo Imperij submisisse; etenim nisi iungerentur Germani Po-
lonis, Polonos Suecis iungi necessum fuerat. Cur sic Mediatio
Gallica perstringat Imperiales, haud conijcere, certè Casimirum
æquissimo animo laturum arbitrium consanguinei Cæsaris, si
modo ex ordine & forma Iuris competeret, vt qui causæ immi-
stus partem constituit, legitimè Iudicem agere posset. Neq;
minus in Pontificem Rom:, & quisquis ille patratorem negotij
se offerat compromissurum, dum modo Pars altera, sacrorum
opinionibus à nobis dissidens, Catholicorum Principum arbitria
subire vellet. De imminutis finibus Regni, ne nimiùm solicite-
tur Isolanus, neminem quippe rebus Poloniæ diligentius satage-
re, quàm se ipsos. Quod Ecclesiæ consultum vellent Austriaci
laudauêre pietatem nostri, certè zelum imitaturi, nisi in pari
argumento similia aliquis suggessisset exempla: nempe Caroli V.
in Comitijs Spiræ Anno CH: 1544. Ferdinandi I. transacti-
one Passauiensi Anno CH: 1552. Ferdinandi II. Pace Pragensi
Anno CH: 1635. Ferdinandi III. amnestia Ratisbonensi Anno
CH: 1641; ac compositione Monasteriensi Anno CH: 1648:
&c: Imperatorum Romanorum, ob bonum pacis in Principes
Sæculares Feuda Ecclesiæ transcribentium. Neq; Hispaniam
destitui similibus. Insuper, esse aliquid terrenis potestatibus su-
blimius & potentius, quod robustissima Monarchiarum corpo-
ra premat, & ad extrema adigat.*

*Figit adamantinos: Summis verticibus dura Neces-
sitas. Clauos.*

Et quoniam Reginam Ludouicam pro obice statumi-
nandæ pacis rumor publicus substituebat, proin, etsi do-
lenter acciperet Regina eiusmodi traductiones, ne tamen

1660. omnia inuidiæ licerent, apud Ministros Cæsareos prolixè per Stephanum Wydzga, Cancellarium suum, suspiciones illas confutauit, palamq; rumoris falsitatem conuicit, vbi Christianissimus Rex firmitudini pacis consulens, obseruandæ ac exequendæ Fideiussorem se professus, non modo ab omni hostilitate alienus foret, verùm in euincendam Principum quos Tractatus comprehenderent securitatem, sub Guarantiæ nomine, se posterosq; Galliæ Reges innecteret. Equidem, vt mel non habetur sine apum aculeis, sic nec pax sine controuersia.

Subinde, velut diutius rationes pacis propitium cælum protelari nollet, CAROLVS Gustauus Suecorum Rex, ille Martis pullus, & subitò emergens Europæ terriculamentum, climacterico mortalis Scenæ expleto curriculo, diem extremum obijt; die XXIII. Februarij Gotteburgi in Schonia. quò de rationibus belli consultaturus, Ordinibus Sueciæ Conuentum indixerat. Pugnacem, actu viuidum, magnanimum exstitisse in confesso est; si, aut gloriam cum modo, aut iustitiam armorum cum cura respexisset. A prima iuuenta armis innutritus, Imperatorias artes percaluerat, neq; segnius militis munia obiuit, facto pariter & consulto promptus, & tàm in curia, quàm acie haud otiosus. Affirmant aliqui non vsq; cædibus & sanguine delectatum, donec corrumperet fortuna ingenium, efficiens aduersis ferocem, secundis intractabilem. Sanè vt duritia chalibis satiùs frangi quàm inflecti valet, sic bellax indoles rumpi potuit, quàm subigi facilius. Hinc ex secus vergente rerum successu, ægritudo animi seu apprehensio incessit, deinde languor Febrem quàm malignam vocant accersijt, quæ per momenta ardentior, sensim tabescens corpusculum in extrema impulit: termino vitæ immaturo magis, quàm dolendo: consimili ferè talium decessu, quibus, non ex quo fructus armorum spargere lubet, vt in æstu curarum moriantur. Sic finijt Carolus, adhuc dum æstuans angusto limite mundi: qui, vt ex fine vitæ, in totum vituperari nequit; sic, neq; ex initio belli à quoquam iustè laudari potest, cum prouidè admodum contingenti morte paci prælusisset, & victorias, si quæ dici merentur, causæ iniquitate corrupisset. Fortunam inito blandam, medio belli ancipitem, in fine deserentem expertus; opinione multorum retenturum fortunam, si disciplinam retinuisset. Eius gesta Sueci ad Alexandri Macedonis, ac Iulij Cæsaris hyperbolas extendunt, tanquam prisci æui Imperatorum gloriam præclarè factis transcenderit. Certè, parentatum ei per Sueciam luctu maximo, dumq; conditur tumulo, iacti ob memoriam nummi, in quibus diuersi enses visebantur excusi, cum Inscriptione. *Indomitus pro pace quieui.*

Vt non viuere Carolum constans rumor tulit, sensim obortæ tractantium controuersiæ subsidebant, persanabatq; opportunè (postquam esse desierat à quo metuebatur) animos inualescens confidentia, vt sinceriùs pro communi bono agere cuncti occiperent. Iam mollius audijt Mediatio, præsertim exhibito per Lumbresium publico Diplomate, quo Christianissimus Rex, vt autorem se eius Fæderis, sic rumpendi vindicem professus, verè Christiano zelo, in procurandam Europæ tranquillitatem se dabat. Etiam Sueci, dum amissi Regis iactura plus afficit, vel exstincti mandata cessant, nuper obstinati decedebant illatis propositionibus; eadem Imperialium ac Electoralium inclinatio, & qui alij ad actum paciscendi pertinuère, mitescebat; vt breui inter tot fluctuantis negotij Acroceraunia, superatisq; Deo sic volente scopulis, ad felicem Conclusionis Portum, Pax desiderata perduceretur: non vano Oliuæ nomine, quæ semper pro Hieroglifico pacis audijt. Quod salutare opus, vltrò citròq; condictis articulis, (Capitulationes) cum ipsa solennitate Paschatis coincidebat, non sine, euidenti mysterio, vt, quando vniuerso Orbi Deus pacis, trophæa Redemptionis inferret, eodem ipso tempore sublatis contendentium bello populorum dissidijs, infensi ad vnitatem animorum reuocarentur. Etsi rei transactæ pu- *Oliuæ Pax conclusa.*

 blicatio-

1660. blicatio, ad Majum differri debuerit, donec cooperatores negotij, à ſuis quisq; Principalibus, aſſenſum (Ratificationem) requirunt, & obtinent.

Poſtquam coalita Pax primùm ex fama, dein ex publicatis ad diem III. Maij Edictis innotuit, vbiq; ouantis populi plauſus, feſtiui ignes, nolarum machinarumq; boatus, ac alia publicæ lætitiæ ſigna reſonabant; communis boni ſenſu nulla ætate conditioneuè deſtituta, quin ob cumulatam grandi Pacis bono Patriam, vti primæ cauſæ, tribuenti Deo, grates ageret. Creditum expugnari afflicti populi votis cælum, clamantis. *O Mucro Domini quousq; non requieſces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* Etiam manifeſtè ſingularem Numinis prouidentiam aduertere licebat, Tractatuûm interuentu, dum ferocit Moſchus, Suetica arma diremiſſe; ac, ne duo tam grauiſsimi hoſtes in Poloniam iungerentur, propè diuinitùs diuortiatos. Tum, ne quid vltra poſt deceſſum Caroli inter, Borealia Regna bellici turbinis maneret, etiam Danus Rex cum Suecia, condicta pace arma poſuit, eidem Majo laureata meſſe debita, qui ſemper hilaritatis menſis habitus; etiam nùnc diuturno armorum tædio feſſas gentes, gratiſsimo Euangelio Pacis, ad diem 27. Maij componebat. Eiuſdem Chriſtianiſsimæ Maieſtatis ſtudio & Mediatione, Hugoné à Terlons Hieroſolimitanum Equitem, ad patrandum inter infeſtiſsima Regna armiſtitium ſubmittentis.

Varſauiæ Ordinum Conuocatio.

Caſimirus actis Gedani Paſchatis ſolennibus, dehinc Varſauiam contendit, quo die XI. Iunij veniens, in primaria Baſilica ſolennes gratiarum actiones inſtitui voluit, itidem proſpera Supremæ Maieſtati in acceptis ferens, cuius adiutorio in aduerſis, muro velut ahenæo, protegebatur. Accurrebat protinùs euocatus per Edicta Senatus, vniuerſa Curia gratulationibus perſonante; niſi Lithuani, vt ab vſu pacis Sueticæ remotiores, ita propius belli Moſchouitici injurijs admoti, haud inanes querelas iacerent: *ereptos ſibi ab hoſte Penates & pignora, Chowanſcio Moſchorum Duce*

Lithua-

Lithuaniam qua latè patet armis complexo, cui omni ſpe deſtituti in victimam traderentur; miſereretur proin populi ſui Rex Sereniſſimus indilatè, ne ſub malleo extremæ neceſſitatis conſtitui, quam à ſuis non poſſent, ab hoſte miſericordiam implorare cogerentur. Ad quæ reſponſum. *Vt principia bellorum permittente Deo oriri, ſic finem eodem adiuuante imponi: eius beneficium, eſſe quod graues Regno Sueci, iàm hoſtes eſſe deſijſſent, neq; deſperandum, quin ſimili exitu Moſchi, vel fæderibus conciliati ex Lithuania abibunt, vel armis domiti extrudentur.* 1660.

Quæ cauſa belli Suetici.

Sic finijt Sueticum in Polonia bellum, æterno Numine, poſt elapſum ſexennium ſanguinolento torrenti, catarractam Pacis obijciente. Cæterùm, ſi altius expendas, quæ tam atrocis belli cauſa, haud alia occurret, niſi prætenſum Ius in Regnum Sueciæ Caſimiri, quod illi paterna hæreditate obueniſſet; tituli tantùm craſſamentum, imaginaria Maieſtas, & Sereniſsimum nihil. Ferunt, præter elatam Caroli indolem, titulum Sueciæ inter duos exdiuidi ægrè ferentem, etiam occulto metu perſtrictum, ne graueſcens ætate ac prolis exſors æmulus, tranſcriberet in potentiorē aliquem vicinum, Sueticæ hæreditatis iura: vel gratiá Patriæ melioris reſignaret Polonis, non ſine colore litigium. Hinc anſam bello, Carolo adnitente vt extorqueret, Caſimiro differente vt rogaretur. Quanti hæc ambitio ſtetit? quot mortalium ſtrage vtraq; Regna literarum apices redemêre? quouè ſanguinis diluuio aliquot atramenti guttæ penſatæ ſunt? ſed plurimos memores teſteſq; habens tranſmitto; vel ipſam ſentire Sueciam credens, acceptaq; vulnera adhuc perſanantem, dum quieſcit. Et Sueonas quidem gentē Ciuiliorem experti, poſitis ſimul cum armis odijs, in amicitiam Poloni admiſimus: neutiquam Gottos, qui olim vniuerſi generis humani hoſtes, ac gens Orbis prædatrix appellari meruêre, etiam nuper Poloniæ infeſtiſsimi. Etſi, cur ſine his Sueci ſincerum germen eſſe non malint, cauſam non video; niſi aſcititiam vetuſtatem arceſſendo, pa-

radoxo

1660. radoxo locum faciant, Suecine à Gotthis? an Gotthi à Suecis originem trahentes, prius ex Equo Troiano prodierint? Certè Historici, Romani Imp: à Barbaris gentibus inundationem describentes, Gotthos Scythiæ Sarmaticæ populos censent; qui à Tanai & maritima Ponti Euxini ora euoluti, ac in Græciam Asiamq; populando penetrantes, demũ more ignis obuia quæq; depascente, in Italiam primò, post in Hispaniam, Galliasq; hostili animo illati, flagellum Orbis habiti sunt. Scythiam verò finibus Sarmatiæ includi, ex Geographorum tabulis liquet, cuius itidem Slauonia maximam partem occupat, credo Gotthis antiquis vicinior & magis contermina, quàm aliquis Scandinauiæ vltra mare angulus. Vicinitatẽ probat Ethimologia cognominis, ex Slauonico idiomate, cuius tota Sarmatia vsus est deducta: Gottowie, quasi paratos dicas; vt etenim à Sława seu gloria Słowacij, à Pole id est cãpo, Polacy, ab inquietudine Capræ Cosacy, sic animo manuq; prompti Gotowie; ac si parati: qui rursus in diuersas Prouincias sparsi, alij se Wyższy Gotowie, seu superiores Gotthi; alij Ostrogotowie, hoc est, acuti Gotthi, nuncuparũt ob differentiã: quæ nomenclatura non omnino Borealem originem Gotthorum conuincit. Ad hæc, Gotthis habitus Sarmaticus, ad talos demissæ Togæ, pellita capitum tegmina, zona substrictum femur &c: arma, arcus, sagittæ, pila misilia, mucro cæsim feriens &c: qualem cultum gentis picturæ, adhuc, dum in Hispania exstantes, fuisse ostendunt. Apud veteres Sueonas literæ Runes in vsu; apud Gotthos Bulgarorum scribendi forma fuit, qualis adhuc, dum in pharmacopæis character Gotthicus dicitur. Insuper, pro insigni Vrsam Gotthi in vexillis deferebant, D. Methodio teste: Sueci Leone ex antiquo gloriantur, aut post Gotthos vsurpant recenter Coronarum trigam. Ast gratulamur ab originum vetustatem, neq; animus est, vt illi nobiscum, pro competentia tituli litigare; imò hoc ipsum clades nostras eleuat, sensumq; iniuriæ abolet, à reliquijs Gotthorum aliquãdo malè habuisse Poloniam.

Altera manu à Suecis libera, vtramq; in Moschum cõuertere promptiùs fuit. Quæ Martis natura? inquies, noxius, erraticus in cælo Planeta, ne in terra quidem naturam mutat, turbulentus, sanguinarius, vagus, vt qui vixdum à Balthicis littoribus expunctus, iam per adsita Ponto Euxino latifundia, aut Septemtrionis recessus, explicat signa, intonat classicum, exerit ferociam. In alterum annũ Lithuaniam premebant Moschi, Vilnâ præsidio insessâ, alijsq; oppidis; & quamuis Konotopensi pugna nonnihil labefactatæ gentis vires, quia tamen prosequi victoriam neglexerat Wyhouius, iam annuo respirio cladem sarcientes, iam Cosacorum in Magni Ducis protectionem relapsu, iterum res suas confirmauerant. De Vkrayna infra edisserã, vbi prius in Lithuania armorum progressum exposuero: Hîc penes Chowanscium imperij summa, lecti Exercitus XXX. Mill: computantem; & cui tantùm Mag: Dux tribueret, vt velut præcursorem, & viam in Regnum armis aperientem, ad bellum Polonicum è vestigio sequi decreuisset: huic militares Collegæ Zmijow, & Sczerba, ac vnde quadraginta Proceres (Woiewoduszki) in id belli iungebantur. Ipse inter suos Sagi meritis clarus, celer, interritus, si modo qui præfidentis animi næuus est, temeritas abfuisset. Ferunt, ad sparsum destinati in Lithuaniam Czarnecij rumorem, enixè apud Mag: Ducem institisse Chowanscium, quominus in experiendam Martis aleam huic æmulo opponeretur; nimis quam victoriam præsumens, & palmâ ex viro armis nominatissimo relatâ, in immensum gloriam auctum iri reputans: cui auaro desiderio, non nimium diu fortuna dilationibus obstitit. Casimirus siquidem in restabilienda fædera irritis aliquoties inuitamentis, & graviori in dies Lithuaniæ pressura commotus, bellum defensiuũm ordiri constituit, iam Vilnensi Palatino Sapieha, penes quem tunc armorum Præfectura, Legiones hosti opponendas contrahere iusso; iam Czarnecio (quem sub Palatini Russiæ titulo intelligi velim) tantisper cum Holsa-

1660.

Bellum Moschouiticum.

1660. tico Exercitu in hybernis per Podlachiam morato, dehinc
primo Vere in Lithuaniam penetrante Sex Millia Sapie-
hanæ copiæ, Tria Holſaticæ complebant, quæ, dum intra Li-
thuaniam tendunt, præmiſſus in anteceſſum cum VII. co-
hortibus Ioannes Polanowſki Działynij Optio, Quingento-
rum Moſchorum agmen apud Słonimum fuderat, cæſis aut
captis non paucis. Vnde præter prima boni ominis præ-
ludia, edocebant captiui, certaminis cupidum Chowanſci-
um confeſtim noſtris occurſurum, vt qui intra valla caſtro-
rum includi, ac præ aggeribus deliteſcere, inglorium putet.
Obſidebat is Sapiehanam Arcem Lachowicze, validis qui-
dem muris, ac ſtrenuo præſidio firmatam, ſed cui tolerata
per medium annum obſidione, ob depleta annonæ prom-
ptuaria, ac pyrij defectum, identidem Præfectus ſuccurſum
loco, aut cōmeatum militi, crebrius à Duce flagitauerat;
dum victus deficit, fatiſcente ab inedia fortitudine. Ibant
itaq; reſcindendo obſidio noſtri, cum primo Kmicic, Excu-
bias Lithuanicas ducens, dein Skoraſzeuius Leſzczynij O-
ptio, in procinctu hoſtem, nihil minus quàm aperto cam-
po confligere paratum, imminere nuntiant. Ergo tractu
ſylueſtri & admodum arduo properatum, donec emenſi ne-
mus Lithuani, Chowanſcium inſtructa iam acie apud pa-
gum Połonka conſpexêre ſubſiſtentem; cautè admodum
is præceperat campum, ab læua interluente palude tutus,
atq; adeo in pugnam flagrans; vt donec ſubſidet nebula,
vix manibus temperaret. Nec noſtri diſtulêre, partitis a-
ciem Ducibus, vti à dextro Czarnecius, à ſiniſtro latere Sa-
pieha cohortes inueherent: ratione tamen feruorem tem-
perantes, dum quatuor turmis in anteceſſum prælium
auſpicari iubent, quo de ſucceſſu reliquo præiudicium ha-
beri poſſet. Iſtæ erant; Wyſzelij Palatini Płocenſis ſub
Bartnicio; Marchionis Myſzkouij ſub Borzęccio; Inciſo-
ris Regni ſub Skoraſzeuio; & Branicij Dapiferi ſub Kułako;
à quibus, quà velitatione, quà ſtrenuo procurſu, primò E-
queſtres turmæ Moſchorum campo depulſæ ſunt, dein bi-
næ legi-

næ legiones peditum, ad præcipiendum lacus aggerem 1660.
deſtinatæ, ferro penitus disjecerētur. Iniquior primi ſucceſſ9
ſors extollit ferocem Chowanſcij animum, quantociusq;
Equitem, á confinio nemoris reuocatum objicit aduerſis,
donec cum machinis acceleraret peditatus: adſunt impi-
grè iſti, & cæptum à mane prælium ad meridiem ſuſtinent,
maximè apud aggerem & paludis extima, noſtris grandine
telorum noxij. Planè in ſuſpenſo exſtabat victoria, donec
Lithuani vliginoſum traiectum ſuperantes, illatis à latere
ſignis, peditem eo loci ſubſiſtentem ádoriūtur, & fundunt;
ſimul Equitem Czarnecius conturbat. atq; ita virtute nu-
merum ſuperante, fortiſsimè loco propellunt. Omnis Mo-
ſcho in pedite fiducia, vnde animo firmus, dum diſpallatū
recolligit equitem, pedeſtrem interea cum machinis aciem
ferociter immittit, ac non ſine ſpe victoriæ rurſus manum
conſerit; vnde miſcetur prælium atrox, ob diſpar militiæ
genus, grauiter in aduerſos hoſte incumbente. Quippe
vix aliqua noſtris peditum Legio, ſeptem non niſi campe-
ſtres machinæ, vna aut altera Deſultoriorum phalanx: cum
contra omne robur Moſchis in ignita ſclopetariorum acie,
prætorianorum denſi ordines, fariſſophori pedites, & qui
præter ſolita arma, latas ſecures ab humero penſiles vibrā-
do, ac notabilem ſeſſorum equorumq; ſtragem edentes,
diu ancipitem victoriam facerent: donec pertinaci noſtro-
rum niſu, fuſo rurſum Equitatu, nec vltra reuocabili, deſti-
tutus ſuccurſu pedes, interneciua clade ſuccumbit. Qui De
vt in acie ſteterat, eoſdem Ordines moriendo ſeruauit, ſu- Chowā-
pra Octo Millia deletus; ac, ne in vicini nemoris latebras re- ſcio vi-
fugum agmen ſe reciperet, protinus ſubmiſſæ cohortes a- ctoria.
ſyllum excutiebant, vt peditum planè nemo vitam ſeruare
poſſet. Sczerba penes quem ſecundæ imperandi partes,
viuus in poteſtatem venit; Zmijow peditatui Præfectus ve-
teranis fiſus Legionibus, etiam Chowanſcium rurſus in præ-
lium rediturum ſperans, diu victoriam moratus, vbi Legio-
narij latis ſecurib9 (Berdyſze) iam ſeſſores, iam equos cōci-
Hhh 2 dunt,

1660. dunt, vel ipso vibrati ferri fulgore quadrupedes perstringente; demũ & ipse inter confertos interéptus cadit. Chowanski inclinante sorte ferociam non curam vitæ abdicans, primò Lachowicze versùs cum duobus filijs cursum intenderat, ast illùc & suos verti, & insequi victores aduertens, Vilnam à prodromo duci voluit, dein tortuoso viarum tractu, nullibi respiciens aut consistens, donec intra Smolenscij mænia tutum se arbitraretur. Multiplicis erroris reus Dux; iam quod intra valla hostem non expectasset, omnino inuictus; iam liberationem obsessæ Arcis & cladem suorum, exercitum partiendo, causauisset: vtrobiq; temerarius & infelix, amissis supra XV. suorum Millibus. Causa enormis stragis, ex ingenio gentis, quod Moschi in exitium obstinati, cæco Andabatarũ more vt ineãt, sic finiant, prælia, nihil medium inter victoriam aut cladem admittentes; vtq; ipsi pro vita supplicibus parcere nescij, sic inclinante alea vltro in ferrum ruentes, mori pugnando malunt, quam in vltionem sequioris euentus seruari. Transacta pugna die XXVII. Iunij, in peruigilium SS. Petri & Pauli incidente, auspicata sanè Polonis sæpiꝰ SS. Apostolorum solennitate, ac plurium triumphorum, sub recurrens solstitium, memorabile anniuersarium. XL. diuersi modi machinæ, CXLVI. signa militaria capta; ac quidquid vel circa Ducem publici æris, vel miles priuati peculij apud se habuit, omnium ex asse hæredem victorem reliquit, nisi pessima ex diuidundi ratio foret, dum fortes pugnant, ignaui spolia rapiunt. Neq; nostris sine sanguine vincere contigit, cæsis propè CCC, gregarijs; ex insignioribꝰ interempto Casimiro Kułhak, Dapiferi Regni Branicij Optione, tum Iaraczeuio Czarnkouij Osiecensis Præfecti Signifero &c: Andreas Pełczynski è Regia Cohorte, Samuel Kobyłecki Semenorum Ductor, Vladislaus Kruszewski, Kałowski, Rostoiowski &c: enormibus bipennium vulneribus sauciati: pari propè Lithuanorum vt opera, sic iactura.

A Połan-

A Połonka demum sub concubiam noctem in rescindendum Lachouiciorum obsidium properatum, tenebris & nemore festinationem demorante: etsi iam Moschi seu præsaga infortunij mente, seu allapso transactæ cladis nuntio, insomnes ac trepidi agitarint; quouè periculum præuerterent, sese in casum expediebant, machinas subducendo, conopæa amouendo, aliaq; impedimenta conuasando, haud quaquam vltra diluculum in loco hæsuri; cum interim celeritas victoris occupat hæsitantes, ad prima surgentis lucis cunabula, cohortibus nostris subtus Castra obsidentium allapsis. Quas, vbi venisse ex Arce conspiciunt, summo feruore clamoreq; prorumpunt obsessi, inq; semiuacua valla incurrunt, quod dum Equites altera parte præstant, vndecũq; Moschi præsenti periculo attoniti, qua quis potuit in fugam se coniecere. Dehinc, ad cædem ac prædam decursum, donec reliquus superueniret Exercitus. Sic Chowanscius campo fusus, & Lachowicze Sapiehanum fortalitium diuturna obsidione liberatum fuit; vbi vltra sex menses contemptis hostium assultibus integrum, & nisi fames premeret, defensum mansit. Loco præerat Michaël Iudycky Tribunus Rzeczycẽsis, cuius iam tunc Duces egregium inter ardua animum & manum, ex merito laudauêre; ille vicissim palmam Triumphi Ducibus, & sibi libertatem gratulatus est. Mox locatus per circumiectam oram in breue respirium miles, præcipuè per hæreditarias Sapiehæ ditiones, ipso inuitante; etiam Christianæ pietatis haud exile specimen exhibente, dum quà subditos, quà conuenas aggregans, sepulturam cæsorum hostium ex conducto procurat, terram terrâ contegens; etiam ne ex ea cadauerum congerie, noxia Mephitis âerem corrumperet.

1660. Lachowicze liberantur.

Victoriæ nuntium, dum protinus transmittere Regi agitant Duces, nonnihil interuenerat controuersiæ, adnitente Sapieha vti signa, captiui, ac alia militaris supellex sibi penes quem summa Imperij, redderentur: renuit Czarnecius, auxiliarem se non stipendiarium Lithuaniæ asserens,

Hhh 3 ac dum

1660. ac dum cunctatur alter, Skoraſzeuium ſine morâ expedit,
qui in quatriduo Varſauiam deuolans, lætam congregatis
Nuntius victoria. iſthic Ordinibus nouellam attulerat. Apud Moniales Gal-
las ſacris intentus Rex agebat, cum ab anhelo nũtio ſaluta-
tus haud reſignatis literis, coram altari ingenua prouolui-
tur, ac, ne tranſmiſſæ quidem ad intima cordis lætitiæ pri-
mitias, autori Deo venerabũdus offert: ſimiles pro victoria
gratiarum actiones, in potioribus templis inſtitui præcipi-
ens. Finijt dehinc Conuocatio Ordinum, in qua Pacis Sue-
ticæ Capita lecta, & aſſenſu Ordinum firmata ſunt, cuius
Inſtrumenti formula in calce operis adnectitur; ac proti-
nus Vladiſlaus Rey, Curiæ Regni Theſaurarius, exhibendæ
Ratificationi Gedanũ; vtq; tàm Mariæburgũ quàm Elbin-
gam præſidijs Suecorum euacuatas reciperet, quantocius
ablegatus iuit.

Varſauiæ Conſilium bellicũ. Reperio Mareſchallum Lubomirium, tantiſper in Pruſ-
ſia, donec Sueci fortalitijs decederent præſtolatum, tandem
à Rege accitum Varſauiam veniſſe: quo cum, (per ægritu-
dinem abſente Generali Potocio), de belli rationibus con-
ferri poſſet. Eximiam huic autoritatem ſtrenuè admini-
ſtrati belli, ſimul confectæ pacis meritum conciliabant,
idem apud militem ex moderato imperio, inter Nobilita-
tem inſita popularitate venerabilis, (quæ duæ, vt raræ vir-
tutes, ita ſæpius obliquè perſtringunt inuidos) etiam præ-
ter multipliciter probatam fidem, conſiliorum maturitate
præcipuus: is in Sen: conſilio de proſequendo bello ſen-
tentiam promere iuſſus, poſteaquam non improſperè pro-
fligatum Chowanſcium Regi gratulatus eſſet, vt ſequentia
ad eundem modũ prouenirent, grauiter diſſeruit; voto Re-
gis planè aſſenſus, vti Vkrayna primò ac potiſsimè in ſedé
belli deſtinaretur: dein ad media & circumſtantias pro-
mouendorum armorum delatus, dum ſincerius mala Rép:
afficientia tangit, aut modos obuiandi ingenuè demonſtrat,
in lapidem offenſionis impegit, velut militem in requiren-
da ſtipendia impelleret: eo ſenſu in Sen: Con: diſſerendo.
Minus

Minus quidem expedire Ducem, pro militum deſiderijs verba 1660.
facere, aſt pro Senatorio munere haud reticendũ arbitror, inter Campi-
primas curas ponendam ſatisfactionem Exercitus, ne retentos dux pro
aſſes extraordinario medio importunè repetens, ſurgentis belli milite
progreſſum improuidè moretur. agit. *Sed vtiq; Dux ſum, tam par-*
ticeps meriti, quàm ſanguinis eorum diſpenſator, nec donati-
uum pro illis, aut extraordinariam largitionem flagito, ſed vt
debitum Stipis, imo cruentiſſimæ merces exoluatur, ex ordine
Iuſtitiæ repoſco: iterum edicens faciendum, priusquam fame-
lica multitudo extorquere præſumat, quæ exorari poſſe diffidet.
Quippe enatum petimen hoc perſanari aliter, niſi parato ære
non poteſt, & omnino perſanare expedit, vt noxium Patriæ ſco-
pulum, ac belli promouendi obicem, quod infauſtus præteriti
Anni Nexus oſtendit, cui me præſtandæ ſatisfactionis vadem
obtuli; & niſi hic & nunc Reſp: fidem exoluit, vadimonio irre-
titus hæreo: non autoritate ſuadendi, non rigore imperij, non
faſcibus lictoris, ſuum repetentes coerciturus, quousq; pecunia
reponitur. Et idem, vt ex ordine Iuſtitiæ fiat, alterum ex ne-
ceſſitate facere omnino expedit. Bello Moſchouitico accinctis, in
Vkraynam tendendum eſt? Digna mehercule animo Regio cogi-
tatio, neq; indecorum nobis pacandæ Patriæ ſtudium laborq;,
hinc pacem promouere, vnde bellum influere cæpit. Aſt pru-
dens à fine incipit, & præpoſterè ad victoriam aſpirat, quisquis
non prius tam ſuas, quàm hoſtium vires pernouerit. Reſpice
Ser: Rex Legiones, et, ſi vacat, ſingulos reuide gregarios; hunc
truncâ manu, illum amiſſo brachio, iſtum priuatum oculo, aut
mutilatũ pede comperies; alij vulneribus confoſſi, enecti mor-
bis, ægrimoniâ languidi, in Te tamen fidem integram, in Patri-
am merendi ſtudium, in hoſtem fortes animos ferunt: ſed ne-
ſcio quomodo militaris vigor fatiſcit, vbi humani corporis Pa-
terfamilias venter, & excitabilis dando feruor, fame & indi-
gentia premuntur. Quomodo vero & ego Ducem ijs, & illi
mihi exhibeant ſe milites, ſimulachra tantùm & vmbra ho-
minum, ægrè in longinquam expeditionem trahendi. Nè ve-
ro ita nudos hoſti obijciamus, reſpirio & ſtipendio confouen-
di ſunt.

1660. *di sunt. Conquisitio pecuniarum ad Ærariũ pertinet; probent enimuero industriam Fiscales, quid in multiplicãdi rationibus profecerint. Sed, quid auctione opus, si publicæ Contributiones ex fide conseruatæ in integro manent? in quem Resp: vsum ordinauit expendendæ &c: Hæc prò fide mea, ac coram eo Rege proferre æquum censeo, qui non ex fenestra, aut pagina, simulachra bellorum speculari, sed in Castris & acie præsens, vt discrimina subire, sic incõmoda militiæ tolerare consueſſet: quid ni intelligat militis sui miseriam, qui laudauit semper constantiam? & munificus largitor vt exegit exemplo fortitudinem, ita præmijs indilatè soletur virtutem.* Haud omnibus sermo js gratus, maximè quo errata Fisci perstringebantur, reuelari arcana Status, subdiq; popularium odijs Ministros Principis, vt quisq; conscius sibi, haud occultè fremebant, differentes, nimium imputare Mareschallum, vt qui Poloniam sibi vni Patriam, & se solùm eiusdem Filium videri vellet. Et hìc iam liuoris semen in herbam pullulare cæpit, arrectis in virum summum odijs, quæ dein in aristam maturescent: interim dissimulatione offensam velari oportuit, in tempus aliud seponendam. Nunc, cum & pecunias expedire arduum, & missionem (hanc etenim flagitabat miles) concedere bello instante haud integrum esset, rursus priora ad remedia recurere visum, ac mulcere militem verbis oportuit, quem præsenti pecunia non possent. Itaq; rationibus Ærarij in speciem ventilatis, dum intertrimenta Fisci accuratius quibus interest premunt, aduocatis in conclaue Legionum Deputatis responsum fuit. *Nouum id penitus S: R: Maiestati accidisse, quod meritissimam militiam, in ipsa penè capiendi brauij meta deficere aduertat, missionem vbi bellum ingruit flagitantem. Verùm absit! indolem Sarmaticam aliquando virtutis deliquium pati, & post fusos Scythas, præfocatos Rebelles, deletam Hunnicam in Trãsyluano ferociam, edomitos per Sexennium Suecos, instantis Moschouiticæ potentiæ vano metu terreri, itane aduersus Barbarorum spicula, ignitam Cosacorum grandinem, Hungarorum machæ-*

Responsum Deputatis.

machæras, Gottorum robur inuicti, ad mentionem hyperboreæ turbæ animis flaccescunt, quorum recenter XXX. Mill:, vel soli Lithuanorum rorarij ad internecionem profligaſſent. Ast, meliora de meritissimo Exercitu, non sperat modò sed credit Rex Ser:, quod post tot labores ac reportatas palmas, expãdentẽ alas Aquilam Sarmaticam, eiusdem alitis pulli sequentur alacres, & victricia signa à Balthici maris littoribus, in extremo Aquilonaris plagæ termino refigent auspicatò. Quoad stipendia; hæc non solum militiam professis, verum etiam qui iam baltheo soluti, non exoluere propè iniuriam fuerit. Proin, quidquid in parato Contributionum, protinus dinumerandum; residuum exoluent Palatinatus, seuerissimis in retentores interpositis pænis, militari executione vindicandis. Et hoc quidem debiti nomine; cæterum, vt munifici in militem Regis maneat documentum; quidquid post Fato exstinctos bonorum Reip: possessores, ad dispositionem Regiam venit, id omne in sago emeritos distribuendum; quod si, nec publicæ opes munerandis benemeritis sufficiunt, ne mensario quidem argento Optimũ Principẽ passurum, modo indigentiam militis sui soletur. In eum modum verbis magnifica Deputatos tenuêre: non quidem ignaros rerum vacua dici; quia tamen, vel vmbra Regum suorum venerabilis est Polonis, ac lenitas Maiestatis inijcit compedes animorum, finem requisitioni gratias agendo imponebant; probrum censentes, pro dilatis assibus litigare, in quorum certitudinem, se Rex vadem planè constitueret. 1660.

Continuatũ sub hæc in Lithuania cum Moschis bellũ fuit, ex ante parta victoria resũpto feruore. Refectas perfũctoria quiete cohortes exciuerant Sapieha Czarneciusq; ; quo in præsens vim verterent nonnihil variantes sententijs: cum insequendum Chowanscium censeret Polonus, quominus refugi insistendo vestigijs, populator miles viscera hostilis terræ vno tenore incursaret, ac retractus ab impetitione alieni hostis, pateretur in proprio, quod peccàuerat in alieno: Contra Lithuanus peruincebat, non esse quærendũ hostem

Lithuani arma resumũt.

1660. hoſtem qui præſto haberetur; abducere in longinqua Exercitum plenum diſcriminis, & vti alter Moſchorum Dux Doľhoruki, vacuam patente oſtio Prouinciam ingredere-tur, ei tantùm vſui futurum. Primò liberandis popularibus, dein affligendo in ſuis terris hoſti, inſiſti oportere. Ergo in Doľhorukium ire aſſenſi, bifariam copias quo expeditius iter foret diuiſêre: Lithuanis Skľow verſùs, Czarnecio Mohiľouiam contendentibus. Populoſa municipia iſta, in defluentis Boryſthenis ripa conſiſtunt, diu ante Moſchis, præter indacta valida præſidia, ſacrorum ac cõmerciorum rationibus innexæ; quæ vtraq; ſubito incurſu tentata, mox neceſſario abſceſſu tranſmitti debuit, feſtinante hùc acceleratis itineribus Doľhòrukio, vel ſanè noſtris gemini loci obſidio imparibus. Copiæ proin in vnum apud Mohiľouiam contráctæ ſunt, cui impoſitus cum præſidio

Mobilouia obſeſſa. Morozow iunior, circumſpectè primam vim excipiebat, ab initio conniuens, vti perampla pomeria ſuccēderentur, ac ita vni Ciuitati robuſtior foret propugnandæ: dein inſtituta eruptione noſtris congreſſus, apud pontem dimicauit, Moſchis in excurſus pedeſtres promptioribus. Nulla dehinc abibat ſine experimento, etiam non extra iacturam dies; præcipuè XXIX. Auguſti, quâ vnde triginta Lithuani in excubijs obtruncati aut capti, dum ſolutiùs agunt. Equidē ſupra militiæ imò humanitatis morem, diuerſis Moſchi truculentiæ exēplis in noſtrates ſæuiêre. Ac primò, aliquem Ciuium Winek dictum, ex non obſcuro mercaturæ quæſtu notiorem, velut proderet hoſti arcana Vrbis, ante munitiones extractis rota viſceribus exanimarûnt: captiuos diris modis torſerunt, equuleo, reſte, flumine, perimētes; detruncatos artus, abſciſſa capita, diffiſa in quadrū corpora contis infigentes, etiam in cadauera ſepulturam negando inhumani: ne in ſuos quidē mitiore indole. Vltra centenòs Moſchos compedibus ſolutos dimiſerat Sapieha, ſeu clementiæ exemplo ad paria prouocaturus, ſeu ne diſpendioſam annonæ turbam fruſtra aleret; quos Præfe-

ctus

ctos Vrbis Zmienniki vocans, ne ſubtus quidem munimentis pernoctari paſſus, reiecit immiſericors, exiliq; panis ſportula, quæ in vnum diem vix ſufficeret impertita, faceſſere ex conſpectu iuſsit. 1660.

Multum iam non ſolùm operæ, ſed ſanguinis Mohilouiæ impenſum erat, cum nouis ſubinde relationibus confirmatus rumor, oppugnatores alio diuertere còégit: Iwano Doľhoruki Albæ Ruſsiæ tutandæ impoſito, quominus Mohilouiæ opitularetur, ſuperueniente. Præſenti non carebat periculo, in Vrbis validæ hærentes obſidio deprehēdi noſtros, ſi præter locū per effluuia Boryſthenis iniquum vna parte munimentis, altera ſuperueniente Exercitu premerentur. *Lithuani contra Doľhoruki.* Et commodè futura præuidens Dux Lithuanus, ponte amnem in omnem caſum conſtrauerat, interceptis ſub obſidium in flumine nauigijs, & accita ex mappalibus vicinis in opus agreſtium turba. Poſtquam in poteſtate traiectus, ac conſenſu Ducum ſuperatum flumen eſt, inceſsit non vana fiducia quærendū ſatius hoſtem, quàm expectandum in loco, cum ſubinde facilius quæuis Fortalitia ſubigi poſſe, ſi modò occurrentem campo potentiam infregiſſent. Verùm non vſq; Doľhorukium ſolicitè quæri oportebat, ſua ſponte obuium & accelerâtem; etſi js poſtquam tranaſſe flumen noſtros intellexerat, accurratè & circumſpectè, in congreſſum omnia diſponeret. Vnde occurſus Lithuanorum non improuiſus illi, ingrata feſtinatio fuit; vt pote quos magis in homines quam valla pugnaces ſciens, aggeratæ telluris glebâ, aut mæniorum obiectu, diſtineri maluiſſet. Baſia modicus amnis, aſt limoſo nimium alueo Boryſtheni influit, vtrâq; ripâ denſis conſita arbuſtis, & cæco paſsim vado profundis voraginibus ſcatente. Planè conueniebat loci ſitus cum ingenio Moſchi, qui in totum exuta peruicacia, viam circumſpectione, & fortunā caliditate præmunierat: à Chowanſcij indole & progreſſu bellandi longè diuerſus, illo in extremis audaciæ, hoc tergiuerſationis hærente, & qui cunctatoris ſpeciem

ad amuſ-

1660 ad amuſsim induiſſet. Præterfluente leuorſum amne ſex ferè à Boryſthene leucis, tergum Caſtrorum in denſum nemus obuertens, grandium arborum concedibus ſtrictè implicuerat, fronte vallo operibusq; præmunitâ, et ſic ingruentem hoſtem exſpectans, vt ſi vincere nequiret, ſaltem ſine ingruentium damno vinci non poſſet. Altera fluminis ripâ conſiſtebant noſtri, loci ſitum diſpicientes diu, ac traiectum morati, præſertim omnibus quæ eſui aut pabulo eſſent, ea parte circumcirca corruptis. Interea ſubibant crebrius emiſſa agemmata, ac ſubtus Moſchorum Caſtris inſperato comparentes particularibus experimentis, aduerſæ partis vires & animum pernoſcebant. Idem viciſsim à Moſchis factitatum, euentu ſub initium ſecundiore, vbi geminas Lithuanorum cohortes, quibus excubiæ obtigerant, depuliſſent; capto inter alios Hilario Czyſz, Nobili Sapiehanæ turmæ commilitone. Sic bina hebdomade in mutua virium recognitione conſumpta, Ducibus demum noſtris ſedit conſilium differentem certamen hoſtem ſine mora aggredi, ne interim per dilationes acinediam vigore animorum defluente, opportunitas rei gerédæ intermitteretur. Ad præconium itaq; tubæ obnunciatâ profectione, imperatum curulli famulitio fuit, vti dolabras ſecureſq; in promptu haberent, vbi vſus monſtraret protinus expediendas; ſimul interminata capitis pœna, ſi quis vel excuſſo ſclopo, vel voce elatiore ſilentium incedentis Exercitus violaſſet. Ita, primo conticinio tranſuadatum flumen, Deſultoriis è ceſpite aliquot munitiones retro eggerentibus, ſecurius firmando tergo, tum quominus flumen in poteſtate haberetur. Vix in vlteriore ripa conſtitêre noſtri, cum dubia adhuc dum luce Moſchorum vigilum agmen comparet, & nihil minus quam hoſtem in proximo ſupponens, ac iocis dicteriiſq; per viam colludés, propius ſuggreditur; ſuborta è paluſtribus nebula proſpectum adimente, an fatali aliqua obſurdeſcentia attonitis, vt nec concuſſæ telluris ſono, nec hinnientium equorum fremitu,

fremitu, præſentire aciem poſſent, donec læuo cornu in 1660. Metatoris Lithuaniæ Pacij alam incurrerent. Hic enimuero immotis ſignis promptior quiſq; prouolat; tergiuerſantur Moſchi, & planè citra omne experimentum fuſi, duce agminis amiſſo, ad valla retro ſe recipiebant, inſperato tumultu & trepidatione Caſtra implentes. Quippe multi à ſomno recentes oſcitabant adhuc, niſi Dux ipſe vigil, futurum fore ſupponens quod acciderat, præfeſtinè excitis extra vallum legionibus, aciem obieciſſet. Triginta illi Moſchorum & Coſacorum Millia, igni & ferro armatæ legiones, quibus fideret maximè; etſi ab ingenio ſuo, & extra omnem poſitus properantiam, tutior exiſteret. Apud noſtros idem qui anteacto prælio aciei ordo; Czarnecius à dextra, ab læua Pacius, medium Dux ipſe tuebatur, immota ſubinde acie, niſi quod præmiſſæ Equeſtres turmæ, hoſtem vt prolicerent incurſabant, attentiſsimâ Ducum curâ, ne præcepto loco, ſummè ad victoriam commodo abſcederent. Sic in conſpectum vtriq; dati ſigna expediũt, tubis claſsicum concinentibus. Præludium conflictus à denſiſsima telorum grandine cæpit, confuderatq; nonnihil primos noſtrorum ordines, è quadraginta machinis iaculatus hoſtis: vnde in cornua retrahi acies debuit, ſcopũ ictibus ſubducendo. Et commodè iam concita pulueris nubes, iam caligo fumi proſpectum libratoribus impediebat, ne explodendo anxiè obiectos deſtinarent. Vbi nonnihil deſederat tormentorum fragor, cum ſeptem cohortibus Lithuanicis Vladiſlaus Chalecki, ac Kmicic in hoſtem inuecti ſunt, qui ſe pertinaciter primo aſſultui obiecit; quod diutius Poloni immoti hærerent pauorem interpretando, ac victoriam in multitudine conſiſtere ratus: retétantibus impetum ſuorum euſq; Ducibus noſtris, donec æſtu prælij, abreptus ille, vniuerſam aciem in conflictum traxiſſet. Quod, vt euenit, confeſtim illatis vtroq; cornu ſignis aduerſos premunt, telis & gladijs res geritur, vir in virum, equus in equum incumbit, quoad primorum Ordinum

Prælium cum Moſchis

1660 num pertinacia fracta, Equitatus hostilis fluctuare animo, mox ne peditem prælio succedentem recessu confunderet, vagus, demum vela fugæ committit, cui intra pedestrem aciem se recipere conueniebat; sed malè prodromum agit metus, potiori fugientium parte à Lithuanis in lutulento traiectu oppressa. Ast Dux, etsi ita Equestri præsidio nudatus, nihilo seciùs tamen pedestrem aciem in aduersos dirigebat, pugnam creberrima machinarum explosione vrgens, sortemq; iterato prælio reparaturus. Idem nostris qui supra animus, & præcepta iam ex primo successu vincendi fiducia. Ergo in resumendum certamen dato signo, Czarnecius, vt moris illi, Tygridis pelle conspicuus, ad Regiam hastatorum turmam peruadens, & prensans Signiferum. *Domanieui (inquit) multus labor restat, & inclinat dies; præcipiti sole ad victoriam properandum est. Præeuntem me sequere, te socij comitabuntur, vtiq; inaniter verbis stimulandi, si præeuntis Ducis exemplum efficacius mouet.* Simul in aduersos incitato equo proruit. Pari & Lithuani feruore in oppositam aciem signa intulêre, ea conflictus specie, vt à multitudine pauci velut rete vndiq; inuoluerentur, donec disiectis obstantium caterius, ferro viam aperirent. Tali impressione redintegrata aliquoties, nostri Moschis graues, qui præter sæpimentum hastarum, quo se aduersùs Equestrem procellam vallauerant, etiam obiectu claustrorum, ericijsq; aculeatis, diu vim sustinebant; præsenti impetentium discrimine, dum in præacutas sudes pectore impingunt equis, (vnde crebra non quadrupedum modò, sed sessorum noxa) donec Hilarius Połubinski Campestris Notarius Lith:, cum fortissima Hastatorum turma hostium latus perfringens, reliquo Exercitui animos adderet; in iteratum assultum ruentibus signis, tantoq; rursus impetu Moschos adortis, vt si in procinctu subsidia adfuissent, simili Polonscensi clade Dolhoruki delebatur. Verùm iam æstu prælij, iam fremitu ac fumi caligine, officia aurium oculorumq; turbantibus, aduerti in puncto non potuit

uit fatiscentis hostium lateris ruptura: etiã Ducibus, dum pugnam in fronte sustinent, remittere vim ob impetendum latus, haud ex vsu conflictus censentibus. Hostis subinde creberrimis in nostros telis grandinatus, & iam cladem prope sentiens, adeo dextrè instituebat recessum, vti integris lateribus mediam aciem pedetentim subtrahens, alis dein frontem vertentibus, intermediæ legiones ordines retinebant; et sic consequenter, dum primi secedunt, secundi primorum locum occupant, donec sine confusione intra valla reliquum Exercitum reduceret: prælio circa octauam de mane cæpto, ad serum vsq; diei perdurante. Victoriam nostris cessisse haud ambiguum fuit, vel ob solam campi possessionem, quã fortuna belli nititur. Vltrà quatuor Millia Moschorum desiderata, etsi apud vadum notabilis rursum strages appareret, sic constrato cadaueribus amne, vti defluens alueus gemino palmo aquas attolleret obstructus. Ferè Quingenti ex nostris desiderati, Ioannes *Zukowski*, Gninscij *Gnesnensis Præfecti*, Stephanus Mankowski Opalinscij, ac Ioannes Podhorecki Wielohurscij Optiones. Michaël Rzewuski globo saucius, ac Thomas Cieciszowski enormibus confossus vulneribus, demum, post rem strenuè actam, conualuêre. Nec Lithuani extra iacturam; Sapieha Palatino, dum grandi vulnere succumbit equus discrimen vitæ subeunte; tum alijs memorari dignissimis, si modò de cognomine sanguinem fundentium patuisset. Hîc, inter alios in manus venit, Adamus Koszanski Nobilis Lithuanus, ab Equitibus Pacij interceptus, qui sub initia belli ad hostes transfuga, turpi proditione patriam deseruerat; & quamuis resipiscentiam simulanti, non modo ignouisset Rex, verùm & aliquod pagorum feudo hominem nequam obstrinxerit, iterum tamen in priorem perfidiam relapsus, damnabili probro Moschis adhæsit; iam tunc captus, ac militari iudicio palo infigendus, mitigata per sententiam Ducis pœna, globis sclopetarijs proditor discerptus finijt. 1660

1660. Pugna ea inter Basiæ ac Prussæ amnium confluentes, die XVIII: Octobris interuenit; coincidente, tàm compressi Dolhorukij, quàm debellati ad Cudnouiã Szeremethi Moschorum Ducum tempore, armorum iniquitate, etiam successu belli sibi conformium.

Dolhoruki obsidetur. Vbi se Castris Dolhoruki inclusit, & validissima munimenta supra spem expugnandi exstant, lenta obsidij morâ & sensim irrepturæ famis beneficio, ad extrema adigendũ spes erat: is tamen ante casum prouiderat futuris, conuexeratq; pro necessitate annonam, tum alia quæ alendo militi faciunt. Contra nostri, circumiecta ora vastata, ac corruptis quæ vsus postulat, commeatu penitus destituebantur; cum plerumq; bellantibus eueniat, vt quam hosti iniuriam inferunt, ipsi sentiunt, & priores fame premuntur, qui famis causa existunt. Ad spatium mensis nihilominus continuatum fuit obsidium, à vallo & fossa pertinaciter pugnantibus Moschis, etiam crebrius minutis ijsq; improuisis eruptionibus, carpere nostros ausis, donec copias abducere Duces statuerent. Quippe, qui pugnando vicerant, sedentario belli genere vincebantur, multis nostrorum per morbos & inediam stratis, sed potissimum pabuli inopiâ enectis equis, quos in eam diem cespites tantùm, & arborum frondes sustentauerant. Et bifariam allati rumores, consilia Ducum distrahebant. Alij Zlotarenkum Tribunum viginti Cosacorum Millia in succursum trahere nuntiabant: rursus Sapiehani velites adtulerant, Chowanscium collectis fugati Exercitus reliquijs, per citeriorem Lithuaniam suppleuisse ad iustum numerum copias, easq; propediem intercipiendo in Borysthene ponti ducturum: vtraq; relatione considerabili. Quippe attrito Exercitui, superuenientibus Cosacorum auxilijs, quàm improuidè pauci aduersùs plures dismembrarentur, tàm periculosè vnum agmen duobus opponi posse videbatur. Ast Zlotarenkij succursu sensim euanescente, & de Moschi per Lithuaniam grassantis famâ certiore, in soluendum obsidium

assensi

assensi Duces, superato Borysthene in intima Prouinciæ copias reduxêre; euulsuri ex vulnere telum, quod rursum Chowanski in visceribus Lithuaniæ grassatus infigeret, circumquaq; populabundus. In hunc itaq; fuêre diuisim, iam annonæ facilius habendæ causâ, iam viæ ob creberrimos traiectus accelerandæ; etiam, quominus à gemino latere aggressi hostem, semel perterrefactum faciliùs conficerent. *Lithuani rursus in Chowanscium.* Dum in eo sunt, interim à Lithuanis improsperè dimicatum, fugato exploratorio agmine, quod Protaszowic ducebat, laudabiliore ausu quàm consilio, in maiorem impigens potentiam (bina Millia Moschorum erant) & loco inter duos lacus iniquissimo. Quo successu Moschi elati pergebant vltra, cum rursus in sex Polonas incidunt cohortes, nihilq; hærent, quin in has quoq; priore animo & fortuna experirentur. Traiectum protensum ac difficilem superabat Czarnecius, præmiseratq; in ante custodiæ causa, donec pontem cum copijs eluctatur; cum istas Moschi numero præualentes vrgêt, & ád radices põtis repellũt, quoad submissum cum Michaële Kozubski auxilium sortem correxisset, infregissetq; pertinaciam, cõspectus in procinctu Exercitus; vnde subito signis & animis retrouersis, in effusissimam fugam se Moschi coniecêre. Insecuti gemino Milliari Poloni ad satietatem vlti sunt, nonullis pridie captiuis ab hoste in libertatem vindicatis, ac vnde quadraginta Moschorum captis. Ex nostris interiêre Lusczewski, Skorupski, Palluski, Wolk: &c: Czeski ac Marchocki atrocibus vulneribus semineces, à quibus dein vitam posuerunt.

Nec defuit vlteriori successui Czarnecius, obnuntiatis confestim Lithuanis, vti copias in hostem sociarent, ipse sine mora subtus Moschorum Castra primo diluculo suggressus. Vrebat iugiter Chowanscium accepta apud Polonkam plaga, vnde abolendæ ignominiæ cupidus, iterandi certaminis consilia acerrimè agitabat; nisi rursum iam præterita cum præsentibus conferens, iam pridiana Equitatus sui depulsione terrefactus, maluisset videri retrocessu

 timidus,

1660. timidus, quàm infelix experimento. Attamen quò super-
eſſe animum oſtentaret, Equitatum primò, etiam machi-
nas in aduerſos eduxit, oppoſuitq; velut pugnaturus: de-
in ſerò diei in Caſtra cum copijs ſecedens, & traiectum pe-
dite, & campum firmiſsimis in noctem retinebat excubijs.
Itidem, ſub dio noſtris traducta nox, aduentum Lithuano-
rum præſtolantibus, cum interea luculenti in Caſtris ho-
ſtium ignes, ſuſpicionem haud quietam agitantium fecê-
re: dein creditum, ex concuſſæ telluris ſtrepitu educi in
pugnam copias, maiori victoriæ ſpe manum cum paucis
conſerturas, dum Lithuaui abſunt, & expeditiore per no-
ctem actu, vbi dies tempus confligendi negauiſſet. Cum
Moſchus Caſtra fugax deſerit. interim Moſchus diffidentiâ reſiſtendi, auerſâ viâ & ſilen-
ter, qua potuit feſtinatione, ſubducto Exercitu, Połociam
verſùs tetendit. Perſenſerant inſomnes noſtri abſceſſum,
ſed quoniam nox amica dolis eſt, diſtulêre in diem conſi-
lium inſequendi, vel pontem (iuxta prouerbium,) fugienti
inſternendum cenſentes. Vbi illuxit, & præmiſsi, hoſte
& inſidijs vacua omnia renuntiant, tum demum Palátinus
accurratè ordinatas Legiones Caſtris admouet; commoni-
to ſeuerè per edictum milite, neù quis iniuſſu Ducis Caſtra
intraret, ſtationes niſi quæ ſortitò obuenirent vſurparet,
captiuis cædes, ignemuè caſis intentaret, in transgreſſos in-
terminata ſuſpendij pæna. Legionem interea Deſultori-
orum ſub Tetwino, ac Kobyłeccij Semenos prægredi, ac
portas ſtationibus firmare iubet; dehinc Albertum Strzał-
kowſki, Dimenſoris (Quater Magiſter) officio fungen-
tem immittit; qui, poſtquam ex dimenſo conſiſtentias,
acſi in oppido aliquo, per vicos ac compita diſtribuiſſet,
tum demum præeunte Duce cohortes Caſtra ingreſſæ
ſunt, ac vnaquæq; in ſtationibus locatæ, victui pabuloq;
neceſſaria iſthic reperêre; cum Chowanſcius, vulgato
Mag: Ducis eas in oras aduentu, vel ſola ex conquiſitis cõ-
meatibus prouidentiæ laude, noxam amiſsi Exercitus con-
cupijſſet. Quod verò abiens non corrupiſſet ſubiecto igne

vt deſtinauerat, coorta ſub noctem imbrium vis vetuit, ea- 1660.
dem Moſchis ſalutaris exiſtens, dum militem ab inſecutio-
ne, nimium immadeſcente humo auertit. Ita noſtri, ad-
modum commodè ſub tentoria caſaſq; hoſti ſtructas di-
uertentes, continuo ſex menſium labore attriti, moleſtias
graueſcentis autumni aliquantum ſolati ſunt; poſt octi-
dui moram, Połocko verſùs ſigna mouente Palatino, cui
Chowanſcius vti natura munitiſsimo loco ſiſus, ſe ſuoſq;
commiſerat. Aderant in breui & Lithuani, vltra tria pe-
ditum Mill: in obſidium admouente Sapieha, & laudabili
exemplo impenſas belli è priuato peculio ſuſtinente: niſi
irremiſſo actu laſſatus miles, & eadem in hyemem defluẽ-
tis temporis ratio, à diuturno & vix poſsibili opere aggreſ-
ſores dehortaretur. Itaq; per adſita flum: Dzwinæ loca-
tæ legiones ſunt: eminus cõſtringendo hoſti intentæ, dum
Equeſtres alæ, per viarum compendia circumquaq; incur-
ſantes, paſſus præſcindunt, & omnem ſpem tam comme-
atuûm, quàm auxiliorum obſeſsis importandorum, atten-
tiſsima curâ excludunt.

Ea ſorte, vti memoraui, retuſa in Lithuania Moſchorũ *In Vkrayna cum Moſchis bellum.*
potentia, iam nunc recenſendis Poloni Martis operibus per
Vkraynam accingor; cuius ſtatus in præſens exſtitit eius-
modi. Malè habuit Moſchum plebis Vkraynenſis in par-
tes Reip: abſtractio; ſed peiùs plebem collata recenter Co-
ſacis Nobilitatis Polonæ decora, nimiſq; mouebant inui-
diam impertita æqualibus à Rege Feuda, tituli, poſſeſsio-
nes, ac in paginis relucentes conceſſorum ſtemmatum pi-
cturæ; dolebantq; ſupra ſe Comitiorum placito, attolli e-
iuſdem ſortis homines, vti dominarentur contribulibus, pri-
uilegia Regis iactantes. E re id Moſchorum, aliena diſsi-
dia in ſua commoda vertentium, eò magis, quòd Scythæ ſe-
poſitâ interim alieni curâ, deſides agerent; & Wyhouij
inter Coſacos autoritas, ſine armis propemodum euileſce-
ret. Ergo iſtum, poſtquam à partibus Reip: ſeducere
Moſchi nequeunt, neq; js latum vnguem diuelli haud in-

1660 tegrum sibi existimat, amouendum à regimine Exercitus Zaporoscensis censuêre: existente ad manum æmulo Georgio Chmielnicki, ex ratione ætatis ad placitum gentis flexibili, & si displiceret, facilè deponendum. Hunc igitur velut succesiuo Iure, in regimen Cosacorum, & hostilitaté Poloniæ substituunt, Ducemq; creatum, donis, illicijs, fauoribus extollunt, iuuenta rudem, & quæ insinuarentur per simplicitatem obnoxium. Quem inter Cosacos rebus potiri summo plebis applausu accepta res; quodque iuuenem clarissimum, Patre orbum, à fortuna desertum, in pristinum statum Magnus Dux attolleret, haud vulgaris beneficentiæ loco erat, in populo cuncta extrinsecè æstimante. Amotis proin ex veteri familiaritate iuuenis adstitibus, formando imbuendoq; datus Cieciura, homo insulsus & turbidus, ac stolida quadam ferocia pro Moschis obstinatus. Is verò, quo animo partes assereret monstraturus, Georgium Niemierycz Kijouiensem Succamerariũ, (qui se, vbi peramplum illi patrimoniũ, in Vkraynam contulerat, ac nuper in Comitijs Varsauiæ à Cosacis fidẽ Reip: amplexis Orator dixisset,) de industria obiecta dissidij causa, enormiter per complices sceleris trucidauit: cæde viri Nobilis nefaria, nisi quod iusta Nemesis sceleribus breues treugas concedat, vt dilationem pœnæ grauitate compenset. Perpetratum facinus siccario impunè fuit, non modo ad similia cõniuentib9 Moschis, verùm è pristino dominationis rigore plurium remittentib9, tàm vt demulcerent plebẽ per indulgentiã, quàm inescarent potiores per impunitatem, modò à partibus nostris & obsequio auerterent. Et paulo ante eodèm Cieciurâ antesignano, supra XXX. Mill: plebis armatæ, bellum in Wyhouium apertè deposcebant, quire desperata, fidissimis suorum nudatus, ac per Scytharum absentiam æmulo impar, relicta Czehryni vxore, Barium, quominùs isthac cieret ex Polonia auxilium, prouidens futuris secesserat. Interim, quid sperandum ipsi, quid metuendum patuit, vbi Daniel Patruelis, per insidias captus, ac enormi

ac enormi

ac enormi truculentia, eliquato argento in os auresq; infuso, eminenti demum palo suffixus fuit; suo casu commonens Ducem, vti faciendis consuleret cautior, qui sic ob leuidense scriptum vapulasset. 1660. Cædem, iubenti Chmielnicio imputauêre aliqui, palam fuit ab exlege Cieciurá patratam; cum Chmielnicius, in partes Moschorum, tantùm quòd validiores in præsens essent inclinaret, multis indicijs non vsq; à Rep: auersum ostendens, maximè vbi aliquot cohortes Polonas, Wyhouio tantisper assistentes, ex Vkrayna præbito commeatu liberas digredi permittit. Etsi sequentia discreparent; siquidem molitus Wyhouio exitium, simulauit omnimodè diuortiatum se à Moschis, inq; Regias partes propendere, vsq; adeo bellè prosopopæia functus, vti ficti recessus imagine Wyhouiæ imponeret, quominus fraudi obnoxia mulier, tanquam mariti amicum admitteret Czehryniam, reciperetq; serpentem sinu: qui mox noxius hospes, laruam deponens, post oppidum, arcem, vti patrimonium proprium tradi sibi imperauit, relictas Patris opes isthìc requirens, quæ tutor sibi Wyhouius in depositum recepisset. In eum modum adornato dolo, Czehrynia cum præsidio, & decennali bello conflatæ opes in manus venêre, deniq; & Wyhouius maiore sui parte captiuus exstitit, vxore in detentione manente.

Sic, quâ recenti Zaporoscensium Duce, quà tota Vkrayna sibi deuinctis, eo gnauiùs Moschi apparabant in Poloniam bellum, susceptas in Lithuania clades, & perfunctoriam quæ mox sarciri posset plagam, minoris æstimando. Dux belli Iwanus Szeremeth, maioribus sago præclaris, & qui diuersis expeditionibus ipse, non obscuro nomine Imperatoriarum artium specimen exhibuerat. Aderant lateri & consilio adiuncti, Ioannes Pawłowicz Akinhoff, Gregorius Kozłowski, Duces & Palatini, Alexim Sczerbaty, Welikogagin, ac Morozow Castellani; præter innumeros Tribunos militiæ ac Dapiferos, quibus sub diuersis officiorum vocabulis, viginti septem Millia Moschorum parebant:

 bant:

1660. bant: Coſacorũ in duos Duces legiones diuidebantur; citerioris Vkraynæ ducebat (vti memoraui) Chmielnicius, ſed qui diſtinendis Scythis obiectus remanſit; vlterioris Cieciura, vltra Triginta Millia Transboryſthenianæ plebis armauerat. Quæ copiæ, acto apud Kijouiam armiluſtrio, vt á Seremetho recenſitæ ſunt, protinus in conſilium vocatis primoribus, de proſequendo bello incunctanter deliberauit; etſi cum abſoluta poteſtate ac imperio, in eam expeditionem à Mag: Duc: miſſus eſſet; additis inſuper mandatis, vti occaſionum non ſegnis, arma expediendo quantociùs Polonos præueniret. Quo tam excellenti de ſe iudicio alacer, qualemcunq; ſuorum ſententiam experiri decreuit, rem per ſe ex deſtinatò concluſurus. Ac primò ad Cieciuram verſus, quid ſentiret promere iuſsit, vti dignatione ſuum in hominem animum monſtraret. *Penes te (inquit) carum Cæſari meo caput, aperiendi ſenſus de bello Polonis inferendo initium eſto? cuius virtute vt gerendum fortiter, ſic conſummandum feliciter, ominari licet. Expone prudens meditati conſilij rationes, quas nunc ſuaſor, mox & actor ferro intrepidè exequaris?* Ad ea Coſacus, iam delato honore tumens. rurſus quæ proferret rudis ac ſtolidus, moroſo identidem riſu differebat reſponſum, donéc tacentibus cunctis, ſe recolligens. *Lachi (inquit) meticuloſis fortes videntur, at frontem contra vertentibus puſillanimes ſunt, & quæ Crocodili natura, diſcrimen intentant, non reſiſtenti. Iſtos iam inuincibilis Mag: Cæſaris noſtri potentia, iam inſuperabilis fortuna, in ſero reparandam, erepta Lithuania, protruſit iacturam: Nos dominatu Vkraynæ, & quidquid ſub nomine Ruſſiæ audit, planè excuſſimus; Suecus Pruſſia præciſis pennis mulctauit, nec iam quid vltra fractis & excordibus supereſt niſi vt veteres plagas lingẽtes, aduerſũ cõſurgẽtia bella animo & viribus exiſtant mutilati &c. Ad hæc, quod pro cõperto eſt, vrgẽt interna mala miſeros; Nobilitas diſcordijs miſcetur, miles ferro retẽta exigit ſtipendia, plebs exactionibus grauata ſuccumbit: quidni exſuccam ſine nummis, ſine conſilio, Regionem,*

ſed omni-

ſed omnigenæ frugis locupletem, inuolamus quantocius? velut 1660
in ædes Patrefamilias ſoporato, & patulis foribus vndecunq; introitum permiſſuris. Enimuero audendum & agendum cenſeo, quæ dixi opere comprobaturus; interim ſummi Ducis imperia attentè auſcultando. Saliuam mouit Seremetho Cieciuræ oratio, vti deſtinatis ſuis conformis; cui haud obſcuro nutu arridens, etiam permulti plauſũm addidêre. Vnus erat Kniaż Kozłowſki recens ab Humanio accitus, qui ſingula conſiderans, quam vt omnia laudaret, rectitudinem conſilij vſu & ratione metitus, in propoſita materia taliter differuit. *Verba (inquit) & promptioris linguæ exuberantiam, ne pro opere computaueris Dux inclite: multum quippe diſtant, prolixè loqui, & ſtrenuè agere; js demum boni militis perfunctus officio cenſebitur, qui ante diſcrimen ſermonem rationi contemperans, manus in decretorium momentum paratas ſeruat. Quantum Poloni viribus valeant, nulli magis quàm tibi apprimè notum ſcio; mihi in ſingula inquirendi curioſitatem non vſurpo, ſat ſub imperio tuo præſtiturus, ſi quem in pugna locum aſſignaueris, vel viuus fixa ſtatione tuear, vel cæſus cadauere occupem?. Iam verò Inuictiſſimi Cæſaris noſtri felicitati imputandum cenſeo, quod Poloni in recuperationem Vkraynæ, quam illi lacte & melle fluentem terram vocant, turbis fortè domeſticis diſtenti, nondum compareant. Non tamen deſidiam omnino, aut metum interpretari fas eſt, quando compoſita cum Suecis pace de induſtria fortè moras trahunt, quominus recollectis viribus occurrentes nobis, itinerum longinquitate feſſos, firmiùs adoriantur. Quo ſuppoſito, Vkrayna nobis manibus pedibusq; retinenda eſt; hic viuere & vincere tutius, & propior in debellandum hoſtem gradus, prouiſa ne vinci contingat ſecuritate. Nam locis munitis inexpugnabiles, cui bono in patentia camporum feſtinamus, patulum periculis & fami theatrum &c. Aſt exequendis imperijs natus, prudentiam Tuam & circumſpectionem appello Dux, vti ſic Poloniam impetere velis, ne omnino excedere Vkrayna adducaris:* Ingratè ea Seremethus accepit, mox abrumpens colloqui-

Contrarius ſenſus Kozłouij.

um, ne

1660. um, ne diuersitas opinionum imperio in omnes derogaret; optioq; sentiendi quæ quisq; vellet, pluribus communicata, minueret autoritatem. Produnt eius belli Commentarij, increpito acrioribus verbis Kozłouio, tanquam imbelli effato Maiestatem Mag. Ducis violasset, ac indictâ Cracouiã versùs profectione consilium Ducem soluisse; simul in detestabilem, & si liceret reticendam blasphemiam nefario ore impegisse. *Ne tu inquit (ad imaginem Christi conuersus) vltra mihi habeberis loco & nomine Saluatoris dignandus, nisi Regnum Regemq; Poloniæ, protinus mihi in manum tradis, magno Czaro meo exhibendum.* Cohorruêre qui aderant ad proiectissimæ impietatis verba, repertis qui prolati inconsideratè sermonis admonerent; is tamen nefarium effatum aut Sardonicho risu interpunxit, aut graui in monitores supercilio suppressit; insita Moschis contra sacra acerbitate: cum & Chowanscius in Lithuania similiter, dereptam collo D. Nicolai imaginem, in pœnam sequioris prælij insanienti propior fustigauerit. Itaq; Seremethus vltra sexaginta Milliùm Exercitus Ductor, compari reliquo apparatu Kijouiâ mouit; cum interea Chmielniczenko concitam vbiq; plebem armaret, huic iungendus; crebriusq; vocanti propediem socianda arma promitteret.

Poloni Moschis occurrunt. Nec segnius Duces Poloni comparabant se in occursum, licet manifestè constaret, impares hostili potentiæ vires obijci: vnde multorum opinio fuit, Casimirum Regem, vel ob solam copiarum exilitatem, ex via Varsauiam retrouertisse, qui nuper enuntiata ad bellum præsentia sua, ad vsq; Samboriam penetrauerat. Nunc Stanislaus Potocki Palatinus Cracouiensis, ac Generalis Exercituum Dux, Diuisione sua statiuis Pocucianis excita, in plebis circa Tyram disturbia intendebat; prædatorum globis Podoliam & Wolhyniam, (aliquo extrema è fece populi Oleszcone antesignano) ferro & flamma persultantibus, qui tamen Ostrogiæ ab Christophoro Lasko cum ala Equestri immisso, tempestiuè oppressi turbarum pœnas dedêre. Subinde à dis-

sita

sita Prussia, proserpebant Mareschalli legiones, in quibus agendi robur & fiducia, planè ad flatum venti mobiles, non corporibus, non armis, non vestitu refectus pro necessitate miles. 1660. Vt his inclementia Ærarij deseruitos asses retentauerit, attigi supra, futili Assignationum commento elusis; & nisi aliqui Tribunorum è priuato peculio indigentiam suorum refouissent, carituram omnino Remp: ea militia palam erat. Nunc Mareschallus per longinqua ductos, in breue respirium per Wołhyniam dispertierat; ipse interim apud Kryłow Equitem contrahens, maximè rem armamentariã in loco præstolatus, quæ penuria sumptuûm sat tardè, nec pro tanti belli exigentia procedebat. Generalis sub hæc ad Tarnopolim auxilia Scytharum operiebatur, etsi regressus Casimiri, non iuxta placitum Hani accideret; is tamen Nuradin Sułtan fratre, cum XX. Mill: Scytharum submittebat, ethnicum quidem subsidium, nec sanè ex decoro Orthodoxis accersendũ; ast, inter aduersa Poloniæ sincerius amicũ, dumq; Christiani oppugnant, ex ratione necessitatis acceptabile. Etiam quantocius expediri arma perurgebat Ioannes Wyhowski, regimine Zaporoscensium simul & vxore priuatus, iam tum Barij intima, quæq; hostium consilia speculando, cum Exercitum à suis desertus, viribus augere non posset, suasu in opus impellebat. Quoniã verò ea magni momẽti expeditio, & extraneis sciri, & posteritati tradi singillatim meretur, quantitatem virium, quiuè Proceres bello memorabili interfuerint, adiecisse pretium operi puto: præcipuo Annalium munere, vt dum præclarè factis memoriam tribuunt, æmulationem incendant posterorum. Præter Duces Potocium, ac Lubomirscium, eminebant magni nominis Heroes, Illustrissimus Ioannes Sobieski Supremus Regni Vexillifer; Ioannes Zamoyski Palatinus Sandomiriensis, cui in Legiones Germanicum ad morem militantes directio; Demetrius, Dux Wisniowiecki, Bełzensis; Michaël Dux Czartoryski, Bracłauiensis, Ioannes Wyhowski Kijouiensis; Casimirus

1660. Bieniewſki Czerniechouienſis; Palatini. Staniſlaus Iabłonowſki Excubiarum; Andreas Potocki Caſtrorum Præfecti; Ioannes Sapieha Notarius Campeſtris Regni; Staniſlaus Lubomirſki Scepuſienſis Gubernator; tum Andreas Halicienſis, Felix Craſnoſtauẽſis Præfecti, Iacobus, Dominicus, Carolus, Franciſcus, Potocij fratres; vltra quam Equo Troiano, fæcundiore in bellum Pilauitarum ſtirpe; etiam Martinus Zamoyſki Dapifer Leopoliẽſis; Samuel Leſzczynſki Luceorienſis, Adamus Działyńſki Bratianenſis, Danielowicz Pracouienſis, Præfecti; Conſtantinus Dux Wiſniowiecki, Ballabanus &c. alarum Equeſtrium Ductores. Geminas item Equitum Germanicorum phalanges Stephanus Baro de Oedt Mareſchalci Regni; alteram Henricus Gordan Marchio Hantilæi, Zamoſcij Palatini ductauêre. Deſultorijs imperia dabant, Bokun Nobilis Liuo; Ioſephus Łaczynſki vetus eius militiæ Colonellus, ac Iacobus Giſſa, præter aliorum eius generis turmas. Peditatus conſtabat XII. legionibus. Prima Erneſti Grothauſen vt vocant Infanteriæ Generalis Maioris; Alberti Korycki Succamerarij Chełminenſis; Stephani Niemierycz Succamerarij Kijouienſis; Ioannis Pauli Celarij; ac Deboij Tribunorum Zamoſcij Palatini ſub Dawizono; Campiducis Lubomirſcij ſub Ochabo; Stabulo Præfecti Lubomirſcij ſub Wolraben; Sapiehæ Notarij ſub Linkauzo; Palatini Caliſsienſis ſub Erlero; Ducis item Radiuilli Pincernæ Lithuaniæ ſub N. locum tenentibus. Duodecima conſequebatur machinas, & quæ huc ſpectant, ſub Frõholdo à Ludinghauſen Wolff Dynemburgenſi Præfecto, iam nunc poſt deceſſum Grodzicij (quem in ipſo belli Suetici decurſu morte interceptum memoraui) in curam rei armamentariæ ſubſtituto. Aderant præter in ſynopſi poſitos, famæ excellentis & meritorum plurimi, quos ſingulos ad inſigne cuiusq; facinus, haud omiſſurus ſum de nomine & opere ponendos.

In procinctu Moſchos adeſſe, præter crebras ſpeculatorum relationes, etiam ſagacior aliquis explorator (à trimeſtri

meſtri inter Coſacos animi morumq; ſimulatione fallens, 1660.
& poſtquam aptè impoſuerat, cuncta intimiùs ſub Deyneki nomine ſcrutatus) hoſtilibus apud Kotelniam Caſtris elapſus, adferebat. Ad propinqui hoſtis nuntium, ſumma mox Exercitus promptitudo, & inſolitus animorũ feruor conſpiciebatur, vt qui modo incommodis & laborib. fracti, morbis aut itinere languentes, etiam ex indigentia queruli, iam nunc in certamen flagrantes lætiq;, quod hoſtis non quærendus compareret, compendium laborũ ſibi ex occurſu gratulabantur. Vnum tardabat, Generalem Potocium pertinaci febre in ante correptum; periculoſiore Symptomate, vbi frigeſcens annis corpuſculum, irremiſſo morbi ardore vehementius inflammaretur: vnde plurium ſuaſus, vti æger domum ſe reciperet, confirmata demum valetudine Patriæ operam nauaturus. Neq; id tantùm Medicorum peritiſsimi, verùm & fidiſsimi amicorum ingerebant; parceret ſanitati tot palmarum bellator, neu placitis cæli, vnde in hominem bona aut aduerſa valetudo influit obluctaretur: iamverò non tam victoriæ quàm Patriæ plurimùm intereſſe, priſtinæ eum valetitudini reddi, qui plus ad omnem caſum erigendum præſtabit incolumis, quàm æger ad vincendum conferre poſſet. Quod retrouertendi mentionem abnueret, id etiam Moſchos enixè velle, vti diuturna ægritudine preſſo Duci objiciantur. Aſt quando morbus graueſcit, neceſſario reditu ſanitatem repararet, demum refecto corpore; ad Exercitum & triumphum, vti autor reuerſurus. Quæ à potioribus etiam Mareſchallo dicta, non prorſus ad placitum Generalis erant; itaq; dum nec equo inſidere, nec ſtare pedibus morbus permittit, victâ in tempus languoris pertinaciâ, medium ſe in ferculo erigens, ad circumſtantes infit. *Abſit precari Cõmilitones, vt Senator Ciues, Dux Exercitũ, & ſanguinis veſtri promus, creditam mihi Spartam deſeram; idq; eo tempore, quando & occini claſſicum audio, & collatis ſignis in hoſtem eundum eſt. Egone à decimo ſeptimo ætatis anno in militiam*

1660. *transcriptus? & per omnia bella Patriæ præsens, in hoc ætatis vltra sexagesimum tropico, in Supremo Imperij militaris gradu, tam tenaciter vitæ meæ consulam? vt dum consulo, inter parietinas domus ingloriè moriar? Auertant eam boni Superi mentem, vt in decursu dierũ adeò solicitè parcam transitoriæ vitæ, qui ex bellatrici domus meæ disciplina, per vulnera & discrimina, ad scopum veræ gloriæ aspirare didici. Equidem, malè transactam ætatem posuerim, non vacillantis modo animi à Posteris, verùm & degeneris à Maioribus indolis, probrum laturus. Sat naturæ vixi, eccur honori & Imperatoriæ morti annorum plenus non occurram? Eat hic mecum animus, & quia defectæ vires arma adimunt, vel extremo halitu in hoste pugnabo, iustam in fædifragum Nemesim prouocaturus. Desinite proin Commilitones cogere, vt quod suadetis, etiam forti Moschus vult, faciam; ne dum ego regredior, fugam ille instituisse Ducem Polonum arbitretur.* His dictis, strato iterum recumbens, ante principia legionum deferri se lecticarijs iussit; exorato in anteceſſum Mareschallo, quominus totale dirigendi Exercitus regimen, vti Collega Imperij laborumq; socius, consilijs suis moderaretur.

Ad Lubarum congressus. Lubarum seu Lubartouia Wołhyniæ oppidum, primò conditori nomen debet, à Lubarto Regis Iagiellonis fratre conditum, qui Prouinciam amplam & fertilem Nouennis fratribus incolendam permiserat; fortè, vt ab ambitu possidendæ Lithuaniæ eminùs amoueret. Hìc Moschorum copijs peruadentibus in præcursores primò inciderant Scythæ; mox non segnius nostri occursum instituebant, haud ambigentes fortunæ aleam protinus indilato conflictu iacerendam; cum censeatur apud militares inconueniens, pugnam detrectare eum, qui prior aggreditur. Et id quidem animi Seremetho erat, nisi vel insperato nostrorum occursu terrefactus, vel alicuius transfugæ relatione admonitus propositũ mutasset, vti non acie, sed vallo, carraginisq; præsidio in decretorium certamen descenderet. Subinde Campestris Notarius Sapieha, cum bis Mill: Scythis prægressus, primò

primò disiecerat strenuè Moschorum Excubias, dein situm loci commodamq; circumiectâ plagâ locandis Castris planiciem comperiens, Mareschallo retulerat. XVII. Septẽbris inclusum vallo hostem, campo diffidere compertum fuit, vnde molestum nostris cauo vulpem extrahere; summo tamen feruore ordinata Polonorum acies, Castris hostium admota est, cunctis, si Moschi detrectarent pugnam, primò impetu ac totis viribus adoriendos censentibus: in quem vsum Legiones peditum in campum eductæ, ac machinæ è vestigio alarum Equestrium procedebant. Nihil ad hæc Moschi, à summitate tantùm valli prospectantes; cum interim velites nostri in singulares excursus prouocarent, eo subtus Castra inuecti, vnde, non clamores modò pugnam poscentium, verùm etiam metum exprobrantium improperia audirentur. Sub hæc Generalis, magnitudine animi haud dubiè vim morbi profligãte, in equum translatus, duorumq; familiarium valentiore brachio fultus; non citra prodigium, incurrere alas in obiectum hostem disponebat, curas prælij cum Mareschallo partiendo: qui in eum ordinem disposuerat aciem. Palatinus Bełzensis Wisniouiecius, cum Constantino eiusdem sanguinis Duce, tum Kijouiense Palatino Wyhouio, additis Bokuni ac Giſſæ Desultoriorum manipulis, dextram alam tenuêre in campestria intenti; vnde Cosacos in succursum tendere, diuersæ relationes afferebant. Medio aciei peditũ robur processit; ab læua Equitatu incũbente Moschis, quos vti videre erat, summa cõtentione Præfecti in conserendam manum extra vallũ impellebant. Et tunc quidẽ perfunctorio certamine res transacta fuit, hoste ad primum cohortium assultum, intra valla se recipiente, non tamen vt aleam detrectaret, sed differret. Vbi verò nostri vallum obijci, in quod impetum exererent vident, etiam hùc summo feruore illati transuersalem, fossam portæ contiguam occuparunt, facili intra Castra irruptione, si modo subsidia adessent. Sic ea die ad vesperam vsq; protracta, licet impari

1660. pari Marte, dimicatio fuit: resq; egregiè gesta compluribus in laudem vertit; reprehensionem meruit præceps Grothausi Tribuni assultus, quod iniussus in pugnam descêdens, vltra imperia Ducum non sine periculo aliorum, fortis videri voluerit. Flagrante jsprælio, in euolutos à latere Cosacos legionem verterat, pellebatq; maiorem turbam animosè, etiam tribus æneis tormentis potitus, sed quia extra ordinem, & post datum recessus signum ardore pugnæ abripi se passus, grauiter à Mareschallo redargutus fuit; non sine pœnæ militaris interminatione: quam tamen ob insignia in ante merita, ac quod tunc neminem è suis pugnans amisisset, opportunè seuerior Dux indulsit. Dein in Castra reductus Exercitus fuit, non vltra teli iactum è regione hostilium, à Metatoribus locata.

Niemierycij ad Cosacos literæ. Auellendorum dein à Moschis Cosacorum, transfugæ iniecerant possibilitatem, ac hinc disiunctis viribus facilius consummandam victoriam pleriq; iudicauêre. Itaq; Stephanus Niemierycz Succamerarius Kijouiensis, quod ex Russia oriundus, Czernichouiaq; oppidum in ipso Vkraynæ vestibulo situm, patrimonium ei foret, ad Cosacos Ducum mandato scripsit, eo sensu. *Quis sim, & quam sanguini Roxolano innexus, haud ignorare Cosacos, à multa annorum serie, stirpe, domoq; Niemieryciorum, in ipso meditullio Vkraynæ existente & radicata. Fratrem sibi Georgium, itidem Succamerarium Kijouiensem, plurimis beneuolentiæ indicijs Cosacis deuinctum, neq; se in eosdem affectu germano inferiorem. Hinc commonendi susceptas partes, ne dum Moscho contra omne fas adhærent pertinaciter Cosaci, indubitatum sibi accerserent exitium. Itaq; desugerent resipiscendo extrema, & clementiâ Regis Poloni viuere malint, quàm sua ipsorum obstinatione interire. In extremo quippe præcipitio hærere palamesse, iam Scytharum, iam Polonorum Exercitibus instantibus, & amplius superesse nihil, nisi seiuncti ab hostibus, in partes Patriæ & victoris Exercitus protinus tránseunt; alter perituri.* Literas vix vlla consecuta efficacia, Cosacis quidem cuilibet mutati-

mutationi obnoxijs, ast tunc dum vnusquisq; incipere necessum metuit, cuncti in partibus perseuerauêre. Etsi in momenta ad nostros viritim transfugerent, vnde veritus Moschus, ne quod singuli facerent, vniuersi aggrederentur, præalto aggere fossaq; Castra Cosacorum à suis discriminauit, iam vt intimas vires à contagione perfidorum secerneret, iam quominus arcana consilia, quæ clam hoste haberi expedit, promptiùs celarentur. 1660.

Diuersos interea modos de manu Polonorum se se vindicandi Moschus comminiscitur; primum vti Scythas pollicitis, ac submissis in præsens donis conciliaret; ac ita instrúcta Carragine in recessum militarem se expediens, tendenti in suppetias Chmielnicio iungeretur. Ast in hoc fefellit euentus; Scythis haud pro Barbarorum more, in magis fida inclinantibus, (præueniebat largitione corruptionem Mareschallus, socialibus donarijs Noradinum præoccupans, vti hostium excuteret) & Chmielnicio longius distante, quàm vt adpressum sociorum iugulo ferrum, tardo succursu depelleret. Alterum occurrit, vti nocte concubia eaq; obscurissima, Polonos somno laboreq; solutos aggrederetur, sicq; viam de die arduam, vel dolo & tenebris suffragantibus, noctu expediret. Dum in eo est, ac iam haud perfunctorio discrimine in nostros mouet, cum in statione campestri excubitor, pro more militæ explosione sclopi hostem adesse nuntiat, confestimq; in succursum propiores cohortes euocat, ad quárum accursum consternati Moschi diffugiunt; planè diuinitùs immisso terrore, dum vnius explosi tubi sono, in fugam tot capita vertuntur. Supererat solum, in regressum iterum se dare, ad quod nouissimum salutis medium se componens Seremethus, vasa colligit, carraginem multiplici curruum serie instruit, equitem in fronte, legiones à lateribus locat, machinisq; firmat: sic demum ad iter accinctus sub ortũ solis progreditur. Obstabat progressuro sylua, densis dumetis impedita, in hanc præmissi cum securibus Moschi, exscindunt *Moschi retrocedunt.*

1660. ſcindunt arbores, dumeta euellunt, deijciunt truncos, ac ſi quæ obſtacula viæ ligonibus amoliuntur, etiam proximum traiectum, vbi ſarmentis virgultiſq; exaggerare nequeunt, vel curribus aliaq; caſtrenſi ſuppellectile inſternebant. Mos eſt venatoribus, vti fugientem lupum ſiſterent, opitulum ferre laboranti canum vi, venabulis alijsuè telis feram conficiendo: haud diſsimilis hic belli imago; in progredientem hoſtem inuolat Eques, incurſat latera, carpit tergum, & præuertens celeritate ſiſtit curſum abeuntis; donec iniecta itineri mora, progreſſus in exagitandum peditatus conſequeretur. Eluctata traiectū hoſtilis carrago, ac pro campi ſpatio latius frontem exporrigens, æquabili quadro in ſeptemdecim ordines compoſita ibat: contra Duces Poloni copias in quincuncem prouido conſilio partiuntur, vti quaterna latera totidem impugnantibus, quintum ſupereſſet agmen, quod vbi opus, vel ad caſum, vel ad victoriam ſubſidio maneret. Vnum morabatur laſſari inſequendo peditem, aut diſiunctas in hoſtem incurrere legiones, dumq; vna aliam præuenire contendit, non ſuo ordine, vt inſtructæ aut iuſſæ, in pugnam deſcendere. Animáduerſa proin confuſione Mareſchallus, protinus edicit, vti Equites ad ſua quiſq; ſigna redirent; tum pedeſtrē aciem in ordines condenſatam, Tribunis è veſtigio deducendam committit, dein ipſe apud principia Legionum oculis à neceſſaria auſteritate flagrantibus, pro ratione temporis locutus memoratur. *Conſenſum hunc & ardorem in pugnam veſtrum milites, haberi par eſt, certiſſimum delabentis cælo victoriæ præſagium; ſi modo auitum Maiorum veſtrorum morem ſeruatis, qui in certamine feroces, ante diſcrimen modeſtiſſimi exiſtebant. namq; vagi diſcurſus, ac inconditi clamores iſti non refringent hoſtilis Carraginis clauſtra, niſi generoſus ad inuadendum animus, & à forti dextera impreſſum ferrum eadem reuulſerit. Timet quidem iam cuti ſuæ Moſchus, ſed lupi non leporis more, dum obuertit frontem, exerit dentes, & recedens, accuratam aliquam fugam munimentis obuallatus inſti-*

Mareſchallus ſuos ad hortatur.

tus inſtituere videtur. Quare vbi attentè ſignis adhæretis, ordines ſeruatis, pectora manuſq; in aduerſos iungitis, facilè ſanè hanc curruum compagem, pauidæ turbæ latibulum reuelletis, neq; diu in ſinum delabentem victoriam morabimini. Nec vltra vos animum meum, ego ardorem veſtrum diſtineam; ij protinus Tubicen, & claſſicum legionibus in certamen præcine? 1660. Eo ſtimulo incitati, vt quiſq; ad ſigna recurrentes, prælium acerrimè capeſſunt. Ante alios Vladiſlaus Wilczkowſki Lubomirij Comeſtabilis Protribunus, permiſſu Ducis, vti cum ſua Haſtatorum turma præludium pugnæ ordiretur, ſat ſtrenuè haſtis in læuum latus incurrit, & diu fortiſsimè dimicat, donec alterius turmæ Lubomirſcianæ Præfecti Scepuſienſis ſubſidio erigeretur; iſtos rurſus excipiebant alij, vndiq; peracri coorto prælio, quo ab Equitatu gemini hoſtilis Carraginis ordines reuulſi, & ſeptem machinæ interceptæ ſunt, etſi notabili equorum detrimento, in obiectam Carraginem pectoribus impingentium. Datur interea pediti ſpatium prælio ſuccedendi, qui prius telorum nimbo, mox oblongis lanceis, in denſos hoſtium cuneos experiebatur. Omne quippe tam Moſchorū quám Coſacorum robur, circa aut intra Carraginem conſiſtens, peruicaciter in aduerſos depugnabat; ipſa verò Carrago ea induſtria texebatur, vt ſicut Vrbs cincta muris, ſupra mœnia ac valla defenſores admittit, fortiſsimo verò præſidio intra viſcera defenditur, ita hìc circumquaq; curruum ſeriem diſpoſiti aſſultum excipiebant, repulſi demum ab extra in latera, vel his laborántibus in meditullium Carraginis reciperentur. Et iam noſtrorum paucitas ſub numero ea parte fatiſcere viſa, donec rurſus aliquot haſtatorum cohortes, Campiducis ſub Sokolnicio; Zamoſcij ſub Sielnicio; Præfecti Scepuſienſis ſub Wyzycio Optionibus, nec non loricatæ plures, etiam Germanicus Eques diuerſis cuneis in hoſtem illati, & cuſpidibus haſtarum quidquid obuium proterentes, primò turbant, dein propellunt aduerſos, quáquá verſùs humum ſtrage mortalium in-

1660. uoluentes, quoad admonitus clade hostis, cum mutila iam Carragine rursus abscessum moliretur. Ac fere tetrante milliaris abibat, cum denuo, Generalis Potocij cohortes vehementissimè consecutæ, consimili vt prius pertinacia & fortuna concidũt vtrumq; latuas, notabili Carraginis parte auulsa. Ad bis mille hostium interiere; transactumq; de summa rei fuisset, nisi eadem limosi traiectus difficultas, destinatum in præuertendam Carraginem Equitem nostrũ cohibuisset. Ex nostris Gaszynski Legionis Raytrûm Cãpiducis locum tenens; Wierzchowski Legionis Deboij primipilus è tormento percussus; Markowski Generalis Ducis Loricatorum Optio; Andreas Cikowski Legionis Niemierycij Signifer, ac supra CCC. cæsi &c. Niemierycz Tribunus, Stakurski Legionis Legatus; Wolphius Prætorianorum Centurio; Ozga Succamerarij Leopoliensis Filius globis sauciati &c: Tum Michaël Prusinowski ex Campiducis commilitio, non sine prodigio enormem à pila machinali ictum tulit, quo violentia teli incidentis ferreus torax in pectore rumperetur, corpore nihilominus illæso, & quamuis concusso sessore equus planè corrueret lapsabundus, istum tamen à casu trepidum, in firmiore vestigio fræna retinuêre. Sanè non fallò vetus paræmia habet; bello non gigni sed perdi homines, & qui de vincendo hoste deliberat, suam ipsius salutem vt casui imputet necesse est.

Moschi Cudnouiam eluctantur. Seremethus eo modo tractatus, ne quicquam tamen lassitudine aut noctis obscuritate abitum demorante, cõtinuò Cudnouiam contendit appulitq;. Prælabitur oppido Tetereo fl:, humilior quidem, ast in aquandum non insufficienti alueo, iuxta quem spaciosior cliuus protenso in longum ambitu eminebat, quem raptim occupantes Moschi, dum se rursus in defensionem comparant, & spe submittendi à Chmielnicio subsidij eriguntur, Castris insedere: incenso per transennam oppido, & neglecta præoccupari arce; desolata quidem illa, sed ad retinendam aquationem apprimè opportuna: in vtroq; errantes, vti sæpe accidit, etiam

tiam benè consulta malè cedere apud perituros. Comperto elapsam è manu prædam, primi Scythæ ad Cudnouiam consequuntur, & abire nuntiant, dehinc Poloni albescente cælo superueniunt, Arcemq; hosti neglectam occupantes, velut parato suggestu potiuntur, vnde in Castra hostium in plano posita, liberior prospectus, & tela immittendi opportunitas. Suppudebat in eam diem Noradin Soltanũ, nullo notabili specimine adprobasse nostris socialem operam; proin Mareschallum adiens, facilè impetrauerat, vti in conquirentes ligna Moschos vim paranti, legionem peditum adiungeret, cum quaternis ferè machinis campestribus: præmonito à Campiduce Niemierycio (is additus Scythis) quominus ex ingenio suo rem gereret, pomerijs hostes exigens, etiam vi maiore ingruentes sustinens; sibi interim in articulo discriminis non extra curam fore, vti confestim pugnantes subsidio erigerentur. Ergo pergunt vtriq;, Scythæ raptim, composita in quadrum legione Polonus, ad gressũ Martialem concinentibus tibijs, simulq; hostem lignationi intentum per pomeria adoriuntur. *Nobile certamen vnius legionis.* Pupugit non noxa magis quàm ignominia, ab vna legione lacessi, adeoq; Polonos arroganter præsumere victoriam, vt altera manu in sinum recondita, perfunctoriè vinci aut deleri Moschos opinarentur. Crebris igitur agminibus prouolantes, sclopotum iactu conturbant Scythas, & exigunt; dein omnem vim plusquam sex Millium virorum in vnam legionẽ vertunt vrgentissimè. Excipit aduersos immota legio, ac reciproco fistularum iactu, aut cuspides lancearum obijciens, egregiè se tuetur; Scythæ sub hæc minus interesse rati, si socij perirent, modò creditas machinas subducerent, eas quãtocius suggestu dereptas tollunt, desperatam legionem suæ sorti relinquendo. Ast, in omnia intentus Mareschallus, promissi succursus memor, protinùs inuolutam discrimine manum vindicauit, submissis auxilio cohortibus, simul oppugnatum Cástra Moschorum effuso pedite. Et sanè vindicasset egregiè suos, nisi Kozłouius, præmoneret Seremethum

1660 methum, ita alienum appetendum iugulum, vti ſuus mane-
at in ſecuro; cautiusq; irruendum in prouocantes, quod
Poloni inſtruendo dolo tanquam illicium auibus, in Caſtra
Moſchorum intenti, obieciſſent. Quod demum præua-
luit, vti in receſſum dato ſigno. protinus Moſchi abſcede-
rent, & Niemierycio cum Legione ad ſuos eluctari inte-
grum eſſet.

Abhinc vt ſpes effugij Moſchis, ſic & animus reſiſtendi
minuebatur; ambigua iam inter pauentes conſilia, attonitæ
mentes, fluxa arma, ſegnes manꝰ, & languidus per inediam
corporum vigor exiſtebat. Res tamen deſperatæ refoue-
ri videbantur expectatione, apparari à Chmielnicio ſuc-
curſum, qui dum ab incertis autoribus rumor vulgatur,
rem optabilem illi facilè credebant, vt ferè mens humana
maximè in miſerijs imaginatrix eſt: interea defectu anno-
næ laboratũ, ſupponente ante experimentum Seremetho,
quocunq; victricia arma conuertiſſet, abunde ſibi comme-
atuûm forè. Et famem in coarctata multitudine graſſari
facilè erat, hinc conſilium noſtris non tam aſſultibus, quæ
iactura mutua conſtarent, quàm lento obſidio edomandos
conſtringendosq; operibus hoſtes, donec ſe dederẽt. Quin
etiam vt conſtrictis extremam inijcerent neceſsitatem, ſo-
litum amnis curſum, vnde aquatio illis, diuertere molitus
fuit Notarius Campeſtris Sapieha, exercitatam apud exte-
ros ſolertiam, in vſum præſentium ſedulò vertens: & per-
feciſſet obſtructo ſupernè alueo, niſi ſuperuenientibus in-
terim auxilijs, præſentem operã ad alia reducere oportuerit.

Chmielnicius ſuccurrit Moſchis. Quippe Chmielniczenko opem laturus, cum XXXX.
Millibus Coſacorum ſuperueniebat, robur gentis & exerci-
tos Marte viros deducens, cum penes Cieciuram, fex tan-
tùm plebis, & ſuperflua oppidorum purgamenta exiſterent.
Contigerat enimuerò, vt procurrentes Scythæ aliquot Co-
ſacos Chmielnicij abducerent captiuos, qui falſi; auxilia
Seremetho mox affore, obſtrictis iureiurando primoribus
militiæ, ad extremum vsq; ſpiritum Moſchis opitulari, nec
longè

longè feſtinantes abeſſe. Multos inſperatum nuntium per- 1660.
culit, iam quod trino conflictu laſſus miles, iam penuria pa-
buli afflictis equis, quibus alendis herbarum radices, aut
arborum frondes decerpere oportebat: etiam hoſtium vi-
res duplicarentur, ac recenter emergens labor, poſt tot lu-
ctas & ſanguinis impendia, velut de nouo conſurgeret. Aſt
ſupra periculi molem placita cæli fuêre; Ducibus per eiuſ-
modi conſilium ſe diſcrimine expedientibus, vti Sereme-
thi obſidium Generalis Potocius cum pedeſtri militia con-
tinuaret; quouè validior in prorumpentes eſſet, tranſlata
in locum commodiorem Caſtra, quæ non plus vallum aut
operum moles firmabant, quàm fortiſsimi Ducis animus,
vltra ſanitatem corporis feruore ſupplentis, quod de viribus
abitu Collegæ decerptum eſſet: Exercitus parte alterâ in
occurſum Chmielnicio expedita; concordi opinione o-
mnium, diſpertiendas ſatiùs vires, ac ſecuriùs contra ſingu-
los, quàm aduerſùs coniunctos experiundum. Quod me-
morabile opus, velut de integro laboris bellici initium fuit.
Itaq; Mareſchallus binis peditum legionibus, ac potiori E-
quitatus parte ſuccinctus, etiam Noradin Soltano comitã-
te, itineri obſcuram noctem impendit, quâ apud Piatek per
præmiſſos Deſultorios, Coſacis traiectum ſeruantibus dis-
iectis, ſub ipſum diluculum ad Słobodyſcze oppidũ, quinq;
à Cudnouia Milliaribus, nihil tale opinanti hoſti ſuperue-
nit. In aſſurgente colle conſederant Caſtris, anguſtiore
quidem ambitu, aſt acceſſu planè arduo & difficili, cum
locum vna parte ambirent diducta circum prata, profundo
limo ſcatentia; altera quà in plana deſcenſus, exuſti olim
oppidi rudera aut maceries impedirent; ob ſubteraneos
ſpecus, ac celaria ſub onere tranſeuntium hiſcentia, ineui-
tabili diſcrimine. Iuxta oppidum via in iugum ducebat
anguſta, vix tres ſimul equitantes recipiens, ordinatæ aciei
nonniſi per prata patente acceſſu, ſi modò altiſsimæ vora-
gines calcari ſecurè, vel tempus exaggerando traiectui ſup-
petere poſſet. Suadebant itaq; periti vno tenore ingruen-

 dum in

1660. dum in aduersos, ac eo ipso præiudicari victoriam, si insperato confusos aggressu præoccuparent. Liquidiore quinetiam luce patuit omnem cunctationem excludi oportere, vbi Cosaci re crepera tumultuari, attollere valla, condensare currus, implicare sarcinas, aliaq; ad indubium certamen, aut fugam agitare ostenderent. Quibus compertis tantisper subsequentem peditem præstolatus Campidux, vbi js cum machinis gressum accelerat, confestim cum Illustrissimo Regni Vexillifero partitus regimen, eidem sinistrum cornu committit, subsidiarium agmen Kijouiensi Palatino ductante. A dextra Legionem Prætoriam sub Andrea Sokolnicki Protribuno ordinat; additis Zamoscij Palatini, ac Fraterna Comestabilis, Scepusiensisq; Præfecti è vestigio Hastatorum cohortibus, quarum rursus complures loricatæ tergũ tueri iussæ; retrorsũ aliquo interuallo disiũcti stabant, Baro cum Equitum Germanicorum phalange, tum Bokuni ac Laczynscy Desultorij: quominus oborto altera parte prælio; latè diffusa prata circumuecti, tergum hostium carperent. Quidquid peditum supererat medio locati sunt, vti dum nitentem in ardua collis Equitẽ accessus difficilis arcet, isti in concisas rupes pedum adminiculo enitentur. Sic instructa acie, Mareschallus vt quemq; ex Ductoribus ante signa comperit; *En (inquit rebellium contumacissimi germen detestabile, & quâ nil terra alit deterius, progenies viperarum. Ab his si uiri estis Poloni Equestrem repetite annulum, demetite ferro socordis turbæ iugulos, eluat sanguine beneficium, dum grata esse nescit, impertiti decoris natalium.* Ad hæc, vt quisq; iussus, protinus in aduersos signa inferunt, concitatisq; equis in abrupta æquè, aut cænosa feruntur: non sepes, non specus, non desolatarum ædium maceries morantur, imo nec ictus ac vulnera; Cosacis contumaci pariter occursu assultum excipientibus. Ab læuo cornu primùm conflictus cæpit, quò vndiq; abruptus licet in prominentia accessus, ac molestis dumetis intricatus foret, via tamen in superum iugum reperta, quæ

Pugna ad Slobodyscze.

ternos

ternos simul Equites in summitatem collis vtcunq; admitteret. 1660. Itaq; fractis licet ordinibus, Ductores sursum contendere, attolli vexilla, & in summitatem eniti miles cæpit, dein contento nisu per abrupta scandere, vel disiliens equis in superum iugum manibus pedibusq; adrepere, donec contumaci impressione reiectis obstantibus, perpetim signa Castris intulerint: eo primi assultus successu, vt in meditullium hostium pleriq; illapsi, vel Ducale ipsius Chmielnicij Prætorium, deoccuparent, inardesceretq; summo feruore prælium, hinc primo impetu, illinc exitij metu, necessariam fortitudinem acuentibus. Nam veterrimi quiq; è Tribunis adhærebant Georgio, Thymothæus Nosacz Præfectus Castrorum; Gregorius Hulanicki, Federowicz, Lesnicki, Zelenecki, Macherzynski &c: adhæc vndequadraginta Millium Cosacorum robur, disciplina militari imbutæ legiones, probatusq; olim Bohdano miles, iam tunc Filium; deuoluti post Patrem in Poloniam odij hæredem, sequebantur. Qui dum irruere in valla Polonos aduertunt, mutuis hortamentis se se incitantes, iam creberrimo pilarum nimbo, iam à curruum latebris prorumpentes, falcibus securibusq; equorum suffragines concidebant; vnde isti vel metu exsternati, vel vulneribus feroces, fræna excutiunt, aut affligunt sessores, dein inter subsidia ruentes permiscent importunè ordines, ac loco submouent iam victores. Ea tamen parte sedulitate & præsentia Ductorum, faciliùs pugna instaurari potuit; alterâ, discrimine & iactura grauioribus. Campiducis Protribunus Sokolnicius concitatis in patentia pratorum equis, pari feruore legiones à dextra inuehebat, cum palustris & vestigij impatiens locus assultum interrumpit, & distinet, præcipitatis in imam vliginem, ac si in baratrum, quicunq; præcurrere ausi; quos verò equorum pertinacia cæno explicauerat, subtus crepidinem collis eluctati, noxiè telis è superno iugo petebantur. Etiam Cosaci obliquè digressi, paucos & lassos sternebant, & quidem superante iacturam ignominia,

dum

1660. dum non modo cedunt indefensos, sed & probrosè insultant circumuentis. Inter primos pugnans Sokolnicius equo deiectus pro cæso reputatur; Signifer Hastatorum Ioannes Hynek abreptum hastili signum, subtus fortuiti vlmi radices, ne hostis potiretur, abscōderat, captus ipse; (emissus dein, sub fidá custodia terræ seruatum vexillum reperiens) Balinski, Marczynski, Oswiecim, Rybinski, tum alij ad Triginta è solis hastatis Commilitones, eo congressu interiêre. Etiam Stephanus Baro de Oedt Equitum Germanicorum Ductor, dum subsidio accurrens laborantibus opem fert animosè: prostrato è tubo manuali inter primos pugnante Cosacorum Tribuno, feruidiùs signa antegressus vi Germanicæ originis memor, enormiter falce fænaria vulneratus sternitur. Idem Fatum subiêre, Albertus Klebek Maior Legionis, Mautnerus Turmæ ductor, dum exangui Baroni opem ferre satagit, in vestigio cæsus: sauciati ferro aut plumbo, Elias Lacki locum tenens, Felkierzon, ac Brunaw Rothmagistri, Marchio Gordanus, Gralewski, Legionibus Præfecti, &c. etiam Ioanne Liniewski, præter florem ætatis generosa pugnacitate insigni, tunc transuersum acto per pectus globo, occumbente. In ea nihilominus hæsitantis fortunæ mora, solatio erat, melius alia parte succedere certamen, vbi illatis Poloni in Castra hostium signis, velut oblato exerendæ virtutis theatro, pertinacissimè dimicabant. Quid virtus, robur, ac viri possent enimuerò hîc patuit: immistus equiti pedes in vestigio hærens tela regerebat, ingruebant turmatim alæ, si qui loco pulsi, vel ab equis excussi, pediti se iungendo, in aduersos, aut valla nitebantur. Neq; solùm militem, stipendiario ære in pugnam obstrictum, implicabat certamen, etiam qui natalium aut dignitatis ratione supra alios positi, haud subducebantur à discrimine, in quemuis euentum ante signa primi, ac dum gregarijs immiscentur, notabilior ex cultu corporis feriendi scopus adeo, vt Illustrissimum Regni Vexilliferum (parce precor candori Histo-

Historico iam nunc Coronata Maiestas, qui, dum te reuera 1660. pugnatorem exhibet, encomijs onerare veretur) Optio eiusdem Stephanus Bidzinski, vir acer & cautus, ab æstu pugnandi retrahere debuerit, aliquoties ingerens. *Desine(inquit) in plebeio sanguine Heros fortis esse, alijs & maioribus destinatus; ecce ferrum habes, tam torpet, & agrestis turba clementiam appellat.* Similis Zamoscij, Wisniouiecij, Wyhouij per tela per ignes ad victoriam nisus, donec tandem vbi peditum legiones, vndiq; valla occupant, stationes inuadunt, retrouersas machinas in Cosacos explodunt, frangi visa resistentium peruicacia, nisi superueniens nox partes dirimeret, non sine Numinis permissu, vti præsenti plaga commonefacto hosti resipiscendi spatium esset; & Poloni similiter recollecti ita vincere vellet, ne pæniteret victoriæ.

Non semper Mars irreligiosus est & ferox; pluries mitiora vitæ studia inculcat, pacatiores Status rationes ingerit, strepitum & vanitatem mundi demonstrat, præsertim vbi pauor aut desperatio imprimit menti idæas, primam curam salutis deinceps gloriæ habendam. In quæ tunc meditamēta ambigua sors belli Georgium protrusit, vti Martialis modo palæstræ alumnus, in anachoretam transcribi protinus cuperet. Quippe casum præuidens, & ne vnus lueret quod multi peccassent, monasticam vitam conceptis votis destinasse ferunt, si modo exemptum periculo Devs voluerit; vt ferè præcipuus votorum locus est, vbi spei nullus. *Georgius vacillat.* Commonent interea fortioris consilij Ducem Tribuni, Lesnicki præcipuè, adhuc dum à Patre adstes Georgio datus, non alia ratione securitatis viam monstrabat inquiens. *Licuerit posthac Dux tibi pium esse, certè præsenti tempori, & nostrûm omnium incolumitati competit, ad constantiam & firmitudinē animum reuocare. Alia nunc consilia amplectere, quando saniora sequi contempsisti. Solitudinem nactus de ascetica vita deliberabis, iam rebus in præcipitio positis, non per imbellia vota occurrendum est. Poloni præualent, vbi Deus periuriorū vindex, sextuplo maiores copias nostras à paucis confundi per-*

1660. mittit. *Age Dux & beneficio noctis vtere, nisi acceleras cum
omnibus nobis de die periturus? appella victorum clementiam,
quorum fortitudinem sustinere nequis, & violati Iurisiurandi
nefas, stabiliore inposterum fide reparaturum promitte: Sat
præstas, si interpositis verbis extrema differs aut auertis: Moschi
interim suo Marte consulant sibi, quibus interitus noster nulli
vsui, vitâ prodesse poterit.* Comprobauêre consilium po-
tiores; ast incōditis clamoribus fremebat multitudo, nulla-
tenus conciliatis licet Polonis fidere sustinens, & immaniùs
sæuituros imaginata, vbi antiqua odia recēs armorum suc-
cessus exasperaret. Satius parabili ære, quod capitàtim o-
mnes conferrent, occupandos Scythas, vti veteris amicitiæ
memores periclitantibus adessent, desperatæ causæ suscipi-
endo præsidium. Factum patuit, (si rumori credere fas)
solicitatusq; oblatâ offâ Noradinus, vt in partes descenderet;
vel saltem ad Cieciuram peruadentes Cosacos, ab imperiti-
one Polonorum immunes præstare vellet: sed maior in Bar-
baro fides reperta, quàm vnquam credi posset, etsi nec au-
rum quod offerebatur despicatui fuerat. Siquidem literas
quibus solicitabatur protinùs cum latore ad Mareschallum
remittens illibatam amicitiam testatur, quam perduelles
indigna suspicione temeratæ fidei onerassent.

Cosaci pacem petunt. Polonis ferro, Scythis auro infractis, ad tractandum
dein inclinauêre Cosaci, gens fallax sæpius verba conduci-
bilia sibi experta, quibus etiam nunc auertendo discrimini
agere visum. Petrus itaq; Dorosz Tribunus, ad Mareschal-
lum data fide missus, nomine sociorum vim sisti postulabat,
nunquam periculosius exerendam, quàm vbi innoxij armis
lacessiti, in necessariam defensionem coguntur. Cosacos
neutiquam Polonis hostes comparere aiebat; sed tantùm
vt Cieciuram à Moscho abstraherent venisse; nunc vbi in
obsequium casus & necessitas impellit, vltro & beneuolè
partibus accedere velle, si modò Poloni veteribus expunctis
odij causis, ignoscunt ad gremium Patriæ redituris; sin se-
cus, superesse innocentiam sibi & ferrum; quo ad silicem
extremæ

extremæ necessitatis alliso, scintillam spei elici posse, quæ 1660.
præsumptam victoriam vel flamma adurat, vel saltem ob-
fuscet fumo. Et plura superbus homo dicturiebat, cum
subinde Noradinus colloquentibus superueniens, pararium
se reconciliationis vel ex eo validiorem monstrauit, post-
quam ingenuè rebellis turbæ patrocinium nuper abnuisset.
Non sine honore introductus, requisito obiter de sanitate
Mareschallo, protinus colloquij thesim sueto genti laconi-
smo conficiebat. *Parce Dux (inquit) Cosacis, quia reijcere* *Pro quibus Scytha intercedit.*
*supplices haud quaquam decet; parce rursus subditis Regis,
quos non sine iacturâ propriâ sæuiendum sit; deniq; ignoscere
belli ratio suadet, quia non in totum à fortuna deserti petunt,
& acerrimi morsus esse solent irritatæ necessitatis. Regis sub-
ditis parcens conseruabis apes, ex quibus mel redituûm colligitis;
habebitisq; integras ouês, vnde lactè & vellere ditemini; &
quos nisi incolumes præstas, Regnum vestrum detrimentum ca-
pit. En amplior materia gloriæ Moschus, quem pro modo non
inuitati hospitis, tractari par est.* Adhæc Mareschallus, non
sibi eam mentem respondit, vti Cosacos omnino perditum
eat, etsi nouissima exempla meritos; imò verò considerare,
quid clementiæ Regis sui, ac intercessioni Sultani tribuere
æquum sit, ac ideo inhibendam vim seriò mandasse; mo-
do ipse eo loci Cosacos reponi oportere intelligat, ne am-
plius facultas nocendi, & Rebellioni assuetis occasio mali,
suppetere possit. Spondentis in modum pectori adpressa
manu Scytha, vadem se præbebat retinendorum in officio,
rursus in Dorossium capulo acinacis minax, ferro vlturum
perfidiam ostendebat, nisi Cosaci de plano Regis Poloni ob-
sequio subijciuntur. Ergo Mareschallus recōciliationis fa-
ctâ fiduciâ, ac permissis curæ Mediantis Noradini apud
Słobodyszcze rebus, ipse retro Cudnouiam mouit, tanta
celeritate ac secreto abitu, vt non modo Cosaci & Scythæ
digressum Ducem, verùm & sui Poloni quo ducerentur
ignorarent: vt planè exemplum illud Consulis Romani,
bello Punico ad Metauri ripas cum Asdrubale confligen-

 tis, obuia

1660. tis, obuia in plerisq; ſimilitudine ad amuſsim expreſſerit.
Pertædebat interim Seremethum Caſtrorum ergaſtu-
Moſchi extremis laborant. lo claudi, non alia poſsibili via ab exitio ſeſe vindican-
di, niſi quoquo modo indagine euolutus, Chmielnicio iun-
geretur. Pulueris pyrij laborabat penuriâ, premebat fa-
mes, ac loco omnino moueri, cogebant cadauerum aceruí,
in ſaniem tabumq; reſolutorum, unde grauis odoratui me-
phitis, & àéris infectio fæda proueniret. Proin ex pridia-
no tormentorum fragore, aliquid bellici operis apud Sſobo-
dyſzcze interceſiſſe ſuſpicatus, rurſus ad diem XIV. Octo-
bris in viam ſe accingit, vel laborantibus ſocijs ſuccurſum
laturus, vel mutuò recepturus. Vix mota Carrago fuit, ſi-
mili vt priꝰ ordine & ſerie, cum è veſtigio tripartito agmine
Polonus in abſcedentes inuolat, reſonat tormentorum fra-
gor, nictant è machinis ignes, vtrinq; clamor & vis, cædes
& vulnera, ac horrenda in caligine fumi, & ſtrepitu congre-
dientium, prælij exſtat imago. Progreſſo objiciebatur de-
ſertum villagium, in quo ſolutis piſcinis ſtagnantes aquæ
ſiſtere gradum abeuntis videbantur; ob deiectum pontem,
ac profundiſsimum cænum vix vno curru peruium ne dum
vltra decem plauſtrorum ordines trahenti. Hic rurſus,
clauſulam bello adornante fortuna, in implicatam viſco a-
uem nouiſsima vis exeritur. Vno latere Felix Potocki
Craſnoſtauienſis Præfectus, Patris Generalis vicem obiens,
generoſiſsimo incurſu nobile haſtifragium edit; altero Ill:
Vexillifer, ac Lubomirſcianæ legiones, ſummo niſu impin-
gunt in Carraginem: reboat iterato phalaricis àér, ingemit
preſſa veſtigio tellus, ſæuitq; per promiſcuas cædes ferrum,
nullo reſpectu cadentium vel cædentium. Nec dum ta-
men Moſchus virum abdicat, vltimam licet neceſsitatem
eo animo accipiens, vti non inultus caderet; more gentis
circa extrema obſtinatæ, perimentem perdendo. Poſt cru-
entum demum trihorij certamen, elaſſatis vtrinq; animis
(præcipua pyrij inopiâ) ſemiuictos Moſchos iudicare fa-
cilius erat, quàm vt ipſi faterentur; quippe diffractæ Car-
raginis

raginis rupturam, perducta confeſtim foſſa & aggere ſarci- 1660.
entes, donec ſol in occaſum vergit, pertinacitèr reſtita-
bant: & denſiſsimo pilarum nimbo moleſti, pluribus no-
ſtrorum funeſtam actus Cataſtrophen reddidêre. Etſi Car-
raginis parte, tum XVII. inſignis formæ mulctati machi-
nis, quibus ij vt fidebant maximè, ſic amiſsis, velut abraſo
Samſonis capillitio vacillabant. Plurimo id noſtris ſan-
guine experimentum ſtetit: occumbente præ alijs Adamo
Działynſki Bratyanenſe Præfecto, Familia dudum Senato-
rijs perfuncta honoribus, nec minus ab indole & magnis
qualitatibus deſiderato Heroe. Conſtantinus Wyhowſki
Palatini Frater, Kłopotowſki Turmæ Ductor, globis traie-
cti; Elzberg, Grothauſi Tribuni; Ochab Campiducis, Le-
gionum Legati; Debron, ac Talau peditum Centuriones
&c: Andreas Kawecki Loric: Campid: Optio, ſeptem è cõ-
militio amiſsis, enorme vulnus in manu tulit: ſub Ill: Ve-
xillifero Regni duo Equi telis confoſsi, ſeſſore per Dei grati-
am incolumi; intra laciniam veſtis Palatini Zamoſcij plu-
res globi reperti &c: Claruêre præterea Potocij Fratres,
quos in ante de nominibus ſpecificè poſui; Wiſnioueecio-
rum par, Staniſlaus Iabłonowſki Excubiarum Generalis, Sa-
muel Leſzczynſki Luceorienſis Præfectus, Martinus Zamoy-
ſki Dapifer Leopolienſis, Adamus Sladkowſki Vexillifer Ra-
uenſis, vetusq; militiæ aſſecla Ballabanus; Tum Stephanus
Bidżinſki Sobieſcij; Laſko Wyhouij, Zbrozek Wiſniouecij;
Szandarowſki Mareſchalci; Polanowſki Działynij; Modrze-
wſki Lubomirſcij &c: inſignes animo Protribuni: etiam
Hieronimus Komornicki pedeſtris Legionis Legatus; eò
magis cum cura mihi nominandus, quòd mundana glori-
oſè perfunctus militia, poſt in Sacro Benedictinorum Or-
dine nomen Chriſto dederit: ſæcularis agminis Ductor,
iam nunc aſcetico choro vt præeſſet, in veterrimo ad ſan-
ctam Crucem Calui Montis Monaſterio Abbas creatus, re-
gularis vitæ odorem ſpargit.

XVII. Octobris in epilogum deſinebat Scæna, ac velut

 ſcrupo-

1660. ſcruporum ludi clauſula fuit; conſtrictis vndecunq; Mo-
ſchis, & iam tenuem ſpiritum, ac ſi in nouiſsimo agone, tra-
hentibus. Ceſſauerant è machinis ictus, raræ ante valla
ſtationes, excurſus planè nulli, aut eruptiones; nonniſi
aquam aut ligna conquirentes, fortuitò aut neceſſariò cum
noſtris congreſsi, quodq; ſignum animo ſuccumbentium
erat, ſecuribus tantùm aut manuali ferro decertabant. Sub-
inde à Chmielnicio, ſuam in alieno diſcrimine incolumita-
tem ſtabilituro, Internuntij aderant, qui deducti ad Potoci-
um, demiſſè ſalutato Duce, frigidas ſanè inſulſi Oratores
iteratæ defectionis adferebant rationes: nimirum ex præ-
teritis Comitijs, turbarum inter Coſacos originem emer-
ſiſſe, dum nonnullos ex ijs Reſp:, prærogatiuâ Nobilitatis
dignatur, reliquos, & quidem melius meritos præterit, ac
ita veterem Vkráynæ ſtatum, ſublatâ inter pares æqualita-
te confundit. Vnde Cieciuræ, tum alijs turbidis receſſus
ad Moſchum occaſio extitiſſet. Vbi diſcuſſum in milita-
ri concilio poſtulatum, dein acceptata præſens ſubmiſsio
fuit, ſtabiliorem fidem ac immutabile obſequium pollicen-
tium. Conditiones ſub quibus ea ſtipulatio coaluit præ-
cipuæ fuêre. *Tàm à Ducibus quàm ab vniuerſa Vkrayna*
Commiſſio Hadziacenſis manu tenenda reaſſumeretur; Duca-
tu Ruſſiæ abolito, vti immunitatibus Coſacorum præiudicioſo.
Georgius Chmielnicki, totius Exercitus Zaporoſcenſis nomine
fidem ac obſequium Sac: Reg: Maieſtati ac Reipublicæ iureiu-
rando aſtringeret; idem præſtarent Tribuni: etiam hic &
nunc partibus Moſchorum, ac patrocinio renuntiantes, quò à
Sereniſſimo Rege iubebuntur protinus arma verſuri. Coſacos
cum Cieciura à Moſchis abſtrahent, ac vti in poſterum fideles
Reipublicæ maneant, attendent &c: Vix ea in paginam re-
lata, cùm Chmielniczenko ſuperueniens, de genu ſalutabat
Duces, (præmiſsis in Caſtra Coſacorum, Conſtantino Wi-
ſniouecio, ac Ioanne Szomowſki Opocznenſe Præfecto, ſe-
curi reditûs vadimonio). Vigeſimum ferè complebat an-
num, facie & cultu non illiberali, niſi quòd, ſeu verecun-
diâ, ſeu

diâ, ſeu metu, minus animo competeret, donec collatera- 1660.
lium inſtinctu, ijs Duces verbis compellaſſet. *Si pridie eo*
loci quo nunc ſum ſtetiſſem, nec mihi multum in probanda in-
nocentia, nec vobis Proceres an vera afferrem, diu deliberan-
dum foret. Aſt quoniam deſtinationem meam aduerſa ſors
præuenit, vt non prius fari quàm armari, manus in ictus, non
verba in preces tendere, vulneribusq; ante quàm rationibus lo-
cus fuerit, ideo in præpoſteram excuſationem, id tantùm ad-
feram; quod coacti, ac modo inculpatæ tutelæ ſtringere ar-
ma debuimus Coſaci, in defenſionem ſalutis noſtræ, quam Mar-
tis furor alia ratione tueri negabat. Teſtis DEVS, Exerci-
tum Zaporoſceń: mihi contraditum, cui ſe parti addiceret diu
ante ſolicitè expendentem, demum vobis iungi voluiſſe, ſi modò
præuia requiſitione in partes vocaretur, antequam pro hoſte
Patriæ iudicatus foret. Inter Moſchos namq; ac Polonos
ambigui neutrarum partium eſſe intendebamus; cum hinc Fas
& legitimi Imperij reuerentia; illinc vis & conſtrictum præ-
ſenti metu arbitrium, ſciſſos inter ſe diſtraherent, donec pridi-
ano conflictu iacta alea decerneret, vti causâ & armis potio-
rem ſequeremur. Eo animo, à Moſchis nos ſeiunximus, Cieciu-
ræ præuaricanti aliam mentem ingeſſimus, Commiſſionem Ha-
dziacenſem amplexi ſtudiosè, ex militia Polona ne minimum
quidem per Vkraynam violari permiſimus; quod ne iactare
beneficiũ videar, Illuſtriſſimorũ Potocij ac Iablonouij Tribunorũ
hîc præſentium, teſtimonium appello, imploroq; &c: Iam nunc
benignitatem Veſtram Inclyti Duces venerari ſilentio, quàm
lingua mulcere ſatiùs duco: adiecto non niſi, prodigijs vos vin-
cere, & quemuis hoſtem ſuperare armis, qui iniquam bellandi
cauſam contra vos attulerit. Viciſtis ſanè cæleſtibus auſpi-
cijs; credat poſteritas eam victoriam non niſi ex DEO fuiſſe,
vbi quaternos geminarum Nationum Exercitus, Centenis propè
armatorum Millibus conſtantes, à viginti non in totum com-
putatis Millibus, fundi, victosq; in Triumphum ducere conſta-
bit. Verùm ipſo Triumpho excelſior palma erit, ſecundas res
menſura moderationis complecti, & affectus animi, in victoriæ
moderari.

Chmielnicius Duces deprecatur.

1660. *moderari, Hæc certè Humanitatis medulla, immortale Trophæum erigit, tribuentibus quidem vobis gloriosum, accipientibus nobis inutile. Eius beneficij memoriam Exercitui Zaporoscensi æuiternam fore; pro incolumitate S. R. M. D. Cl: ac Reip:, vitæ fortunarumq; profusione aliquando redhibendam.* Tædebat aliquos prolixè dictionis, auscultauêre multi patienter, non ingrata oratione, vbi modò hostis non indebitis victores oneraret encomijs. Iussus ad Cieciuram scribere sine mora expediuit literas, minitans pro imperio, nisi protinus Moschos abdicat & secedit, iunctis cum Polonis viribus, armis persequendum. Simul grates victori Deo actæ sunt; voce quidem humana in prætorio Generalis, per compita Castrorum machinæ resonuêre; eo planè temporis articulo, vbi condicta reconciliationis capita, Chmielnicius cum Tribunis iuramento firmaret.

Res memoratu non indigna, etsi sæpius accidere in eiusmodi casibus obseruata. Imminentem cladem prænuntiabat Aquila, nota his in locis ales, grandior illa, nisi quod pectore implumis & macilenta, à Castris Moschorum se proripiens, ad nos primùm diuerterat, dein obliquo volatu super globos Scytharum supernè gyrans, ab ijs capitur; pedibus & vnguibus crassis, etiam pennis in volatum robustis, nisi vigorem amisisset fatiscens inediâ. Boni ominis loco acceptum eius alitis augurium, & omen, cui mox in totum euentus præsagij respondit. Quippe prænuntiam auem confestim sequebantur duo, ex Castris hostium emissi, paci & misericordiæ implorandis: simul Cosaci Cieciura Duce, vti à Chmielnicio iniunctum fuerat, cateruatim instituto abitu, ad Castra Polona transituri prodibant; cum Scytha tàm ad Słobodyszcze indulgens, quàm hic ferox, ac se ignaro parci rebellibus indignatus, vim in dediticios exerit, confusosq; & sine ordine ruentes, hostili animo mactat, aut captiuat; vti posterius agmen ad Moschos retrouertere debuerit. Cieciura tamen cum plerisq; strenuè vim sustinens, inter circumfusos Scytharum globos, viam

sibi ad

sibi ad Polonos armis aperuit: nostris interim, vnde subiti tumultus occasio, vix conijcientibus. 1660. Cognitum post, Noradinum ideo in Chmielnicij asseclas mitiorem, quòd Cudnouienses obsessos in manubias sibi destinasset, ingenij non planè barbari subtilitate, vti & Cosacorum vires mediotenùs pressas concideret, & vetera in Moschos odia satiando, in perdendis ijs opera Chmielnicij posthac vteretur. At verò Duces Poloni, ad postulata Moschorum, rerum momentis ac circumstantijs vndecunq; perpensis, facilè ab ingenio suo impetrauêre, vti vindictâ in commiserationem versâ, iterum Moschis parcendo vincerent, quos aliquoties iam armis superassent. Etsi miles à recenti sanguine calens, dolensq; protelari suo incommodo victoriam, haud manibus temperaturus videretur, nisi prudenti occursu Præfectorum mitigandum spes esset; etiam cælo ad clementiam cooperante, quod intenso gelu de nocte inhorrescens, in molestissimum imbrem de die soluebatur; vt planè vel ipsa äëris intemperies flagrantem vindictæ affectum subigeret. Certè insolita eo tempore vis frigoris obseruari meruit, qua præter mortalium innumeros, vltra XII. Mill: Equorum vnius noctis interstitio sternerentur. Aderant sub hæc deprecatores à Moschis, Akinhoff, Kozłowski & Szczerbaty; vicissim à nostris prodibant, Demetrius Wisniowiecki Bełzēsis; Bieniewski Czerniechouiensis Palatini; Andreas Potocki Haliciensis, ac Szomowski Opocznensis Præfecti; qui vbi mutuo congressi; multùm distabant vltima primis, anteriore Moschorum typho in immodicam demissionem mutato; nisi quod Kozłowski tristi silentio asper, non tàm petiturus pacem, quàm victoribus irasci venisse videretur. Nec altius exorsi postulatorias, quàm vt non repugnantibus, & clementiam victorum requirentibus Christianis, parceretur. Nostri vicissim, belli iniusti causâ obiter exprobratâ, tum supremo Numine violati Fæderis vltore appellato, solabantur humano more; dein scire volentibus, quo pacto liberam missionem sperare possent? respondit Bieniewius; *Moschos*

Moschi victorẽ deprecantur.

Ooo *qui*

1660. *qui ante diſcrimen felices eſſe neſcierunt, iam nunc cum maximè vellent non poſſe, niſi abſolutè & ſine exceptione arbitrio victorum ſe permitterent.* Ex ſchæda dein prælecti deditionis articuli, eo tenore. *Victis & in poteſtatem venientibus Moſchis, pro ſolita Sereniſſimi Regis Poloniæ clementia, à Ducibus Exercitus vitam condonari: qui prius omnis generis arma & quemuis militarem apparatum, cum requiſitis armamentarij, bona fide tradent. Vkrayna penitus excedent non reuerſuri. Coſacorum Protectioni pro ſemper renuntiabunt. Arces præſidijs inſeſſas ſine mora Delegatis Regijs conſignabunt. Extra limites Regni regredientur, nulli ditionum nocumento &c:* Quæ vt lecta ſimul acceptata ſunt; niſi pro retinendis ſecuribus aliquantum diſceptarent, quæ adiecta diſtinctione permiſſæ, vti bipennes lato ferro, ac oblongo manubrio traderentur, trecentis duntaxat vſitatis ſecuribus conceſsis ad lignorum cæſuram.

Sub cōditione vita donati

Moſchi coſacos tradunt

In ante diem Cieciura, vt memoraui, ad nos perfugerat, potiori Coſacorum parte in ſua Caſtra, Scytharũ metu reuerſis. Iſtos requirente Noradino vt traderentur, paruêre Moſchi, interim, quid in alieno diſcrimine ſperandũ ipſis aut metuendũ foret haud conſiderãtis. Quippe Nuradinꝰ pactũ cum noſtris vt incolumes manerent, pro iniuria reputãs, imperioſius Duces per Dedyſz Agam conueniebat, neu fœdifragis indulgendo, in hoſtem mitiores, quàm in ſocios belli forent: ſimul ad Sułtan Gałgam (js tum cum XXX. Millibus Scytharum, apud Codemum euentum rerum operiebatur) citum equo nuntium mittit, de interuerſa ſociali fide queſtùs, & opitulum poſtulans. Sub hæc Moſchi de vita ex pacto ſecuri, ac tempori & neceſsitati cedentes, vt exarmarentur, extra valla prodibant, Legionibus noſtris circumquaq; aream occupantibus. Aderat cum pleriſq; inſignium Equitum, albicanti inſidens cantherio Niemiericius Kijouienſis Succamerarius, victoris Caſimiri Regis perſonam iuſſu Ducum ſuſtinens; cum ecce (dolendam rerum cõuerſionem) Faſces, Clauas, tympana, vexilla, haſtas, enſes, ſclopos, bipẽnes, & quid quid ferri geſtat miles, ſubtus

& exarmantur

ſubtus pedes ſeſe circumagentis proijciũt dedititij, tradũtq; infelicia arma, quibus vltra vitam tueri nequijſſent. 1660. Protinus machinæ ac omnis armamentaria ſupellex recenſetur à Delegatis, Szeremethus ipſe nuper cælo minax, Duces Polonos ſubmiſſe veneratur cum præcipuis Tribunorũ, manetq; retentus. Nox interim triſte victis ſpectaculum ſoluit, aſt diſcrimen geminauit. Frendebant Scythæ ob ſubductas ſibi manubias, neq; minus legionarios noſtros malè habuit, nullo ſanguinis fuſi pretio bellum finiri; *ad minimum (inquiebant) Caſtra Moſchorum in prædam permitterentur, vti pro exantlato labore, ſi non zebellinas, ſaltem agninas pelles, frigore enectus miles acquirere poſſet.* Hinc anxij Duces, dum remotiorem Scytham ſpatio noctis mitigari poſſe autumant; Legiones interim Caſtris continere viſum, vix Quingentis Legionarijs, ad peragendas in Caſtris Moſchorum Excubias, ſubmiſsis. Interim ſub noctẽ quomodo & Scytha in amicitia retineri, & Moſchi incolumes conſeruari poſſent? deliberatum. Recenti memoriâ hærebat Barbaræ ſocietatis exemplum, apud Nigrum Oſtrouum in Tranſyluanis practicatum, quos ſupplices & fidem Pòlonam ſecutos, admodum inhumanè tractauerant. Non aliud in præſens exſpectandum, velut nouum hoſtem objiciente fortuna. Iam verò quantum dedecus diſarmatam turbam, velut in macellum tradere? quale famæ probrum, alieno arbitrio circumagi victores? & tot Chriſtianorum capitibus, vt in cataſta veneant, inhumanæ genti litare? Eo deteſtabili facto palmam victoriæ deflorari, manſuramq; in æuum propudij notam, diſcriminibꝰ ac ſanguine Polonorũ parari victorias, quas Scythæ in commodum ſuum vertant fruanturq;. Alij contra, amicitiam Scytharum extollebant, arctis Poloniæ rebus adeo opportunam, vt in præcipitio exiſtenti, primi ad deſperatam cauſam contulerint, ſinceram compaſsionem, & præſens auxilium. Toto Suetici belli ſexennio, ſine pane, ſine tecto, ſine ſtatiuis ac ſtipendio, conſtantiſsimè in hoſtes Poloniæ militaſſe, non longinquitate itinerum, non aſperita-

 te mon-

1660. te montium, aut bellorum casibus incommodisuè absterritos; etiam donatiuū à Republica dari solitum, ad feliciora Patriæ tempora differendo: iam nunc in bellum euocatos arcere prædâ, sanè durū ex bello viuentibus. Quid, si superuenit Gałga, & vi rapiet quæ petentibus negantur, ac improficuam amicitiam, viribus ac numero fretus, in hostilitatē mutabit? Cederent hostes paulò melioribus socijs lucro, vel sanè libertatem quam gratuitò à Polonis habent, à Scythis ære mercarentur. Placuit conditio, vti auertendis extremis, demulcerent donis gentem auri auidissimam, quòd vt præstarent planè assensi, cum dubia adhuc dum luce creberrimis globis suggressi Castra (famelici in more lupi qui caulam circumiens sedulo introitum curiosus hospes rimatur) etiam isti portis aduoluti, ingressum moliebantur. Obijcit se strenuè stationarius miles, & postquā moniti, à vallo non absistunt, iussu Kierembrochi ac Piotrouicij Centurionum, quibus excubiæ obtigerant, iactu sclopetorum excepti, ab aditu excluduntur prima impressione. Verùm vndiq; circumfusi, & raras nec nisi exermium stationes aduertentes, in cuneum conglobati, vallū superant, obstantes reijciunt, demum peruicaci assultu Moschos inuadunt, supplices captiuant, restitantes obtruncāt, dolentibus nostris, & factum prius quàm fieri posse crederent, haud sanè demirantibus. Seremethus anticipato digressu euasisse casum videbatur, sed & iste fatale capræ auis præsagium implere debuit, Noradino pro extradendo efflictim instante adeo, vt præter alia dona, CC. Millia Imperialium exnunc numeranda, auaram indolem haud quaquam mitigarent, exindeq; dedendum sibi importunâ flagitatione extorserit. Adeo supera illa Prouidentiæ vis, et si in minimis magna & efficax, in magnis tamen manifesta & validior, consilia mortalium versat aut confundit; insigni in præsens documento, vt qui Cracouiam instituendo Triumpho victor destinabat, iam nunc victus, diuersa via in Tauricam abiret. Etsi humanorum casuum reminiscentia, ingenuò fatendum sit, nonnihil ex insignis belli

Scythæ Castra Moschorum inuadunt.

belli gloria decerptum fuisse, vbi partam multo sāguine victoriam, subductis à Barbaro manubijs denigrare patimur: 1660. quamuis immunes à noxa excuset bona mens, & proprij periculi ratio. Tres nihilominus Palatini, in potestate retenti, præcipuus Kniaz Kozłowski, cuius si consilijs obtemperasset Seremethus, haud tam tristi Epilogo scænam finijsset. Arma omnis generis recepta, sexaginta septem maioris modi machinæ, signa militaria quotquot reperiebantur, sclopetorum, lancearum, ensium, bipennium &c: grādes cumuli; vti conspicuum rei transactæ, sic considerabile vicissitudinis rerum humanarum monumentum. Eo fine Cudnouiensis prælij successus Moschis constitit, sæpe meliori parti fauente Numine, à quo sunt omnes causæ causarum. Triginta sex Millia hostium cæsa aut capta, grandis iniqui belli victima, vt ne nuntius quidem cladis superfuisset. Ast, vt in mellis dulcore, si gustu exploras amarorem senties, consimili natura victoriæ, quæ extrinsecus læta, non caret intro tristium mistura. Hinc Cato tolli omnino Carthaginem nolebat, vti æmulæ Vrbis metu, populi Romani vires bello occupatæ, otio haud soluerentur. Etiam de bello Punico Liuius ait. *Statum quoq; nostrum ex victoria mouit: vt iam inde haud secus quàm in pace res inter se contrahere, vendendo, emendo &c: auderent.* Idē ferè apud nos, vt maiori parte metu externorum bellorū solutis, iam inde vacaret ad eos contractus verti, qui tot coniuratorum hostium armis, perniciosiores Reipublicæ exstitēre.

Postquam res transacta, cuncti se in propria recipiebant, Scythæ in Tauricam, Cosaci in Vkraynam, nostri in Patriam: festinatum digressum vrgentibus belli incommodis, præcipuè frigoris vi intensa, cui accederet pabuli inopia, quâ plus quàm media pars equorum enecta interijt. Idem malum in homines, peditem præcipuè grassatum: hinc videre erat reduci nonnullas legiones, in totum rarefactis ordinibus, cohortesq; met tertias incedere, nuper ducentos turmales complexas. Nec magis commiseratione dignū, Nobiles Equites pedibus iter decurrere,

Digressus Exercituum à bello.

 ægros

1660. ægros ſine cura haberi, ac circa viam emori, nullo deuehē-
dorum prouiſu, aut victus ſubminiſtratione: certè ſub bo-
nis Ducibus illudato exemplo, negligi poſt meſſem operari-
um: dumq; potiores regreſſum maturant, proijci in ſtati-
ua legiones, velut non amplius neceſſariæ Reip: viderētur.

Czarnecij eo Anno acta. Etiam Czarnecius exactâ cum Lithuanis æſtate, Regē
in Vkraynam tendere comperiens, huc ſe dederat, vti cum
Holſaticis Legionibus Kijouiam verſus penetraret. Itaq;
apud Łoiouum ſuperato flumine, quidquid in partes Mo-
ſchorum procliue, ferro & igni vaſtat, globos cóeuntis
plebis diſsipat, ac latè patentem ditionem terrore armo-
rum permiſcens; nihil intactum ſinit; donec ad primam
ingruentis famam, cuncti ſe locis munitioribus commit-
terent. Præcipua tunc Coſacis transboryſthenem rece-
ptacula habebātur, Nizynum, Pereaſlauia, Oſtrze, Dziewi-
ca, Nowogrodek, &c: tum cōplura alia, quibus ferro & me-
tu offuſis, multiplici palma inclitus, expeditioni finem in-
gruente bruma impoſuit: continuis belli experimentis laſsū
agmen, per adiacētia Pripecio amni circa Bobroyſcū locans:
impiger Dux & conſultis facta cōiungens, ſi quāta illi meriti
& famæ ratio, par in refouendū cooperatorem militē reſpe-
ctu haberetur: cum tamen vel currus res licet in animis minus
itinerātibus cōmodus exiſtat, niſi polos axungia illeueris.

Regis Cracouiam aduentus Die XXV. Octobris Rex Caſimirus cum Regina Cracouiā venit, à
Metropoli Vrbe lætanter acceptus, occulto aliquo ſubſecuturæ vi-
ctoriæ ſenſu, alacritatem animorum incitante. Quippe vix hîc de-
poſuerat hoſpitem, cum vbere lætorum prouentu adſunt à Ducibus
literæ, tám deleti Moſchi, quàm redditi Reip: Chmielnicij ſignifica-
toriæ, vtræq; trophæum ex proſtrato funditus hoſte gratulantes.
Accepit eas Chriſtiano vti ſemper animo Rex, ac quo conſumma-
tior Triumphi ſpecies eſſet, in Arcis Baſilica ſupplicationibus Æternæ
Maieſtati conſtare pompam voluit, plauſu populi, ignium iactu, ac
fragore machinarū, vniuerſos publicæ lætitiæ admonentibus. Vtq;
debitam externo cultu monſtraret, in Ter Max: gratitudinem, è tho-
lis templi ſigna hoſtium refigere iuſsit; præcipuè illud multo auro il-
litum, effigiem D. Georgij præferens, prælio ad Połonkam rece-
ptum, quod è regione ſarcophagi D. Staniſlai Præſulis
hodieq; exſtare cernimus.

A. M. D. G.

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTERIS SECVNDI,

REGNANTE IOANNE CASIMIRO

LIBER SEPTIMVS

Elenchus Contentorum

An. Ch. M. DC. LXI.

*NOui in Regno conſurgunt motus, recenter ſuſci-
tato eligendi ad Diadema ſucceſsoris conſilio. Quod diu
clam habitum, dehinc aliud agendo in plures dimanare cæ-
pit, Rege ac Regina Cracouiæ, inter ſuſcepti negotii præ-
paramenta hyemem traducentibus. Hîc Caſimirum di-
uerſorum legationes adeunt, etiam ſuorum officioſis ſalu-
tationibus conuenitur, obuia vtriusq; Maieſtatis comitate, & in familia-
rem cum ſuis conuictum propenſione. Salisfodinas Wielicenſes Rex inui-
ſit, ſatagente Ludouica, vti inferius delata, ſubterraneas ſpecus recognoſce-
ret.*

1661. ret. Inde Czestochouiam ventum, datumq; deuotioni aliquid, plus negotio præconcepto; multis rem nouam & vetitam assensu, aut scripto firmantibus. Particulares in breui Conuentus celebrantur; post & Comitia Generalia Varsauiæ. In his Duces Poloni de victoria Cudnouiensi referunt; idem præstat Sapieha, ac Czarnecius, ob rem in Lithuania prosperè gestam; & quisq; parati operis testimonium, spolia hostis exhibet. Grates ex merito cunctis dictæ & habitæ; sed præcipuè Czarnecio. Materiarum diuersitas Comitia distinet. Demum Electio in apricum prodit, ad deliberandum Ordinibus proposita. Regis Casimiri sermo, id negotij ore proprio commêdantis. Magno animorũ motu res cæpta & tractata, multis se opponentibus contra. Hanus Crimensis Mediatorem se pacis Moschouiticæ ingerit; quæ si conciliari nequeat, socium belli offert. Pácta Oliuensia cum Suecis, etiam Hadziacensia cum Cosacis, approbantur. Czarnecio Tykocinum hæreditario Iure confertur &c: Contributiones in bellum sancitæ, demum & finita Comitia. Exeritus interim ob exilitatem hybernorum fremit, cui in obsequio retinendo Wilczkouius impar, dum subitos motus Varsauiam significat, interim à milite Nexus conflatur. Id malum, in primo limine côtemptui Aulæ; ast incrementum & progressus Reip. mox formidolosus; regrediente in viscera Regni Exercitu, & legitima Imperia abdicante. Rex in bellum Moschouiticum mouet; Oppidani Mobiloviâ præsidium Moschorũ exturbant. Lithuaniæ Exercitus in similem itidem Nexum conspirant. Hanus Crimensis in bellum contra Moschos, Confæderatum militem literis inuitat. Grodno recuperatur; etiam Wilno, arce ab hoste retenta. Chowanski ad Dolbinum cum Lithuanis pugnat, quibus Rex in succursum accelerat, dehinc re transacta ex deuicto hoste triumphat. Wilnam regressus arcem obsidio premit & recipit. Iterum à Regijs apud Glembokie prosperè pugnatum. Nexus militares tàm Regni quàm Lithuaniæ in vnum coalescunt &c: &c.

STatus Poloniæ quà armis quà pactionibus videbatur ex parte restabiliri, ac lacerata diuturnis bellis Reip: tranquillitas sensim in melius attolli; cum sperati euentus desiderium, emergentibus de nouo consilijs concuti cæpit; vti stante vita Principis, & saluâ Electione Populi successor destinaretur ad Coronam. Quo in puncto, vt fatear ingenuè, multum anxius hæsi, proferremne ista, an transmitterem? tum legine Historiæ, an pietati in Patriam (cuius nuditatem retegere piaculum) silendo consulerem? ast vicit verita-

tis ratio, cum non vsq; gentem nostram pudefieri sciam hisce factionibus, sub Principis & legum nomine agitatis, vt non magis palam sit, Electionem in Polonia solius DEI, per quem Reges regnant, beneficium esse. Sed nemo à me consiliorum arcana, aut inter paucos condicti secreti abstrusiora hac in parte requiret; quod pluribus cognitũ, quod palam in omnes emanauit, vel intelligentes rerum memorant, ex fide consignabo; amnem hunc consiliorũ per superficiem tranare, non mergum agere intendens. 1661.

Transigebat Casimirus Rex hyberni temporis curriculum Cracouiæ, inter nouellarum hilaria, aut gratulantium panegyres, ab adulto Octobre, ad vltimos Ianuarij dies hospitatus; euulgata diuturnioris in loco moræ causa, iam quod victorem Regem tot bellis perfunctum, in principe Vrbe spectare pro magnifico esset; quinetiam expediret, efferuescente inter Leopoldum Imp:, ac Turcam in Hungaria bello, à proximo limite vicinorum motus obseruare; raro igne ubi oritur deflagrante, nisi & contiguis ædibus communicet incendium. *Cracouiæ Casimirus residet.* Et primi armorum successus pro Turcis erant, capto in finibus Transyluaniæ Varadino, depulsisq; maiore parte Hungariæ Cæsareanis, vt vix apud nouas Arces, quas Germani Neyhusel vocant, vehemẽtia Ottomãni sisteretur. Hìc, subsistens Rex, diuersis legationib9 adibatur; ante alios à Crimensi Hano, qui versicolore caballo muneris loco Regem dignatus, ad prosequendum cõtra Moschos bellum seriò inuitabat, vel centena pugnatorum Millia sub initium Veris educere pollicitus. Dehinc complurium Vicinorum Legati gratulatorias ferebant; inter alios, Curlandiæ Duce Iacobo, qui talionem repensurus à Suecis vindicatus, sedulò pro pace cum Moscho concilianda allaborabat, æquanimes pacis conditiones laturũ spòndẽs: quem tamen, pro insito fastu, ita existimationi suæ consulere velle apparebat, vti non per se, sed alterius interpositione victorem precaretur. Sub hæc máxima cuiusuis Ordinis hominum freqẽtia ad Regem confluebat; è Clero

1661. præcipui, Senatores, Equeſtres, alij vocati, alij ſponte venientes, comi paſsim in omnes ac beneuolo Rege: ac, ſi quidquam aliquis poſceret, nihil petentibus negante. Nec diu Mareſchallus Regni Lubomirius, confecti belli magna parte autor, Cracouiæ Regem ſalutabat, ex merito acceptus ab vtraq; Mageſtate gratiosè, Supremo Cancellario dû ſalutanti Regis nomine reſpondet, adeo in encomia effuſo, vti præcipuum Pacis pararium, imo Patrem Patriæ diceret: etſi energiam laudantis probè intelligens laudatus, haud ignoraret, contrario ſenſu accipi debere, quæ nimia dicerentur. Cieciura quinetiam acerrimus ille Moſchorum aſſertor, Coſacisq; in excutiendum obſequium fax & tuba, ſiſtebatur Regi captiui ſpecie: meritus equidem non impunè abire toties læſæ Maieſtatis crimen; quia tamen ſpontanea tranſitione in partes, ſpeciem reſipiſcentiæ præſetulerat, tum ambo Duces exoratores pro reo intercederent, etiam huic clemens ſine delectu Princeps impertijt veniam noxio ſanè benefacto: ac quod in facinoroſo deterius, ruſus ad nocendi facultatem, á metu pœnæ liberato. Idem

Legatio Cosacica. præſtabat Georgius Chmielnicki Exercitus Zaporoſcenſis nomine, conſtantiam fidei illibatè in poſterum ſeruandæ ingerens, & ad quæuis mandata Regia prõptum ſpondens obſequium. Cuius Internuntij, vt fauorabili aditu excepti, ſic cum ſpe clementiæ dimiſsi ſunt: centenis ex ſodalitio iuſſu Regis panno Anglico conueſtitis, vt ſi benignitatem Regiam animo rudes concipere non poſſent, ſaltem ſplendidior veſtitus tribuentis munificentiam teſtaretur.

Regis occupationes. Quod reſiduum temporis, honeſtis oblectamentis datum. Strepebant Palatij Epiſcopalis conclauia in hoſpitium Maieſtati delecta, abeuntium aut venientium concurſu, implebanturq; capaciſsima triclinia conuenarum turba, non vt aſſolet ieiuna in atrio ſtatione, verùm ad inſtructas multa dape menſas, aſsidere ac conueſci cuiq; licuit, adhibitis vltra morem Aulæ, qui ad hilaritatem prouocarent: poſtea quam ſapuit bolus, & ſine delectu conuiuæ admiſsi, multis ſuppa-

ſupparaſitantibus. Etiam Rex nonnullos Proceres hilaris 1661.
ſub noctem conueniebat, inuitatusq; ad ſolennes nuptias Franciſci Korycinſki, quas cum Iacobi Michałowſki Caſtellani Biecenſis Filia Virgine lectiſsima contrahebat; in ædes Kazanouij foro imminentes, quibus à S. Chriſtophoro nomen, ſimul cum Regina deſcendit; iocis feſtiuioribus ac choreis indulſit, etiam pro more donis Neoſponſos dignatus. Grata hæc in vulgus, præſertim gente noſtra ad eiusmodi illicia facili, quæ nimiam auſteritatem peroſa, in officia humanitatis reſolui amat.

Wieliciam inde itum, viſendo fama celebri loco, vt qui non immeritò inter admiranda Poloniæ ponatur. Vnanimi traditione Hiſtoricorum conſtat, tâm hîc quàm Bochniæ foſsilem ſalem, exiſtere beneficiũ D. Cunegundis, Boleſlai Pudici Principis Pol. vxoris, quæ eas ſalis fodinarũ cornucopias à Parente Bela Hungariæ Rege, pro dotali Gaza impetratas, vt in Poloniam tranſportarentur, miraculosè à DEO obtinuiſſet. *Sed de his in anteriore Climactere fuſius, neq; nunc iterabo.* Hoſpitem Maieſtatem excepit magnificè, tractauitq; Ioannes Wielopolſki, Caſtellanus Woynicenſis, Vir ſplendore & humanitate præcipuus; iam nunc adminiſtrationi eius Oeconomiæ admotus; decedente Barone de Iaroſzyn Sileſio, qui in eam diem, per aliquot annos redituûm locatione redemerat. Inceſsit hîc cupido Ludouicam Reginam ſubterraneas ſpecus adire, vti proprijs oculis videre poſſet, quomodo euiſcerata tellus ſalem parturiret, & vt vacua antra cumulis ruinarum opplerentur. Diſſuadebant multi in ima terræ deſcenſum, non ſine faſtidio futurũ, etiam Rex ob varios caſus anxius retinebat, aſt firmiter in propoſito illa perſtitit, ac ſic demitti infra mundi limitem oſtendit, vt nuper extra Regnũ animosè bello exacta fuerat. Anguſto deforis orificio panditur in profundum ſpecus, quo deſcêdit foſſor helcio rudenti annexus, ac pauco ſeuo ignem refouens, cuius lumine, in illa perpetuæ noctis opacitate, quæ non ſolem, non ſidera admittit, in opus

Wieliciam itum.

 prodro-

1661. prodromo vteretur. Iam ferculo in deſcenſum exornato, plures è gynæceo Virgines aderant Dominam comitaturæ, quibus innatum ſexui pauorem tegentibus, exprobrabant non inurbanè Aulici, aſtutè eas conſtantiam mentiri, cum externus pallor metum proderet: ac abſoluta humanæ venuſtatis ſimulachra non ſine commiſeratione ſpectantium eò deſcendere velle, vnde ſal erueretur. reſponſo iſtarum, etiam ſub terram eundum, quia Reginam deſerere nefas eſſet. Sed quis imbellem turbam miretur, non vni Virorum circa deſcenſum tremor concuſsit artus. vbi iuxta Poetam, - - - - - - - - - - - - - - - *ire per omnes*

Vmbrarum ditisq; domos, habitataq; nocti
Limina, præcipites aditus, & digna ſepultis
Manibus hoſpitia, & triſtes ſine ſole cauernas.

Deſtitit tandem Regina, ac quo expectatâ in viſceribus terræ præſentiam Foſsoribus penſaret, circa egreſſum operarum nummos ſpargere iuſsit, non ingratum rapaci turbæ xenium; quæ viciſsim pro munere munus datura, Bancum ſalis obtulit, in gemina fruſtra conciſum, in cuius medio ramus betullaceꝰ, cubitûs humani craſsitie, inſertus eſſet. Inſpexit Rex, enato confeſtim Phiſicis problemate. An ſal cum creatione vniuerſi ſynchronos terræ eſſet? an verò productitius telluris partus, & ex matre omnium terra, ſalſedo naſceretur. Wieliciâ rurſus Cracouiam, iſthic breui mo-
inde Czeſtochouiã. ra Częſtochouiam ventum; ſacrum locum inuiſendi deuotionis causâ, tum, quòd per Vniuerſales literas, hùc in ante Caſimirus Senatum Regni conuocarat, velut per tranſennam de rebus ad ſtatum Patriæ ſpectantibus acturus. Hîc ad diem x. Februarij. trimembris proponebatur deliberantibus Theſis. Primo, Electorem Brandeburgicum in conditionatam Elbingæ traditionem haud aſſenſum, nec in totum ex dignitate mittentis Commiſſarios Reip: accepiſſe. Secundo, Contributionũ publicarum deuectionem, ex Sen: Con: Leopolim per Miniſtros Ærarij quantociùs deuehi procurandam. Inſuper Prouincijs Maioris Poloniæ, in fi-

dem publicam ſupererogatas ſummas, tum ſuppeditatam in vſum Caſtrenſem annonam, in rationibus erga alias Prouincias ſuſcipiendam. *Quoad primum.* Vigore Pacti Bydgoſtiẽſis, quo à partibus Sueci abſtracto; neceſſum erat Electori certam pecuniæ ſummam numerari, vel certè dimittere hypotecæ loco Elbingã, donec nummos reponimus. Vladiſlaus Rey Curiæ Regni Theſaurarius fungebatur Cõmiſſarij munere, qui repoſitione ſummæ in præſens difficili, ſic locum conſignare volebat, vti veteribus Vrbis immunitatibus, ne nouo ſub Domino premerentur conſuleret; an forte in executione Pacti lentior ideo, vti ea protractione, velut nouo beneficio illigaret Principem, recenti Electionis noſtræ materiæ non vsq; fauentem. Ægrè fert cunctationem Elector, & haud celata offenſa literis ad Regem datis, acerbius in protelantem Commiſsarium inuehitur, etiam pro mittendis ad bellum Moſchouiticũ ſubſidijs requiſitus, nihil præſtitit: plus à Rep: gratitudinis requirens ipſe, quòd hoſtes eius exarmaſſet. Ad ſtipendia militum vbi ventum, affectus magis quàm effectus erat: apparebatq; pecunias faciliùs diſtribui verbo, quàm numerari manu, præſertim inter illos, qui prodigerent non ſua, vt promouerẽt aliena. Aſt ſuperficie tenùs iſta, & occupandis tã- *Electio pullulat.*
tum animis tractabantur, reuera feruebat ſub operculo Electionis materia, iam in alterum annum Aula Polona inauſpicatum fætum parturiente: &, dum in id conſilij ſuaſus Princeps trahitur, donec euulgari expediret, tantiſper ſilentio premente. Et præſsiſsent diutius, niſi dum Auſtriaci Miniſtri inuidiosè propalant,, viſum promotoribus tempus maturuiſſe, ac magis ingenuum duxerunt non ſilere. Itaq; prenſati, ut quisq; Ciuium in aſſenſum, monſtrando rationibus, poſt Suecum, Moſchum, Tranſyluanumq; violentos Regni competitores, iam nunc ſecurius, de eligendo Succeſſore, ſine libertatis præiudicio tractari poſſe. Traxit multos, res ſola nouitate plauſibilis: vnde, quia plerumq; mens humana ambulatoria eſt, viſum placita ſcripto firma-

1661. re, nominumq; authoritate persuadere reliquis, quod potiores ratum habuissent; etsi id institutis legibusq; Patrijs apertissimè repugnaret. Quippe pro cardine libertatis Polonæ habetur, Regnantis Electio, quam non aliter liberam Ordines censent, nisi Fato Principis orba Resp: ad promẽda pro successore suffragia, iam sui Iuris facta accedat. Neque solùm qui excellerent dignatione Proceres nomina dabant, etiam vt quiuis è Nobilitate requisitus & illectus subscribebant; cum non pigeret in legem peccare inferiores, vbi amplissimi ordinis haud pauci in pagina descripti cõspicerentur. Ita rem aggressi, & promptum effectu iudicantes quod cepissent, multos benefactis, plures pollicitis, comitate omnes deuinciunt: præsto ad mensuram cuiusq; largitiones, tituli, dignitates, beneficia &c. reliquum suppleuêre verba, quæ sæpius Amicos veteres spe noua excitant, nouos veterum æmulatione incendunt; nec pecuniæ parsum nec studio, vt sic per Prouincias sparsim haberentur addicti negotio, & contribulium stimulus. Debili sanè eorũ qui promouerent negotium coniecturâ, vniuersos facilè adduci posse, in quod nonnulli præoccupati assentirentur: præcipuè non ignaris, ius vetandi adeo in statu libero valere, vt vel vnius contradictoria voce, comitia dissolui contingat. Vnde verò tam turbidi, & veterrimis legibus repugnantis consilij causæ, haud facilè est dicere: nec scribenti proferre omnino tutum. Certè Casimirus animi candidus, ac semper probissimæ mentis (vti postea sæpius fide Regia retulit) opinione ductus, beneficium se conferre existimabat; vel quod verisimilius, ad orbitatis solatium, & quandam sortis emendationem successorem nancisci cupiens, quando ex se genuisset abrupta vita non regnaturos. Sed omnes in eo consentiebant, eiusmodi telam Reginæ Ludouicæ opus fuisse; quæ supra sexum ingentium capax, & dudum suas necessitudines agitans, iam ex sorore Nepti per torum in thronum promouendæ, consultum iri volebat; iam excelsæ indoli otiari nesciæ alimentum datura, si quem

vtero

vtero parere Polonis Regem non poterat, capite daret. Hinc curiositati occasio, & Regi, qui Vxori plurimùm tribueret, stimulus. Hactenus Czestochouiæ inter deuotionis miscellas actum. Inde Kielcios itum, Præsule Cracouiense Trzebicio, pro liberalis hospitij modo excipiente Maiestates. Etiam hîc Sandomiriensis Palatinatus in considerationem veniebat, non aliunde quàm hinc aduersos cæpto negotio ventos consurgere, supponente Aula; Terræ eius Nobilitate Patriarum legum & auiti moris tenace, & quæ, ne quidem sub iugo Suetico & Caroli armis, pro insinuata Electione fortiter loqui omiserat; vnde tunc, acsi per viam vocari tractariq; placuit potiores: repertis qui assentirẽtur & subscriberent, pluribus silentio aut præcipiti abscessu rem Fato committentibus. Inter hæc, Varsauiam Casimirus redibat, impletis anxia exspectatione Prouincijs, quis ille tandem successor, & quomodo Polonum diadema vni semper impositum, geminis aptari posset capitibus. Præludebatur interim negotio emissarijs scriptis, aderantque interpretes, qui per familiares discursus vtriusq; Maiestatis pro Republica studia extollerent, propter subiectos populos se se Pellicani in morem euiscerantis; iam ad commoda futuræ Electionis transgressi, dilaudabant hyperbolen propè antidotum salutis, recentium bellorum malis terrendo, aut mulcendo spe meliorum: vt ferè nihil facilius persuadeas, quám ea quæ sunt in audientium votis. Conuentus interea Particulares magno concursu Nobilitatis per Prouincias acti, in quibus offendit nonnihil Ministrorum Aulæ confidentia, quâ protulerant, in negotio Electionis rem omnem, se vino & epulis perfecturos. Vnde læsivum scomma, alicui horum exprobratum Opatouiæ fuit, vt is, ne offensos animos irritaret, subducere se à consilio debuerit. Ast vna hirundo non facit Ver, præsto intẽdentibus multis, quæq; aucupia populi sunt, omittentibus nihil. Ignosce Nobilitas mea, liberè suggerenti; flante Austro impellimur, aspirantibus Fauonijs trahimur, affectu, respectu, passione, velut 1661.

ventis

1661. ventis agitata arundo mouemur; præſertim vbi ſe interpo-
nit accipiendi, hamus aut lautæ tractationis occaſio. Inter
hæc prodigit qui habet, rapit qui indiget, & ſic potitur qui
intendit. Firmamentum olim Reip: vox libera, iam in te-
lum parricidij vertitur, quando empti Quirites, ad ſtrepitú
lucri ſuffragia vertunt. Res mali moris publico intertri-
mento augere priuata; & vt lares abundent, ex ara rapere,
Tholoſſanum aurum eſt.

Comitia dein Generalia Varſauiæ Die ſecunda Maij ce-
lebrata ſunt, tantâ Conuenarum frequentiâ, qualem vetu-
ſtiſsimi mortalium non meminerant: cunctis animos arri-
gentibus, illud ſuâ ætate prodigium viſuri, Regem ſcilicet
è cerebro deſignantium datum. Cætui Equeſtri modera-
batur ſub Mareſchalli nomine, Michaël Caſimirus Dux
Radiuillus, Pincerna Lithuaniæ, non natalibus magis quam
indole florentiſsimus, & quod ad rem facit apprimè Catho-
licus. Quippe Radiuillorum familia inter geminas ſtirpes
propagata, ſub vno vocabulo procerentes ramos, hæredi-
tatum titulis diſtinguit; ita, vt primi ab Ołyka & Nieſwieſz;
à Bierze & Dubinki alij; etiam à Kleczko & Kopyl lineam
domus denotent, intermedijs ad Caluini dogma olim trã-
ſeuntibus: & donec ramus deficit, in errore obfirmatis. A
Throno interim deliberationi materia proponitur, expro-
mit Senatus vota, auſcultant Equeſtres, aut accepta dicen-
di venia, ſeſe ad interuenientia immiſcent; primò ac præ-
cipuè opponentes, vti honores ac dignitates quales Vacan-
tias vocant diſtribuerentur. Factum ſatis ſic diſponenti
legi, & iſtis volentibus. Andreæ Grudzinſki Poznanienſis,
Joanni Opalinſki Caliſsienſis, Hieronimo Wierzbowſki
Sieradienſis, Leſzczynio Inciſori Regni Podlachiæ, Palati-
næ ceſsêre dignitates; Ioanni Leſzczynſki minus Regni ſi-
gillum delatum, alijs alia &c.

Duces de Victoria ex Moſchis referunt.

Die Sanctiſsimæ Trinitati ſacro, ambo Duces Poloni,
nobile proſcenium actus daturi, ſplendido Comitatu Ar-
cis aream prægreſſo, diuiſim vterq; ſe exhibuêre ſpectádi.
Præfe-

Præferebantur ſigna de Moſchis rapta, ducebantur vincti 1661.
poſt currus captiui, dein ante Tronum Regis exhibiti:
quorum primarius Kniaz Kozłowſki, dum in adorationem
Maieſtatis contumax collum inflectere renuit, valentiori
brachio truſus, ante ſolium Victoris ſternitur, genu flectere
nolens. Simili pompa Præfectus armorum Lithuaniæ Sapie-
ha, rerũ à ſe geſtarũ exhibebat ſpectaculũ, quodq; triumphi
ſpeciem auxerat, ſine ſocio palmam meruiſſe viſus, vbi Ga-
ſievius Campidux, in Moſchouia detentus hæret; niſi Pa-
latinus Ruſsiæ Czarnecius, cum Holſatico Exercitu in Li-
thuania cooperatus, in conſortium eius laureæ veniret; red-
deretq; ſingillatim Regi CXV. ſigna militaria, ac præter
alias manubias, viginti ſex captiuos Moſchos, ſerico veſti-
tos; idq; die VII. Iunij; latiore nominis famâ ac populi plau-
ſu in pari merito acceptus, potiorq; Maieſtati viſus, cuius
manus labaſcente iam aliorum fauore, ſucceſſoris promotio
reſpiceret. Quod patuit, dum à Trono actæ quidem om-
nibus ex merito gratiæ, debitæ & competentes, quid amplius
tamen & ſeorſiuè Czarnecio præſtitum, quem pleno Se-
natu Cancellarius Regni Prazmowſki à Rege iuſſus, in eum
ſenſum compellauit. *Rectè factorum conſcientia ampliſsima*
quidẽ virtuti merces eſt, & excelſa Heroũ indoles, fortiter egiſſe
contenta, maximi præmij loco cẽſet, ſilente licet publico encomio,
promeritâ famâ laudari: at hæ ipſæ virtutes tuæ, quibus præ-
ſenti tempeſtate Dux Fortiſſime refulſiſti, inuidum rumpunt ſi-
lentium, neq; nobis, quibus fortitudo tua profuit, tacendo ingra-
tis eſſe licebit. Impleſti præclarè factis Orbem, neq; ſolùm a-
pud huius Patriæ Ciues & conterraneos Magnus, nec tantùm
apud vicinas gentes glorioſus; verùm etiam apud ipſos in exiti-
um noſtri coniuratos hoſtes, non ſolùm timeris armatus & vi-
ctor, ſed etiam celebraris præconijs pacatus & abſens. Pro-
tuliſti ad famam, per diſſita tranſmarinarum gentium clima-
ta, robur nomenq; Polonum; ſimul auitam bellicæ virtutis glo-
riam, dudum his in oris obliteratam, infatigabili pro honore
gentis ſtrenuitate, ſuſcitaſti. Non extat vel ex remotiſſimis Re-

Czarnecio Gratiarum actio.

gni hu-

1661. *gni huius Prouincijs angulus, nec vel vnã reperiri facile, incursu hostium occupatam Poloniæ particulam; quò tu cum Legionibus non eluctareris Victor; iam super Leone Suetico, iam Moschorũ alite immortalia spectatore Orbe erigens trophæa, in præsens Patriæ præsidium, posteritati prodigium. Nec solùm Carpatijs Montibus fortiter gesta tua circumscribi pateris, sed cælo proxima Alpium iuga, fortitudinis tuæ gloria iam transcendit. Parum est Europam quà latè patet victricibus lauris implesse, nisi vltra Caspium mare, & admotam Orienti soli Indiam, Magnumq; Mogolem, & dites contemptu auri Chinas, latâ nominis & victoriarum famâ, transuolares. Ne iactet amplius Roma Fabios, Vnus homo nobis restituit rem; quodq; eidem agitato turbis imperio adscripsit aliquis: nisi Marius exstitisset actum de Romanis fuisset; id iustius tibi à Rep: nostra tribui par est. Militarem disciplinam, seu temporum iniquitate, seu nociua conniuentia laxatam, iusto rigore ad normam reduxisti, præcidisti licentiæ neruos, fibras modestiæ & obsequij instaurasti, ita, vt in immensum prouecta Patriæ latifundia, licentiosis vbiq; vexata delectibus, adorent nomen Sospitatoris; quiq; ante ad mentionem militis diras imprecaretur, tam nunc benedicat populus, modestæ tractationis conscius: fatendo, quà singuli quà vniuersi: quod, cum maxima facias, minima exigas: & cũ promerueris immẽsa, præmio pro laboribus, solâ contẽtus agis gloriâ. Legiones Tuas & stipendijs & hibernis per externas gentes hosti ereptis, sustentas & alis; tàm extra Patriam proficuus, quàm ab intra nullatenus onerosus. Hinc nomen eius Ducis est nobis Legio fortissima, verbo comprehendam, vnus pro mille, & numerosis Exercitibus potior solus &c. Nunc Ordinum nomine pro hisdem belli laboribus, & indefesso circa bonum cõmune studio, qui Minister Troni fit, idem & publicæ gratitudinis interpres, gratias agere &c. Etiam Regiæ Maiestatis singulari voto, vt à propitio cælo tot annorum auxesim recipias, quot nobis ab hoste eripi vetuisti.* Hæc ex vernaculo, vt dicta, ad verbum retuli, constare vt possit, quantũ tunc vni subiecto Aula tribueret, certè ex merito, at non sine inuidia; cuius plerumq; in æquali-

æqualitate præcipua seges, dum à paribus vel inuidis aliena encomia in diminutionem sui trahuntur: etiam assertu- 1661. rus supra scriptorum fidem, quæ de tanto bellatore inserui; sufficiet credo publicum testimonium, quod in facie totius Reip: ea sibi dici meruerit.

Neq; tantùm de verbo actum, vt non magis operis exhibitione virtus præmiaretur. Tykocin oppidum in conterminio Mazouiæ ac Podlachiæ iacet, Arce firma adiuncta, quam immortalis memoriæ D. Augustus Rex excitarat, placito ob amænitatem loco, interq; palustria restagnantis Narew fl: hic delecta sede. In eam diem amplo reditu Præfectura mansit, quam à Suecis recuperatam in ante Czarnecio Rex sub Capitaneatus nomine contulerat; in præsens meritorum intuitu, vt in hæreditatem à Rep: verteretur, authoritate Regia annisus, non solùm vt laboris præmium, sed etiam emeritæ virtutis ad posteritatem honestamentum. Certè meruerat, nisi consequendi spes in arduo esset, vbi in æquali Rep: consensui plurium vnus intercedere potest, maximè in conferendis præmijs, aut largitionibus, quæ dũ aliqui nec præstare nec petere queunt, inuident. Etiam hìc complures è Nuntijs se opposuerant, extraordinariam præmiandi viam, ad alios Regiæ munificentiæ modos restringentes, ne dum in fonte intercipitur aqua, promanans benefaciendi riuus exaresceret: ita tamen, vt tribuendæ hæreditati aduersi, in Emphiteusim consentire ostenderent: cùm consurgens è Trono Casimirus. *Si (inquit) Virtus & labores emeriti Ductoris infra vobis videntur, vt Tykocinum obtineat Czarnecius hæreditate; at quidquid meorum in hanc Remp: exstat, meritorum, lanci vt æquiualeant infero; si parum est, Auitæ mihi Iagellonicæ domus collata in vos beneficia, cumulo superaddo? Par pari reddite.* Principis vox silentium disceptationi imposuit, & extorsit assensum, vt demum tribuendum Czarnecio Iure hæreditatis Tykocinum, lege publica transcriberetur.

Tykocinũ confertur Carnecio.

De exoluendo quin etiam militari stipẽdio sedulò actũ, velut

Cõmissio indicta Leopolis.

1661. velut à soluere volentibus, Constitutionibus inserta prolixâ lege, pro die XXV, Septembris Leopoli Commissionem instituente. Locus equidem, & qui negotium pertractarent Commissarij condici facilè potuêre: ast, quod illud Amaltheæ cornu, aut Fortunati marsupium, vnde pro immenso debito satisfieret, præsertim in tam larga publici æris dispensatione. Hinc militares Nuntij, dum palam constat prodigi non congregari, mulceriq; superficietenus verbis, & expendi in extraordinarios sumptus pecunias, haud in abscondito denuntiabant; Exercitum toties nullo effectu ac irritis Comitiorum promissis dilatum, & elusum, ad ea demum media repetendi debiti descensurum, quæ læsa coget tentare patientia. Itaq;, vti isti rem seriò agi aduerterent, ad Contributiones publicas propositiones à Trono vertebantur; huc deducto negotio, quominus Agrariæ Quinquaginta sex Fumales Exactiones sancirentur: in tardè soluentium negligentiam, Exactorum incuriam, Ærarij peculatum descriptis pœnis, & omnia quatenus Nuntij militares voluerant.

Publica Processio. Nec omittam, per solemnes Corporis Christi Ferias, in publica Processione Regem cum Regina, frequentissimo Ordinum comitatu, intecto per ardentissimum solem capite, ac ne baccillo quidem fulciri gradum sustinente, sacram pompam deduxisse. Et contigit, uti ad quadrifariam excitata per forum altaria, deferenti Sacram Thecam Præsuli, substernerentur pedibus vexilla Moschorum, in trophæum Numini, qui solus Devs exercituûm est, offerenda. Quæ legatus Moschus ex imminentibus foro ædibus in terram prouolui calcariq; conspiciens, adeo altùm ingemuisse fertur, vt inter crebra suspiria, barbam præ dolore vellicaret, vultumq; laceraret. Etiam Anabaptistarum secta, quos sub Arianorum nomine è Regno proscriptos anterioribus Comitijs memoraui, indictum exilium impotenter ferens, patrocinium & fauores multorum detestabili causæ

causæ solertèr conquirebat. Ac primò supplicem libellum 1661. Regi obtulerant, commiserationem apud promptum indulgendi Principem ciendo, quatenus tot vetustis stirpibus optimè de Patria meritis consulens, irrogatam exilij pænã reuocare clementer dignaretur; etiam publica Disputatione experimentum sui dare offerentes, quam modicum in dogmatibus fidei discreparent, & si meliora docentur, erronea deserturos: petebant insuper vti inuidioso Arianorum vocabulo per legem abolito, liceret ad receptam in Regno Euangelicorum doctrinam transire. Ast, minus gratè acceptis, responsum est. Legem iubere non disputare, & nisi protinus ad Ecclesiam, quæ sola Catholica Mater est, redeunt, mutandum solum peruicacibus, qui errorem nollent. Et plus æquo Dissidentes, tunc in Rep: iuris vsurpare sibi videbantur. Etsi Lublini in Tribunali Stanislaus Witkowski, dum deferente Salutis mysteria ad infirmum Sacerdote, Creatori Deo in Sacra Eucharistia præsentialiter existenti, in cuius Nomine omne genu flectitur, debitã adorationem ingeniculando negat, nec pilei depositione Dominum vniuersi veneratur, ad pænam capitis cõdemnatus esset: quâ tamen ex benignitate Iudicij reo indultã, sessione annua turris, stupidam illam temeritatem aduersus Numen æternum, quod etiam maligni Spiritus cum tremore adorant, dediscere præsenti mulcta iussus est.

Alijs Triumphi spectaculo emollitis, alijs per diuersa *Materia Electionis.* contendentium æstu lassatis, tum demum intermedium actum dare placuit, materia eligendi successoris in publicũ prodeunte. Considebat in Trono Rex Ministrorum turba septus, Regina prælustribus circumfusa Matronis, è regione Troni fenestram in perystilio ampliorem occupauerat, vnde videre & aspici posset; frequens in statione miles locatus, & firmata vbiq; Prætorianis Palatij atria: cum pleno Senatus equestriumq; cætu, die XVII. Iulij, non iam pro recepto more, ex sigillorum Præsidibus aliquis Regiæ mentis interpretem agit, verùm ipsemet Princeps, quæ sibi in-

1661. bi intentio eſſet, ore proprio explicare aggreditur. Tribuam Optimi Regis memoriæ, qui Paterno in Poloniam affectu huc ſe dedit, vti vel cum diminutione ſui in Succeſſore viueret, genuina ſermonis eius verba, ne intercidant ex fide inſerendo. Itaq; , ſemotâ impertinente turbâ, ac imperato per Mareſchallos ſilentio, in eum modum Rex proloquitur.

Regiū ad Ordines ſermo. *Extra dubium eſt, Propoſitionem meam ad Conuentus particulares, de Electione Succeſſoris, ſtante vita mea, inſtituendâ, per Prouincias dimiſſam, apud Fidelitates Veſtras alicui admirationi motiuum exſtitiſſe: quod inſueta Regnantibus ſolicitudine, Succeſſorem mihi viuenti deſignari cupiam, quem naturali modo & ordine Fata mihi negauerunt. Neq; minus ambîgo quin res hæc, vt rara, ſic inſperata, diuerſos ſenſus & conſilij mei repererit interpretes. Quibus opinionibus vt explicita Declaratione occurram, de ſincera & candida intentione mea, Fid: VV: oretenus edocere viſum. Inprimis nemo exiſtimet, velut repentè ac minus conſideratè âd id conſilij acceſſerim; cum ab Anno 1655. fatis cedente Fratre meo Carolo Ferdinando, iam graueſcentem annis ætatem conſiderans, iam habendæ prolis exſpes, & proinde Domus meæ nouiſſimus, æquū cenſui, imo ex officio duxi, id amoris cariſſimæ Patriæ exhibere documentū, ac velut præmonitionem: vt, ſi humanitùs mors accideret mihi, in caſum & diſcrimen Interregnorum ſeſe committere nollet. Sed hæc intentio aut cogitata mea, vbi diuerſi hoſtes Regnum exagitant, ſeponi aut differri debuêre: reſumpta demum & penitius trutinata, poſt quam Reſp: à cladibus reſpirare cæpit. Ergo altiùs conſiderando Domum meam, à Trecentis propè annis ex linea materna, ex paterna à Septuaginta amplius, liberis ſuffragijs veſtris in ſolio Sarmatico collocatam, me hîc inter vos eductum, & à vobis electum in præſens regnare: deſiderans deſideraui hoc gratitudinis monumentum in animis veſtris relinquere, vt beneficiorum auitorum, ſimul exhibiti amoris mei memoria, ipſis Fatis ſuperſtes, non cum expirante vita mea extingueretur: ſed apud bonos Ciues & Subditos grata recordatione, ex eo perennaret, quod inſtinctu & permiſſu meo, ad liberam Electionem viam aperuerim, quæ nonniſi me viuente libera eſſe, ac dici meretur. Quippe iam conſilijs eiuſmodi, iam viribus meis ad examen reuocatis, quonam facinore huic Reip: ſolus & vnicus Familiæ Iagiellonis ſuperſtes, continuatum in Stirpe mêa Imperium regratificari valerem, hac præſenti propoſitione, nihil efficacius reperi: ad quam vti ſalutis antidotum, vobis commendandam, verba Prophetæ aptare liceat.* Popule mî, quid amplius tibi facere potui, & non feci. *Teſtis cordium ſcrutator* Devs, *me non ſanguinis, non fauoris, non commodi, aut alicuius paſſionis reſpectu duci impelliue; qui iam per legem mortalitatis omnia mea domusq; meæ Fata in agonem traho; nec quenquam reperiri poſſe arbitror, qui ſecus eam intentionem meam interpretetur; vbi attentiùs perpendit, quod ſepoſita diuerſorum Caſuûm Regnātibus accidentium viciſſitudine, Status & dignitatis propriæ immemor, ſoli virtuti Polonæ, meæq; in Patriam amoris ſinceritati fiſus* Ius Maieſtatis *cum Rep, à qua accepi diuidam. Credite eodem Teſte Numine, me nullum Libertati veſtræ præiudicium velle aut intendere, imò bona conſcientia ſic ſentire, immunitates veſtras, non aliter nec validius firmaturum, niſi conceſſâ viuente & regnante me Electione. A parte ſua in totum præcauens, ac ſacroſanctè ſpondens, nullatenus immiſcere, ſe Actui Electionis, eundemq; vobis placitum approbare, quemcunq; prius voluntas Altiſſimi, dein vnanimi ſuffragiorum calculo, Elector Populus dignum Solio iudicauerit. Modo ſit à ſtirpe Catholicus; ex antiqua Principum proſapia oriundus; neq; vicinorum Monarcharum vaſallus; aut recenter creatus Princeps; neu ditiones ſuæ ab arbitrio alicuius minus Chriſtianis fauente Monarcha dependeant; quiuè belli Turci molem ſecum traheret; inſuper, vt benè iunior annis ætatem meam ſubſequatur. Neq; magis optauerim, non ex ijs eligendum, qui vel ipſi Patriam iſtam armis oppugnauêre; aut filij eorum, qui per vim & potentiam, aliquando eandem occupare ſatagebant. Prolixius haud ê re duco exponere talis Electionis commoda, aut euidentia pericula Interregnorum; eo ſolū adiecto*

1661.

1661. *adiecto, quod licet plura Interregna olim eluctata Polonia fu-
erit, iam in præſenti non ſine diſcrimine illi ſuccumbendum fo-
ret. Quippe antiquo & ſimpliciore ſæculo, ſincerus candor,
ſtudium & amor recti apud Maiores noſtros, non commodis,
non reſpectibus Vicinis cogniti fuimus, etiam impermiſti fa-
ctionibus, diſtinuimus ignorantes, in quem vſum nos ambirent
exteri: opes noſtras illi non nouerant, amicitiam infra pone-
bant, indolem ac virtutis ſtudia non intelligentes, pro ſimpli-
citate contemptim accipiebant. Nos ipſi ſtipendiario exerci-
tu caruimus, Caſtrenſis ſeruitÿ turbas, & hinc enatas Confœ-
derationes militares ignorauimus. Inauditum olim, vti per-
peràm, ac per vim parte altera renuente, intruderetur Regna-
turus; nullus ſupererat metus, ne diſcordem Poloniã vicini inter
ſe partirentur: quæ nunc mala certò certiùs (vtinam ſim fal-
ſus vates) imminent, ac metuendum ſit, ne ſine Electione tali
deueniat Resp: in direptionem gentium. Moſchus Coſacuſq́, ad
ſui idiomatis gentes ſeſe indicent, quin & Mag: Lith: Ducatũ
ſibi deſtinabunt. Maioris Poloniæ confinia Brandeburgico pa-
tebunt, imò ne de Pruſſia quoq́, vel pactis, vel armis, in theatro
noſtro digladiari præſumat, metuendum. Neq́, domus Auſtria-
ca in ea direptione oportunitatem intermiſſura videtur, Cra-
couiam reſpiciens: mallente vno quoq́ Vicinorũ armis quæſitam
obtinere Poloniæ partem, quàm integrũ expectare Regnum, anti-
quis immunitatibus contra Principes tutum. Etiam quis ſpõ-
ſor, Exercitus noſtros, aut alias partes in Rep: facturos, aut
potioribus acceſſuros, vt rapientibus poſſeſſio Regni addicatur.
Accedit nouus in Rep: ſtatus Coſacorum, quibus vt nullus
me Regnante ad Remp: acceſſus, ſic in turbido Interregni lice-
rent omnia. Perpendite itaq́ Poloni altiùs, Electionem hanc
niſi me viuente liberam inſtitui poſſe, nec ſibi imponatis antiqui
moris amore, ſtylum & genium Orbe vniuerſo mutante. Ac-
cipitote grati, nouiſſimum hunc Paterni affectus mei conatũ, vo-
biſq́ & poſteris veſtris conſulite, eam Electionem ad meliora tem-
pora haud differendo; nam felicitas hæc temporum deriuatur
ab ipſo actu eligendi, protinùs expedito: Labaſcet eo facto ani-
mus,*

mus, & nocendi vis omnibus Patriæ huius minus amicis, vbi 1661.
*viderint firmiſſimis aduersùm imminẽtia fulcris & munimentis
circũdatos. Si differtis periculum ex mora imminet, quippe ego
ne pro vna hora vitæ meæ in poſt trahenda ſpondere auſim; exi-
lis valetudinis conſcius, & annis in nouiſſima inclinantibus. Fi-
nio Ter Opt: Max: precatus, vti eam det Fidd: Vris: mentem vt
ſincera hæc & ab omni reſpectu ſemota intentio mea, in cordibus
bonorum Ciuium reperire valeat debitæ gratitudinis fundamẽ-
tum, vnde mox emanaret publicæ vtilitatis fructus: pro cer-
tiſſimo tenens, quod affectus is corroborabit erga me animos Gẽ-
tis fidiſſimæ, in obſequio ac fide ad extrema vitæ meæ, exemplo
Maiorum ſuorum conſtantiſſimè retinendæ.* Talia meliori
animo quàm ſuggeſtione dum profert Rex, imbui opinio-
nibus facilis, miro Ordines defixi hæsêre ſilentio, ſeu dicẽ-
tis Maieſtatis reuerentiâ, ſeu conſideratione finiti non ſine
lachrymis ſermonis, velut miſeraretur. Multos viciſsim af-
fectu moueri conſtitit; cur enim ſubſtitui, in regimen ali-
um vellet, ipſe vigens & valens? & tunc melior, vbi vtriuſq́;
fortunæ experimẽtis animũ obfirmaſſet, etiã fortibus cõſilijs
& regnandi uſu? cur adeo, non tam conſortem Regnandi
quàm æmulum dari cuperet, inſociabili duorum imperio?
nec aduertens, minus expedire ſcindi in diuerſum populi
ſtudia, qui pro innata mobilitate, ſatius ad Orientem quàm
Occidentem Solem verteretur. Alij Legum reuerentiam,
& Principis deſiderium expendebant; credebant alij pro-
poſito deceſſurum, ſi modo animos ſuorum non vſq́; obſti-
natos cerneret; complures Principis voluntati obſequen-
dum clamitabant, inutili legum adiutorio, quæ ſimul cum
totâ Rep: Interregni mala inuoluerent. Sequenti luce vbi *Circumſcriptio Candidati.*
ſeſsio cæpit, iterum Cancellarius Regni ſat prolixè ad pro-
poſitam materiam argumentatus, adijciebat in ſcripto plu-
ribus communicato, Canones ſeu Regulas, quibus Electo-
ris populi circumſcribens arbitrium, non tam optimum
quemq; aut Regno vtilem, quàm hunc ſolum, & non aliũ,
ſibi placitum monſtraret. Vnde cauilli & ſcommata pro-

 mana-

1661. manabant, in exhibentes Candidatum sic circumscriptum, velut prius ictu parietem ferirent, dehinc metam, à scopo nunquam deuij, designarent. Inseram memoriæ causâ. Pro primo requisito positum; *vt nonnisi Catholicus eligeretur;* quasi vero in Regno Orthodoxo diadema exlex per cuiusuis Religionis capita volitaret, aut metus subesset, ne à decrescente per Regnum hæresi, heterodoxus vi intruderetur. *Ne caput coronatum esset.* Quis ille tandem? Imp: Rom: in eam spem vocatus fastidit? Rex Catholicus XIII. Regnorum Dominus, haud ambit: Christianissimus neutiquam aspirat? Moschum ipsi reiecimus, Anglum, Danum, Suecum difformis religio è tabula submouet; plures Coronatos Europa non habet, nisi transcendere in Asiam aut Africam mauis, isthic coronatum vti requiris caput reperturus. *Ne formidolosus nobis sua, aut vicina potentia existat.* Ergo non Regem quæris dum arma amoues, sed trossulum aliquem paranymphum, aut exermem optas Maiestatem, qualis apum Rex sine aculeo. *Ne ex ea stirpe descendat, quæ vnquam nobiscum belligerauit.* Euolue historias, nullam gentem in circuitu reperies, quæ non vnquam manum nobiscum conseruerit, aut nos cum illa. *Ex gente amica eligendum, cum detur genti in gentem naturale odium.* Imò magis introspice, ne antipathia status præualeat, quippe in absoluto dominio natus, ægrè potest ad amandam libertatem asuefieri. *Eum adoptare expedit, quem nos, non qui nos vult.* Non ambientem vocare superfluum, reluctantem trahere, non ex dignitate. *Artes belli callentem, aut saltem ad eas inclinatum.* Si ad bellum vocamus, tardè eas addiscet: si ad pacē, nimiū cito: at, si legibus armatus ad Remp: accesserit. *Non senem, non puerum, ne tamen patiatur socium.* Væ Regno, cuius Rex in cunis vagit, aut de ponte deiectus plorat, hunc sodes de nomine propone, cuius in consilio valeat sensus, in certamine dextra. *Vicinis Principibus concordem & nummosum,* benè iunxisti concordiam & opulentiam, nam & Fæderati Belgij Ordines vnciali-

cialibus nummis prudenter imprimunt. *Concordiâ res paruæ crescunt;* vtilis gnome, opes tranquillitati publicæ iungere. *Vti maris potens, in commodum Reip: nauigatione vtatur.* Cygnum aratro illigas, Campestris Populi Regem nauigationi. Flumina retrorsum conuerti necesse est, vbi Poloni fabricant Naues, sulcant æquora, & ab equestri vocatione ad nauticam transeunt. Euxini ab Oriente potentes, ab Occidente Balthici littoris, prospiciunt tantùm in maria nec adeunt, & commercia mittunt per alios, ne solùm salo permutare videantur. Ast de his sat. 1661.

Sermone Regis expenso, maxima inter cunctos solicitudo oriebatur, nouitatem rei & proponentis placita, anxiè expendentes. Sacer Ordo pro primatu quem obtinet, sententiam ante alios requisitus, haut discrepanter dixit, Electionem sibi probari: seu, quod posterorum exsors, collati à quo accepisset beneficij, videri malit in præsens gratus, quam in futurum Libertati solicitus; seu, quòd immunitates Ecclesiæ in nonnullis cum Libertate Politica controuertant, filialiter tamen & modo tolerabili. Eadem sæcularium è Senatu per absentiam aut silentium conniuentia, donec Andreas Maximilianus Fredro Castellanus Leopoliensis, dudum non minus eruditione ac facundiâ, quàm nunc notabili in Patriam amore memorandus, ex ordine sensum aperiens. Dolere sibi dixit, Regem Serenissimum partiri id velle, quod ab æuo inseparabile foret, scilicet diadema Polonum vni capiti à Rep: collatum. Quippe, vt cælum geminos Soles, sic Regnum duos Reges non capit, nec aliter imperandi constare rationem, nisi vni reddatur. Indiuidua singularitas hæc, consortem adeò non recipit, vt etiam inter Patrem Filiumq; Iura naturæ scindat, infallibili diuortio. Quòd præter vetera, ab exemplo Philippi III. Hispaniarū Regis deducebat: cui, cum Cancellarius refricaret memoriâ diem, quâ Carolus V. ipsi tot Regnorū regimine decessisset, respondit Rex, cras ipsum pænituisse. Multa addebat demissè præcatus Regem, ne his nouitatibus con- Castell: Leopoliensis se opponit.

1661. consarcinatam vtcunq; Patriæ tranquillitatem conuellere pateretur: deniq; conclusit. *Legum iudicio standum, quibus integris errare se malle, quàm conuulsis sapuisse.* Sequebantur Equestris Ordinis vota, quas Declarationes vocant, mira item uti inter præoccupatos hæsitatione: hinc aliqui, declinare suffragium visi, nè, dum ex commisso mittentium loquuntur, alterius partis offensam incurrerent. Reperti nihilominus, qui pro veteri more pro Rep: sententiam dicerent. Ante alios Stephanus Ledichowski Cremenecensis Succamerarius, reproducto Instructionis suæ ex Comitijs Particularibus Instrumento, propositæ materiæ intercessit, pluribus demonstrans, Electionem viuente Principe instituendam, confusionis ac Schysmatum in Rep: fontem fore, imò libertatis ac æqualitatis perniciem, vbi scissis Eligentium animis, inferior suffragijs pars, seu deterior votis, meliores superabit, ad quam se authoritas in præsens Regnantis acclinauerit. Aderat secundarius Leualt Powalski Podoliensis Nuntius, Legum peritiâ & eloquio valens, (quod patuit in nobili illo cum Patronis Causarum in Tribunali litigio, cæpto nec finito) inferebatq; eiusmodi Electione fundamentales Regni Leges conuelli, Statum Regium eneruari, æqualitatem labefactari, confidentiam inter Status tolli, populum contra optimum Principem ingratitudinis argui, aliaq; dum non infacundè memorat, auditus attentissimè: ast dum transactionem Częstochoviensem exprobrans, autographum subscribentium tanquam legi præiudiciosum exhibere in publico vrget, eiusq; criminis conscios ad pœnas deposcit, interpellatus ab acclamantibus fuit, velut extra orbitam actiuitatis suæ ad impertinentia delaberetur. Satis pro causa erat vel duos reperiri, qui verū efferrēt, quippe fracta sic glacie apparebat, plures negare silendo. Sic negotium fiduciâ cooperantium pro semiperfecto creditum, nullo effectu euanescere cæpit: dolenter accipiente Aula, Principis autoritatem optima volentis sperni, paucis ab extrema Tribu salutaria consilia interuertentibus.

Etiam plerisq; Nunciorū

Versa

Versa dein ad alias materias Ordinum studia; Pacta cum Regno Sueciæ, Oliuæ inita vnanimi consensu approbata, ac legum codici inserta fuêre; quæ ad calcem ponere percuperem, si modo excrescentis operis moles pateretur. Etiam Hadziacensia cum Cosacis compositio confirmatur. Radomiensis Præfectus Podlodowski, ad Portam Ottomanicam; Szmelingus item Szmeltinensis ad Crimensem Hanum, iuêre legati: Commissarij in pleniore numero, ad tractatus Moschouiticos, id requirente Mag: Duce assignati, &c. Sic demum finiêre Comitia, non in totum expuncta, interni dissidij causâ, ac consepulta sub cinere scintilla, in atrox mox incendium eruptura. 1661.

Quippe vix perfunctum curis Comitialibus Regem, haud minor excepit solicitudo, acceptis subinde à Vladislao Wilczkowski Wisnensi Præfecto (is tantisper regendo Exercitui impositus erat) significatorijs literis; palam & passim fremere milites, quod nulla sui in Comitijs ratio habita foret, ac propè esse, vt excusso obsequio, rursus cohortes in Nexū seu Confœderatione coalescerent: iretur proin obuiā, monebat, numerarenturq; pecuniæ, quâ non nisi machinâ, cōsurgens factio disijci posset. In leui primò habita nouella, adscriptaq; præmonitio ostentanti sedulitatem Wilczkouio; cum ecce in continenti adsunt alij, & insperato omnium cohortium consensu coalitum Nexum nuntiant. electo cætus directore Samuele Swiderski, Constantini Ducis Wisniowecij Optione, repudiatisq; Tribunis ac vetere Magistratu Castrorum, quos priore Nexu rebus priuatis studuisse compererant, alios per suffragia manipularium præficiebant, nempe selectos XII. ex cohortium potioribus Consiliarios: additi his Iudices, Causarum auditores, expediendis reuisionibus Commissarij; haud in longum durabili officio, cum & Ioannem Broniowski in secundas regiminis militaris partes vocatum, ob aliquam suspicionem aut displicentiam, loco amouissent; suffecto Paulo Borzecki Marchionis Myszkouij Signifero, Substitutum appellantes;

Milites turbant Nexum conflādo.

 tamq;

1661. tamq; mira celeritate res illaudati exempli succedebat, vti vniversus Exercitus iunctim nomina daret, imò strictissimo Iureiurando in manu tenendũ Nexum, donec satisfit, colligaretur. Erigebat sine dubio animos, anteactorum memoriâ, similes turbas sub directione Iaskolscij, partim solutione, partim Ordinum conniuentiâ sopitas, impunè abijsse: imò verò præmiatis qui concitarant secessum capitibus. ac ita dum occurrit impunitatis exemplum, etiam respondere euentum ominati, noxio fædere Remp: inuoluebant. Regijs moniti literis, vt resipiscerent, per Euaristum Bełżecki Wyszogrodensem Præfectum, modestè in primo limine responderant, susceptum à se Nexum tantùm ideo excusantes, quod Ducibus, stipendio, hybernis destituti essent; ac ne pacem à bellis externis nactæ Reip: fortè iam inutiles, cum iniuria sine solutione exautorarentur, dum adhuc vulnera in bellis accepta persanant farciuntq; oblata missione: proin eo modo consulere sibi ad recipienda facilius stipendia, efficacioribus in vnum corpus congregatorum precibus, quàm illæ erant, quas Cohortium Deputati per quadriennium ad aures suæ Maiestatis nullo effectu detulissent. Quòd, si in retento debito satisfit, etiam obsequium in integro mansurum, ac ingruente vndecunq; necessitate expedire arma iussi, alacriter communis Patriæ incolumitati ex mandato Serenissimi inuigilaturos. Hinc facilè sopiendum motum credidêre pleriq;, vbi pro solis stipendijs contumaces, non in totum aduersum imperia obduruisse simulant: imo verò, vt Nexus insurgeret, nonnullis in Aula censentibus, quo demum emergente quarto Ordine, inflexibilitas contradicentium Electioni inclinari posset. Nec inutilis Fæderi sub initium modestia fuit, donec adolescunt consilia, aut confirmantur vires; à principio in tantùm contemptui habita gliscente seditione, vti in Aula dicterium enasceretur. *Parùm aut nihil ea terebra* (ad Swiderscij vocabulum alludendo) *perforari posse.* Verùm prudentiores, non perfunctorij motus indicium censebant, dum isti lentè incipientes, valida causæ præsidia circumdarent, duobus vel maximè fulcris innixi; nempe persuasione æquitatis, & sua multitudine securi. Ac primò, Lublinum ex gremio sui delegauerant, qui, in Tribunali Regni, fidem in Patriam ac Principem integerrimam contestati, pro suscepto Nexu modestè, & intuitu solius debiti, pro iniurijs Fisci acerbius querebantur; à quo, velut parum esset deseruitis stipendijs priuari, etiam recens emanasse ex Cancellaria Maiori literas Vniuersales, quibus sancitæ in Comitijs Exactiones, cum præiudicio aliter disponentis legis, nouis Delectibus addicerentur &c. &c. Talia vti æquitati consona Iudicibus in Tribunali haud reijcere visum, non infimam laudẽ eius subsellij fore existimantibus, si quod in priuatarum litium decisione exercerent officium, ad sedandum perniciosum in Rep: Nexum, ampliori merito transtulissent. Itaq;, missi, Paulinus Vszyński Archidiaconus Luceoriensis, ac Christophorus Rupniowski Tribunus Cracouiensis è gremio Iudicij, pergentem iam in Lithuaniam Regem consecuti, haud pro dignitate, & spe mittentium accepti sunt; exprobrato inconuenienti, à Tribunali Regni, amplissimo æquitatis Areopago perduellibus patrocinari, & Iustitiæ Præsides delinquentium causam agere.

His interim dilationibus inualescebat Nexus, cum non modo Velites, & militarium vt quisq; de tribu leui, sed Flos & robur Exercitus, illudq; belli fulmen Hastatorum cohortes se se illigarent, pertingente ad vsq; Ducum signa contagio. Accesserat & Holsaticus miles, quem anteriori bruma circa Pripecium ac Horynium sub curâ Francisci Czarnkouij Osiecensis Præfecti, locauerat in hybernis Czarnecius. Nec aliorum consensum moratæ pedestres legiones, & quidquid sub diuersis vocabulis habitu ac more Germanico apud nos militat; vt qui Cudnouiensi bello planè disparuerant ordines, iam nunc Cadmæa seges suppleretur copiosè. Sed nihil magis vires ac fiduciam Confæderati militis auxit, quàm eo ipso tempore, paribus momentis & consilijs, nec appel-

Nexus insurgit.

1661. appellatione diſsimili, Lithanicum Exercitum fæderari:
non imperia rigorq; Sapiehæ Ducis, non admonitiones
Regiæ ac pollicita, etiam opportuna largitio, quæq; aliæ
militare vulgus mulcendi artes, valuêre; renuntiato obſe-
quio, inter ſe horribilis carminis iuramento nectuntur, de-
liguntq;, ne ſine capite eſſent Mareſchallum, Caſimirum
Chwalibog Zyromſki, ſub Haſtatorum ſignis diu ante me-
ritum; adiunctis, qui conſilijs non tantùm adeſſent, ſed
intima quæq; animorum ſcrutarentur. Vt verò huius
Nexus cruenta ligamina exſtiterant, vt cæſi Ducis ſui Ga-
ſieuij ſanguine imbuiſſent manus, eundemq; ipſum Zy-
romſcium caput & cætus Directorem, globis diſcerptum
necaſſent, nunc per tranſennam attingens, conſequenti an-
norum ſeriei relinquo: vtinam verò & ſtylus & pagina de-
eſſet, ne talia ex ordine referens, maculoſum exuti obſequij
nefas, ſæculo & genti exprobrare videar.

Caſimirus in Lithuaniā. At verò Regi, tàm anterius odium quàm recentem mo-
tum, non facilius ſedare poſſe viſum, quàm ſi in expeditio-
nem protinus mouens, exutumq; obſequium præſentiâ
Maieſtatis ad veterem orbitam reducens, à diuturno ab-
ſtractum otio militem, deſueſcere turbis opere belli adi-
geret: ſperans futurum vel ipſa propudij nota, vbi videre &
aſpici datur, Exercitum ab eo Nexu revocandum: vt, qui
tanto temporis interuallo, vel ſola promittentis ſatisfactio-
nem Principis voce, deliniri potuiſſet. Iam verò flagran-
tis diſgratiæ æſtus in Duces recidebat, velut ipſorum incu-
riâ ſtetiſſet, dum hymenæi tædas importunè agitant, è
contempta motus militaris ſcintilla, Patriam aduri; ſi
non inſtinctu, certè conniuentiâ. Proin, mandabat per
literas, tàm ex omiſſo quàm commiſſo, res peſsimè inclina-
tas emendarent, diſruptiſq; inauſpicati Nexus ligaminibus,
tendenti ſibi contra Moſchos, non ſine Exercitu, ſe Duces
ſiſterent. Breuis dehinc mora, cum abſoluto Varſauiæ
bellico conſilio, Rex Caſimirus profectionem in Lithua-
niam inſtituit; etiam per Vniuerſales literas ad Exercitum

Con-

Confæderatum datas, digreſſum ſuum contra Moſchos 1661.
nuntiabat, iubens vti exemplo Maiorum, expoſitam caſi-
bus belli Maieſtatem deſerere milites nollent, ſuadenti pro-
pior, aliaq; ſubiungendo quæ ſimul exprobrarent delictum,
& emollirent ferociam.

Ipſi interea ad latus Stephanus Czárnecki Ruſsiæ, Sa- *Cuius Virium exilium.*
pieha Wilnenſis &c. Palatini; ex militaribus trium Mill:
commilitio ſepti; etſi adeſſent complures veterani Tribuni,
Ordinumq; Ductores, inter alios Ludouicus Niezabyto-
wſki Præfectus Lublinenſis, olim Palatini commilito, iam
nunc æmulus, dum egregiam Haſtatorũ cohortem ſub titu-
lo Regis merentem conducit, quando vetus altera dudum
ſub regimine Czarnecij exiſtens, ad operationes belli ſequi
Principem omiſiſſet. Reliquus comitatus Togatis ferè con-
ſtabat; ægrè ferentibus iſtis, veterana conſilia ſua, & tot an-
norum effectu probatam experientiam, à leui militarium
turbâ ſuperari, imò irritam reddi, & euaneſcere. Hinc,
quo non otioſos ſpectatores eius ſe belli monſtrarent, ſeptem
fermè cohortes ex nouis delectibus conſarcinarânt, nudita-
ti circa latus tantorum nuper Exercitûum Imperatoris, ob-
tegendæ. Non tamen Rex ſpem abiecit, aut propoſitum
mutauit, vti viribus impar greſſum ſiſteret, imoverò accele-
rato itinere Grodnam veniens, eandem à dedentibus Mo-
ſchis recepit, qui haud exſpectato Exercitus Regij aduentu,
ſolâ nominis famâ exterriti, commodo ſitu arcem, ad
Niemen fl: ripas Denhoffio tradiderant. Admodum reſi-
ſtendo impares tunc hoſti vires, ac fractum Moſchorum
robur apparebat, niſi interna Poloniæ mala in opitulum pe-
rituræ gentis iratum cælum vertiſſet. Et in horas aſſecuti
Regem ex Polonia Nuntij, nihil ſolatij adferebant: cum
Colligatus Swiderſcij Exercitus, exhibere ſe ad opus belli a-
pertè renueret, donec ſtipendia in totum exoluta manent;
imoverò, vti Leopolim ad numerandas pecunias Deputatos
mitterent, à Rege moniti: tranato Viſtula in meditulliũ Re-
gni retrò flexerunt, ac in totum neglecto, vti Principem ſe-

Sss que-

1661. querentur, Reſcripto; condendis interea pro ſe legibus, aut inſtituendis conciliabulis ſatius intendebant; vt, quibus iam circa Boryſthenis ripas, aut Smolenſcij mænia conſiſtere ex militaris officij ratione competeret, ij, proh nefas! recenſendis tàm Regalium quàm Spiritualium bonorum reditibus, per populoſiora oppida deſides agerent; imoverò profani hoſpites, deſtinata Præſulum habitationi Palatia (vti Kielcijs factum) ſcandaloſo exemplo inuolarent.

Moſchi ſe recolligunt. Moſchi, ſub hæc, turbis noſtris reualeſcebant, inſurgebatq; tot cladibus depreſſa audacia, vti Regias vires acciſas comperientes, vndecunq; copias in occurſum expedirent: præcipuè Chowanſki non obſcurum tot acceptis plagis nomen, ſuos apud Smolenſcum recolligebat, nactus in conſortium imperij laboriſq; Naſzczokinum, qui vti Palatij alumnus, flexibilior promptam in extrema Collegæ ferociam, opportuna lentitudine cohiberet. Viginti Millia computabantur, etſi ex numeroſis arcium præſidijs Exercitum vndecunq; augere poſſent, loco in omnem caſum ſecuri. Apud Lithuanos, donec obſequium durauit, Michael Iudicki Tribunus Rzeczycenſis, ex mandato Sapiehæ cohortibus præerat, vbi conflato Nexu, in Zyromſcium translata imperij authoritas, abſceſſerat cum honore relegatus; vel ob characteris militaris venerationem, quod Melitenſis Eques, & nuper Lachowicze arcem ſtrenuè defenderat; vel quia virum inſignem obligare beneuolentia, quàm inhonorata miſsione inimicum facere mallent. Crimenſis quinetiam Hanus, expeditis ſuorum cum Sultan Galga, in Vkraynam Quadraginta Millibus, per crebros Regem Nuntios, vti Moſchum quantocius aggrederetur, ſolicitabat: etiam literis Suiderſcium ad opus belli compellans, & pro ingenio ſuo militaribus viris exprobrans deſidiam. Quod idem Chmielnicius, non ſine manifeſta, quòd Coſacus ſolicitaret, ignominiâ præſtitit. Ad tantorum certè Exercituum ſtrepitum, quis non actum de Moſcho exiſtimaret, in excidium gentis inuiſæ Tauricæ ac Vkraynæ viribus coniuratis, & ſi modo

modo Polonus ſimile quid præſtaret, ad vaſti Septemtrionis exequias properantibus. 1661. Aſt ludit in humanis conſilijs æternum Numen, multi in ſcopulo portum, in naufragio vitam, in clade inuenêre præſidium: niſi victi fuiſſent Moſchi, perijſſent; quia ijſdem viribus ſubigi Poloniam fatale erat, dum externum hoſtem domeſtico mutamus, & inhibitam à peregrino ferro plagam, à propria manu patimur. Conſternatio hoſtis ex multis indicijs patuit, ex eo vel maximè, quòd Mohilouiæ (quæ populoſa ad Boryſthenem Lithuaniæ Ciuitas eſt) ſeu hoſtile iugum municipibus peroſis, ſeu laudabili facinore veniam præteritorum conciliare volentibus, bis mille capitum Præſidium, partim excluſêre *Mohilouia exacta Moſchis.* vrbe per induſtriam, partim vi inſperata concidêre, ea vltionis acerbitate, vt ne ſequiori quidē ſexui pepercerint. Idq; eo modo. Eam Vrbem præſidio inſeſſam, vti mercatui opportunam extulerant Moſchi, hîc inſtituto commerciorum emporio: ſimul afflixerunt inopiâ, dum ſenſim melioris notæ nummos ſubducentes, cupreos in vſum præſentem ſubſtituunt; inaduertenter noxij, dum res promercales intrò currenti moneta veneunt, & inhibetur efferri aurum, vbi cum extraneis negotiandum eſſet. Ad hæc conſiderantes, nondũ ſe potituros loco, ex delubris pretioſa quæq; ad ſe tranſtulerant, velut conſeruaturi: quæ demum ſacrarum rerum ſubductio, alijs prætenſa iniurijs, vindicias commouit, vti in vltionem inflammati Ciues, delendos Moſchos coniurauerint, quorum violentas manus, ne templa quidem ſecura effugere poſſent. Vt patrando facinori condictum tempus, enimuerò municipes in diuerſa extra Vrbem ad conuehendos commeatus digreſsi, inſperato recurrebant, tumultu & clamoribus complentes omnia, ſocioſq; cæſos vel captos ſimulantes, dum in prædijs ſecuri, à benè magno Polonorum agmine inermes deprehenduntur. Ad quæ Moſchi, ſupra præſentem fortunam veteribus amicis fidentes, portis in hoſtem prorumpunt, aſt reductis mox portarum clauſtris, à vallo impetiti, hoſtiliter tractantur: reliqui,

1661. præcluſo exitu, in vicis aut compitis confodiuntur, aut per ſingulas ædes conquiſiti captiuantur, detinenturq́; ; Nongentis Octuaginta ſex viuis in poteſtatem venientibus, cum Præſidij Præfecto, ac altero non obſcuri nominis Palatino. Quod vti in gratiam Patriæ factum, Vrbi in gloriam ceſsit; laudatiſq́; ex memorabili facto Ciuibus, confirmatæ in Comitijs municipales prærogatiuæ, addita veteribus noua Priuilegia, quouè gratitudinis exemplum illiceret alios, ab omni Contributionum genere ad Sexennium exempti ſunt.

Vilnam Caſimirus pergit. Poſt receptam Arcem Grodnêſem, Vilnam à Rege directum iter, quam ferè duo Millia Moſchorum ſeruabant, demum ſpatioſæ Vrbi ac longè lateq́; diffuſæ, haud pares propugnandæ, in arcem ſe, delatâ aduentus regij notitiâ recepere: vnde accelerandæ profectionis ſtudium Caſimiro inarſit, conſtanti tàm transfugarum quàm captiuorum relatione, præſidia ex cunctis Arcibus in vnum à Chowanſcio deduci, vti comperta in præſens regiarum virium exilitatè, de ſumma rei commiſſo prælio decerneret. Vbi in concilium militare res deducta, plùs animi & alacritatis ſupereſſe apparuit, quàm virium; vnde inſtanter per delegatos Proceres, cum Confæderato milite actum, quominus imparem hoſtium viribus Maieſtatem in bellum comitarentur, tunc enimuerò Orbi mõſtraturus fidem Lithuanis erga Principem inconcuſſam manere, & dum aſsiſtunt indiuulſi, vel ipſis qui eandem iactarent Polonis, potiorem eſſe. Talibus nonnihil ſuaſi inclinauêre quidem, vt quantociùs ſub ductu Zyromſcij viam armis ſubſequenti Regi aperientes prægrederentur; aſt dum in concione militari Hołdakowſki Turmæ *Intermiſites turba.* Ductor, recenti indignatione flagrantes animos, commonens irritat, vt eiurato Nexu, legitima Regis Duciſq́; reſumerent imperia, concitato à multitudine tumultu interimitur, nonnullis alijs, qui inhiberent vel exprobrarent factum, eadem vehementia violatis. Res peſsimi exempli viſa, antequam hoſtili ſuorum reſpergi ſanguine, aſt temporis ratio diſsimulandum crimen coëgit, quando vana ſeueritatis tenta-

tentamenta, & ſub latere hoſtis neceſſaria conniuentia foret. Itaq́; laudabiliore actu atrox facinus reparaturi, ſub Ductu Mareſchalci ſui, ſigna Połockum verſùs expediuêre; quippe iſthuc Chowanſcius acceleratis itineribus penetrauerat, recipiendis promptiùs à Seueria Czerniechouiaq́; auxilijs. Quæ, dum ſibi adiungit, præmiſerat inante ſex Millium agmen, Ductore Połwichtow, quominus occupato Dźieſznæ amnis traiectu, dum tutiorem pergentibus auxilijs viam aperit, in accelerandum iter impelleret. 1661. Quod, vt Lithuanis cognitum, per nota viarum compendia apud Dołhinum hoſtes aſſecuti, ac egregio ab vtrinq́; feruore congreſsi, fractos diſsipant, & vincunt: cum Moſchi rem obiter tranſigendam rati, fortiter primò pugnam capeſſerent, dein comperto robur Equitatus Lithuanici adeſſe, & ſequi peditem cum machinis, animum deſpondentes, in fugam ſparſim abirent; alij vorticoſo flumini vitam committentes, alij in ſaltus ac vicina nemora illapſi, ab inedia mox aut agreſtibus enecati, potior pars ferro Lithuanorum occubuerit: adeo immiti victorum genio, vt in cæſorum commilitonum vltionem, etiam dedititios vel captiuos, vt conſecuti, paſsim iugularent. Ductor agminis, fortuitum lintrem nactus, amne euaſit; qui dein Bychouiæ à Præfecto Præſidij ſtrictiore ſequeſtro prehenſus, ac ob rem malè geſtam in compedes datus fuerat. *Moſchi funauntur.*

Nuntiata Victoria, extulit animum Regis maiora fatagentis, vnde iam feruore ſuorum, iam hoſtium confuſione vſurus, quidquid circa latus cohortium, cum Palatino Ruſsiæ hoſtê verſùs expedit; ipſe, ne non in loco maneret, diu reluctatus, & vix rationibus Czarnecij ſuaſus, aſſerentis, non modò duplicari eo modo vires Regias, vbi abſente eo alterius Exercitus ſpecies manet, verùm etiam augeri in hoſte formidinem, ægrè acquieuit: cum reuera non inanis ſubeſſet metus, potentiâ Moſchorum increſcente, imparem viribus Regem diſcrimini ſubſtituere, & ad detrectantes imperium venire milites, vilipendium eſſet Maieſtatis. Czar- *Rex proſequitur victoriã.*

necius

1661. necius itaq; cum nocturno itinere ad Lithuanos peruasisset, æquè delictum initi Nexus, quàm obtentæ victoriæ meritũ subticens, protinus bipartito agmine in hostem tetendit, iam tunc coactis in vnum viribus, apud Glembokie, tractus Polocensis oppidum, subsistentem. Impiger sæpè alias Dux, etiam tunc ingruente brumâ in opus incitatior egit, quippe ineunte Nouembre, sæuum pruinis ac frigoribus cælum, quantocius defungi bello vrgebat, commeatuûm defectu haud mitiore, per oram penitus exhaustam, & quâ concursu Exercituum exacto anno vexata, in hyemem inferre semina solo non licuerat. Die sexta Nouembris, præmoniti à transfuga nostri consilium Chowanscio sedisse, vbi Regem in persona adesse cognoscit, retrò se Polockum recipere velle, ibiq; veteribus Castris tutum, in experimentum tantum vires oppositurum, quas emittere vel reducere intra valla ex præsenti vsu posset, nec aliter iussum, allatis recens Moscopoli mandatis: proin Lithuani tamdiu morati, donec Czarnecius adest, veniente illo aciem Castris hostium admouent, cuius læuum cornu Zyromscius cum Confæderato milite, læuum Wiazenia Præfecti Samogitiæ Optio, cum Sapiehanis, Corpus (vt vocant) seu aciei medium, Russiæ Palatinus ipse disponendum susceperat. Contra viginti (alij XVIII.) millia Moschorum extra valla effusi, grandi lacu in hemicycli formam tergum Castrorum ambiente, & præter operum moles circumpositas, facilis ex flumine subtus Castra prolabente aquatio habebatur. Itaq; Chowanscius districtum in iugulo hærere Lithuanum conspiciens, casumq; satiùs quàm moram pati docilis, in certamen disponit suos, frequentibusq; machinis fidens, robur legionum producit in occursum. Pertædebat credo vicissitudinis rerum Ducem sæpius infelicem, vt qui ob tot acceptas clades, perditosq; Exercitus, tàm ingratijs Mag. Ducis, quã populi Moschouitici, necessitudines suas infaustis prælijs deletas requirentis, palam & passim diris deuoueretur. Ergo in prælium ardens, sortis mutabilitatem animo voluit, mor-

Ad Glembokie acies occurrunt.

mor-

mortem fugâ potiorem suis demonstrat, & comperto ex captiuis abesse Casimirum, tàm animum resumit ipse, quàm addit alijs; præsertim fauente primis cæptis fortunâ, vbi sub initium certaminis dextrum Lithuanorum cornu, acriter inuecti Moschi conturbassent. Siquidem ab exhalatione palustri sudum aëris obfuscans nebula, dum prospectũ in opposita impedit, causauerat, vt accelerantes nostri, in Moschorum Legiones prælio iam accinctas impingerent, & priùs sustinere vim, præcipuè iactu telorum turbati, quàm exerere ferrum potuerint. Vnde confusis ordinibus, alæ eius extrema, in recessum conuertere oportuit, non sine omnium periculo, & aliquorum cæde: quippè primò congressu non instrenui Ductoris functus officio Wiazenia, veteranus belli sternitur, etiam Sczygielski Radivilli Ducis Castellani Vilnensis Optio, cum plerisq; commilitonum cecidêre. Ast melior sors leuo cornu Zyromscij fuit, qui nactus antagonistam Nasczokinum, facilè sub Togato Duce pepulit Equitem, protinus tergum donec succurrit pedes, respicientem. Tumdemum & Czarnecius cum intermedia acie ingruit, ac post reciprocatos aliquandiù è machinis ictus, infestis legiones cuspidibus se petunt, globisq; ordine excussis in aduersos iaculantur, in neutram partem diu inclinante victoriâ: ac, vt militari vocabulo proferam, donec primus elassatur ignis, Moschis pertinaciter restitantibus. Ast, postquam maiore vi fracti succumbunt, vt quisq; in fugam signa deserendo ruit, ante alios Eques, quadrupedis sui celeritati fisus, pedestres legiones, certissimæ internecioni sparsim abiens, deserebat. Quorum sex Millia in vestigio cæsa sunt, intercidente cum insignioribus Polemarchis Douglassio Anglo, Roberti Douglassi apud Suecos Equitum Magistri ex fratre Nepote, qui & ipse exoticam militiam sectatus, à Rigensi expeditione, auspicia Magni Moschouiæ Ducis sequebatur. Septemdecem grandes æreæ, complures è corio machinæ, pulueris nitrati copia, vltra sex millia curruum omnigena annona refertorum, tum diuersimodi manubiæ, ac spo- 1661.

Conflictus pertinax.

Demum Victoria ex Moschis.

ac spo-

1661. ac spolia recepta sunt. Chowański gemino vulnere saucius, amisso filiorum altero, ægrè euasit; quem adeo propè casum fuisse constitit, vti crux è collo pendula, manu capientis ipso elapso tolleretur. Naszczokinus cladem præsentiens maturè se subduxit, quibus vtrisq; (vti rumor increbuerat) stricti Iuris Termino, dies dicta ad Mag: Ducem fuit, ob reddendas tot causatarum cladium rationes. Quotquot verò Moschorũ ex fuga superstites, Połoczkam repetiêre citissimè, etsi vix tria Millia incolumes euasisse, constans asseueratio captiuorum fuerit.

Vbi ad Regem de fuso hoste peruenit notitia, mox maturato itinere accurrit, non in totum autoribus consilij fauens, qui se, à tam præclari operis consortio, tutiora suadendo, seiunxissent. Nobilis sanè victoria, & quæ typho hostium pennas recidere, ac in intima Moschoniæ penetralia pandere ostium videretur. Hoc mirum, quod post tot fugatos Duces, Exercituvm strages, mortalium excidia, Prouinciarum vastitates, Moschi tamen eludunt Tractatus, fastidiuntq; Pacem, cui non sine iniuria succumbentis, a victore lex scribenda esset; maluntq; in tempus bello affligi, quàm pactione constringi; & postquam proprijs viribus in erigendam sortem destituuntur, malis nostris reualescunt, ac consurgunt à casu, in ipsa præcipitij meta hærentes. Creditum quippè, si vna parte Exercitus Poloni apertas ditiones hostium incursassent, alterâ Scythæ ac Cosaci vltra Borysthenem penetrarent, ad radicem arboris securim infallibiliter poni: nec tantùm auulsas Regno Prouincias, & inuasam nullo iure Vkraynam, Poloniæ hæreditatem recuperari; verùm & de toto Septemtrionis Imperio non infaustũ senionem iaci potuisse. Ast consilia æternæ Prouidentiæ abyssus multa? imo Euripus incomprehensibilis: qui nos satiùs immensitate sua capit, quàm nos illum; quid sibi parabola velit, olim expender posteritas. Deficiunt Moscho vires, ast quæ nobis supersunt, inutiles excussum obsequium reddit, hostem premit imminentis exitij metus, nos victo-

riarum

riarum successu afficimur, illum strages bello cæsorum torquent, nos à proprio ferro fundi sanguinem dolemus, distrahiq; Patriam Filiorum manibus, cui tot coniuratorum hostium vis haud nocuisset. 1661.

Neq; tantùm militares motus pro securitate Moschi faciebant, etiam apud Scythas subita rerum conuersio, ad idem cooperari visa. Turca siquidem concepto in Hanum Crimensem odio, velut Ottomanici imperij res, in Hungaria, non sat ex fide promouisset, Tauricano Principatu deturbârat, submisso altero, qui continendis in officio gentibus istis, frænum, in Cypro aut Rhodo, sæpiùs Constantinopoli pro obside fidei, immediatus successor retinetur. Vnde commotis in Taurica rebus, ac in exilium Mechmet Gierey Han acto, famosa illa Scytharum cum Cosacis in Moschouiam expeditio, intermitti ac euanescere debuit; exauctorato interea Hano rebus suis consulente, donec constanti subditorum fultus affectu, amissum recuperaret imperium, conciliato vtcunq; Turca, ac rursus permittente regimen, quod de plano adimere non posset.

Etiam in Taurica rerum mutatio.

Venienti ad Exercitum Regi consuetæ gratulationes occurrebant, certaminis pertinaciam, ac tardè inclinantis Victoriæ palmam extollente milite, vti iactaret meritum; & quæ alia in similibus vsurpari solent. Rex, vicissim Ductorum quemq; militumuè prompto aditu excipiebat, verbis ac gestu gratum animum testatus; vbi primùm Triumphorum autori Deo debita gratitudine semet exoluisset. Proin in genua cernuus, adgeniculantibus cunctis, *Te Deum laudamus* decantari voluit, Adriano Pikarski è Societate Iesv Ecclesiaste Regio, de obtenta victoria verba faciente; demum geminatus machinarum fragor solennitati triumphali adsonabat. Etiam Zyromscius cum Confæderato milite Regem salutauit, signa hostium captiuosq; reddens; ac velut pro separato membro ageret, muneris loco obtulit Regi, Imaginem D. Virginis Matris, Filiũ gremio gestantis, non ex subtili tantùm artificis penicillo perinsignẽ, sed etiã

Aduentus Regis & Triumphus.

 diuer-

1661. diuersis è meliore metallo anathematis exornatam: solitis Moschis non domi tantùm & in pace, verùmetiā sub transactiones belli, eiusmodi pios Icones circūferre. Alacer donum accepit Casimirus, plenusq; ex inde fiducia, mox ab ijs animos recepturum conciliatos, qui sibi Regem animorum, cum benignissima Matre traderent. Hinc diuersos nomine suo delegauerat, media conciliādorum pertentaturos; dein, ipse Castra ingressus, in tentorio *Zyromscij* prandium sumpsit, ac se credere, mediumq; inserere militi Confœderato haud dubitauit, vti fidem habens, confidentiam extorqueret. Ast, nihil tunc effectum, prolixarum tractationum ambages milite auersante, ac se ad Nexū ExercituūmPoloniæ referēte, mox defectū cōmeatus causati abscessēre: etiam Rex inde

Militarū pertinacia.

mouit, solicitus nimium, quòd tot documentis Regiæ benignitatis à cōtumaci milite spretis, nihil impetrari potuisset; cum motū sedare omninò expediret, tàm in præsens securitatis, quàm in posterum exempli causâ: Eamq; iam sedandi motus præceperat fiduciam, vt cursum victoriæ prosequi volens, cohortes alias ad irrumpendum in ditiones Moschi ordinaret, alijs sequi iussis Mohilouiam versùs profectionem destinaret: eo consilio, vti tranato Borysthene, Cosacorum Scytharumq; agminibus se iungeret, quos apud Pereaslauiam bello accinctos consistere, crebri nuntij adferebant. Ast, dum Lithanicus Nexus dispersisse hostem contentus, in citeriora Prouinciæ se recipit, vocatis Rex in consilium fidissimis, quid eo in passu agendum esset, mentem suorum explorat; vbi omnes quotquot aderant vnanimiter cōcludebant; reuerteretur in Patriam, neu in casum daret destitutam Exercitu Maiestatem: sæpiùs in venatione plurium comitatu septus, quàm nunc ad bellum traheret. Interea insessas per Lithuaniam arces ab hoste recuperandas, dein quoquo modo, vel indictis extra ordinem Comitijs, inter-

Casimiri regressus.

nos motus sopiendos. Sic demùm suasus, retrò mouit, nonnihil per viam lætus, vbi traditum sponte Homelium accepisset. Præmissus dein vilnam Czarnecius, etiam hìc non

malè

malè inclinatas res reperit, constrictis vndecunq; Moschis, 1661. & postquam Præfectus arcem tradendam abnueret, vinctus tandem deditusq; nostris, simul cum arce fuit: stipulato Præsidiarijs securo ad propria abitu, ac concessa exportatione rerum, quas tergo tollere possent. Præfectus (qui hìc cum capite simul nomen amisit) iudicio militari ad pœnam colli damnatus, ob intolerabilem sæuitiam rapinasq;, quibus circumiectam oram exercuerat: non modo in quemuis sexum promiscuè ferox, sed etiam in capulares senes infantesq; inhumanè truculētus. Is, dum ad supplicium ducitur, medio foro plectendus, vbi tot innocui sanguinis fuderat, breuem moram à lictoribus præcabatur, quâ concessâ, ad lapideam in quâ Rex Casimirus constiterat versùs, terna capitis inclinatione vacuas hospite ædes venerabatur; & postquam innotuit abesse Rem, *Quid (inquit) obstat, venerari locum, quem tantus Rex præsentiâ suâ consecrasset.*

Iam nonnisi Bychouia ac Kowno insessis, præhendebant Lithuaniam Moschi, cum exeunte anno Casimirus regressum in Regnum maturauit: solicitus nimiùm ob per-

De Nexu subiunctū

petim inualescentem militarem Nexum, qui Gordio nodo intricatior, tranquillitatem publicam, imò rationes Statûs, veteremq; Reip: formam plurimùm conturbabat. Tanti mali originem indagando, vnam censebant omnes, ex materia Electionis enatam cæpisse luem: ab ea quippe angor Regi, proposito eligendi Successoris indignè frustrari; Reginæ, desideria sua elusa impotenter ferentis, indignatio; Ciuium libertati metuentium suspitiones, Statuum inter se ex diffidentia collisio, Ærarij publici abusus & dispendiū; ob depressum monetæ valorem, in publicum detrimentum, vnde Exercitus satisfactionis exspes, quòd postulando recipere desperauit, fortiori medio duxit repetendum. Hinc in Nexum consensus, vti omnes simul exigerent, quod nuper Deputati cohortium sigillatim obtinere nequiissent. Itaq; conglobati in vnum, vt memoraui, aliquantum ad Vistulæ ripas velut hæsitabundi substiterant; ast breui in meditul-

lium

1661. lium Patriæ signa vertentes, consiliorum & Magistratus bellici sedem constituebant Kielcijs, *Colligatũ Sedes Kielcijs.* vbi olim ad Pastorales curas Episcopis Cracouiensibus habitum domicilium, iam tunc, post Trasimenum & Cannas, delecta Annibali nostro Capua fuit. Hic enimuerò circumspicere se se isti, ac vbi ad iustum molimen maturuisse vires cognoscunt, audacius per spatia temporis obloqui incipiebant, vltra retenta æra, præsentis Reip: Status, velut correcturi, apertè displicentiam prodentes. Certè Triginta Millia Virorum excedebant, gliscente per momenta numero, vnde esset delicto securitas, & tardior ex malo opere etiam bonorum pænitentiâ.

Nexus ambo ad inuicem colligantur. Nec leue virium additamentum Lithuanici Exercitus accessio, qui à latere Regis properanter subductus, per mutuos internuntios transegit, vti Regno cum Mag: Duc: Lithuaniæ, ita simili modo vtriq; Exercitui maneret conformis sensus, & militarium prætensionum vnio: in eumq; finem instituerant in oppido Końska Wola Lublinum propè congressum, vbi de asserenda mutua securitate, ac reciproco si discrimen immineret exhibẽdo auxilio agitatum; sub tremendum Missæ sacrificium, horribili eam societatem Juramento firmantibus: hinc Paulo Borzęcki Polonici, illinc Casimiro Nowacki Lithuanici Nexûum Substitutis, & qui alij ad id negotium ab vtroq; Exercitu in præsens, ex commisso adfuerant. Dein, ne noua (si Dijs placet) Resp: inanima esset, militari lecto Senatu, aperiunt Comitia (satius conciliabula) condunt leges, in facinorosos pænas, in præuaricantes supplicia decernunt, ea sedulitate agendo, vti nõ in tempus aliquod, sed in perpetuũ, noui Legislatores Nexui suo cõsulere viderentur. Neq; tantùm retinendæ disciplinæ intenti formulas describebant, aut toto Regno municipia in statiua ac alimenta Militi distribuebant, verùm vltra sphæram vocationis militaris, Iura Maiestatis ac Reip: attrectare ausi, dum quosuis reditus tàm Regalium quàm Spiritualium bonorum, seu illi ad priuatorum possessionem, seu ad mensam Regiam spectarent, stricto aresto prehendentes,

nimirum Oeconomijs, Salisfodinis, Theloneis, 1661.
Portorijs, Inuectis, ac quocunq; nomine publicis vectigalibus manum injiciunt; non quidem vsurpando vt distraherent, sed retinendo, donec satisfit in prætensionibus. Dolenda sanè rerum confusio, & nocti illi Pharaonicæ non absimile chaos, in quo ima summis, & summa imis collidebantur; quiuè nuper pro emeritis assibus postulata adferebant, iam nunc velut supra Remp: positi, à magnis Nominibus, vti reditus liberos facerent, rogari sustinebant. Ast non est animus eius Nexus sigillatim acta referre, nec Historiæ conuenit in ijs momentis occupari, in quæ satiùs Thymantis velum explicandum esset: nisi quatenus præsentium malorum memoria, sequentibus sæculis medicina esse poterit.

Rex Casimirus interea nihil intentatum omisit, reducendo ad meliorem frugem militi, iam Maiestatis & iusti rigoris retinens, vbi opus, rursùs clementiâ & blandimentis molliens, vbi necessitas cogeret: aduersùm vtraq; durioribus istis, cum æquè minas sine viribus spernerent, quàm & promissa sine rebus despicatui haberentur. Sed potissima militaris odij vis in Nicolaum Prazmowski, ac Christophorum Pác, illum Regni, hunc Lithuaniæ Cancellarios: *Odium militare in Ministros Regis.* quod prior feruidior verbo & calamo, inueheretur in Nexũ acerbius, scommatibusq; irritaret; maximè offendens, vbi in certo Rescripto directè Nexum pungebat, desumptis ex Sacra Scriptura verbis. *Populus hic labijs me adorat, cor autem eorum longe est à me.* Alter quod fratri Metatori Castrorum Lithu: author esse crederetur, vti inuitatis per speciem amicitiæ Lithuanici Nexus primoribus, suæ potestatis factos vinctosq; reduceret Varsauiam, pro modo delicti puniendos. Etiam aliquis, dum isti alimentum militare distribuunt, quod panis hybernus dicitur, & eo onere nullo cuiusquã respectu bona Regalia æquè ac Spiritualia grauarentur, non inconcinnè ex Euangelio protulerat, sensu ad Swiderscium directo. *Et cognouerunt eum in fractione panis.*

1661. *nis.* Sed hæc miſſa facio; tunc reperto contendendi mo-
re, acerbioribus in aduerſarios ſcriptis pugnare, & in officiũ
teli adſumere literas. Equidem Rex ſæcularium miſsita-
tionibus parum proficiens, delegandos in opus Præſules cẽ-
ſuit, valida ſemper Religionis ad flectendos animos machi-
na, etiam Eccleſiarum reditibus vindicandis, quos miles in-
terea ſequeſtro prehenderat. Ac poſt alios, Sigiſmundus
Czyzowſki Camenecenſis, dein Thomas Vieyſki Kijovien-
ſis Epiſcopi, diuiſim ex commiſſo Regis, ad Swiderſcium
profecti, & expoſtulantes egerant, quominus Patriæ, ac ob-
ſequio ſe ſe reſtituerent; verùm, vbi tam Czyzouij ſubtili ele-
gãtiâ, quàm Vieyſcij verecundâ commiſſorum inſinuatione
parùm apud militares profectum, poſt hos dein Florianus
Dux Czartoryſki Cuiauienſis Epiſcopus iuit, qui pro inna-
ta rectitudine, ac ſine circumſtantijs, mandata Regis effe-
rens, vti ab armato cætu non ingratus hoſpes acciperetur
obtinuerat. Diu quidem audiri dilátus, donec Conuentu
militari indicto, qualem illis Rotam Equeſtrem vocari
mos, frequentiſsimam ex Delegatis legionum concionem,
Cuiauienſis Ep: ad Milites Oratio. in hunc modum allocutus memoratur. *Diuorum olim
Poloniæ Regum, Monarcharum noſtrorum, liberæ genti
dominantium, ſuprema pro ſemper lex fuerat, ſubiecti po-
puli ſalus; non alia ſolicitudinum Regiarum meta, niſi, vt
creditis ſibi à Deo Regnis, Pacem, ſalutem, ac bonum commune
procurarent; ac dominarentur vt prodeſſent; vti qui non pri-
uatis commodis bonum publicum, ſed huic priuata commoda ſub-
eſſe volentes, curas laboresq́; Regnandi emolumento Patriæ ani-
mitùs deuouerent, impenderentq́;. Equidem, quisquis inconni-
uis oculis diuerſos caſus ac viciſſitudines Patriæ noſtræ introſpi-
cit, præcipuè regnante Ioanne Caſimiro Rege ac Domino Noſtro
Clementiſſimo, fateatur neceſſe eſt, ſicut liberi populi ſuffragijs,
Electio eius concluſa ac publicata, non niſi dextera Excelſi o-
pus erat compactum deſuper: ſic per hæc annorum curricula,
tot nationum ac ditionum regendarum onus, non aliud quidquã
contuliſſe Principi, quàm grauem curarum & vigiliarum mo-
lem,*

lem, ac irremiſſæ ſolicitudinis ſarcinam: cum plus hoſtium ope 1661.
*diuinâ, ac veſtra, milites fortiſſimi, operâ domuiſſet, quàm anno-
rum regiminis computaret. In hoc tamen curarum æſtu, in ea
continui laboris mole, vti ad ſolam boni Publici metam tetendit,
ſic nunc, vnicum dat menti Regiæ pabulum, ſpem infallibilem
concipiens, quominus, poſt tot diſcrimina rerum, vindicata ab
interitu Patria, eam aliquando florentem & tranquillam vide-
re poſſit, efficaci tantiſper in exilium pulſæ Pacis reinductione.
Adfui nuper pleno Senatu præſens, ac hiſce auribus regio ore pro-
lata excepi verba.* Non aliæ *(inquit Rex)* curæ, acrius de
die vigilem, de nocte inſomnem exercent me, quam vt vobis
Poloni benè ſit, etiam poſt Fata meâ. Patriâ quippe hâc, in
qua natus & educatus ſum, nihil poſt Deum carius habeo.
*Regia certè vox, & Diuorum Regum noſtrorum, ac in omnem
poſteritatem memorandorum Iagiellonum veri ſucceſſoris genui-
nus affectus, qui amore noſtri vt dilatarent Terminos & pome-
ria Patriæ, hæreditarias ditiones ſuas, amplitudine iuſtis Re-
gnis ſuppares Regno vniendas, gratioſè concedebant &c: &c.
Horum ſanguinis ſucceſſor & amoris in Poloniam Hæres, Ioan-
nes Caſimirus Rex & Dominus Noſtr: Clem:, Maiorum ſuo-
rum exemplo, nonmodo ſplendores & domus Regiæ decora
in hanc Remp: larga manu profudit, verùm & auitorum Re-
gnorum diſpendiũ ſubiens, communis boni, maximè pacis causâ,
liberaliter deceſſit, ſemetipſum euiſcerans; de conſtantia gen-
tis noſtræ perſuaſus, quod fide & gratitudine beneficium
haud dubiè rependemus, nec plus vltra requirens, hiſce affatur
cunctos. Memores ſitis & grati eſtote. Neq́; minus clemen-
tiæ regiæ documentum exhiberi vobis milites fortiſſimi cernitis:
dum, vbi modo per curas bellicas, ac ſuperata ope Numinis
in Magno Ducatu Lithuaniæ pericula licuit, deducendis in
effectum deſiderijs & prætenſionibus Veſtris, celebranda mox
Generalia Comitia Varſauiæ indixerit: vt quippe præ ocu-
lis fuêre, ſic in recenti memoria hærent, emeriti Exercitus, Fi-
des integerrima, periculorum contemptus, indefeſſus labor, ac
haud parcè fuſus ſanguis; dum veri Ciues Patriam ab ex-*

tremo

1661. *tremo præcipitio ſubleuaſtis; Maieſtatem & integritatem Principis in oculis Chriſtiani Orbis, vti Fideles ſubditos decuit vindicaſtis; & ne latum vnguem à Maioribus ſuis degeneres, duraturo per ſæcula fortitudinis veſtigio, æternitati veſtra conſecraſtis nomina, tot trophæis ac victoriarum monumentis ex diuerſa gentium colluuie reportatis, quot in circuitu vicinos numeramus; nempe Scythis, Coſacis, Suecis, Hũgaris, Moſchis, &c. Hæc merita & quibuſuis præconijs eminentiora opera veſtra, acceptat grato animo Patria, cordi habet Sereniſſimus, etiam Eccleſia Catholica ſummas Deo Exercituum habet dicitq; gratias, tamq; eadem Eccleſia Mater fidelium vniuerſalis, quàm Patria omnium in ſe charitates complexa, etiam Rex Sereniſſimus, confidunt ſine dubio, quòd gloriæ gentis & integritati, quæ tanto ſtetit parta labore conſulentes, per priuata diſſidia, & nullo veri fundamento innixas ſuſpiciones, fatiſcere ac diſtrahi Remp: haud permittetis, eo facto Orbi monſtraturi & vincere & victoria vti ſcire vos: cum, omnino expediat, ſinceræ Maiorum noſtrorum præmonitionis meminiſſe;* ob violenta conſilia, interna odia, priuata commoda, perijt Hungaria, caue tibi Polonia. *Res eſt vobis cum Patria chariſſima, cum Rege, Parente omnium benigniſſimo, ſatiùs quàm Domino, cum Conciuibus generali fraternitate conſtrictis; vnde cauendum anxiè, ne hæc interna diſſidia, exteris ac hoſtibus noſtris, diu deſiderato cedant ſolatio, vt, quos vi ſuperare nequiuerant Polonos, iam internis motibus fractos & enerues, flocci faciant. Optat igitur cumprimis Sac: Reg: Ma: vti in futuro Generali totius Regni Conuentu, ad primos Februarij dies in anno ſubſequenti celebrando, expeditiùs promouendis deſiderijs veſtris, pro Scopo deſtinantes, Patriæ integritatem, ac boni publici conſeruationẽ, prætenſiones Exercitus pacatè & modeſtè Nuntij veſtri efferant, nouis commentis ac ſuggeſtionibus abſtinendo; præterquam, quòd omnis nouitas nociua ſit, ſed præcipuè ad euitandam animorum ſciſſuram, ac in Rep: ſchyſmata; cum infallibile maneat æternæ veritatis effatum, Omne Regnum in ſe diuiſum deſolari, ac do-*

mum

mum ſuper domum cadere &c: Tumverò ad cætera dele- 1661.
gationis ſuæ contenta digreſſus, præcipuè ad ſequeſtratos Oeconomiarum reditus, palam ac ſincerè indignitatem rei demonſtrauit, ſi Princeps, qui ſupremus Dominus eſſet, egeat; quamq; abſurdum requirere illi de manu ſubditorum neceſſaria ad menſam ſuam alimenta, qui panis benè meritorum ſupremus Promus Condus, ſeu diſtributor eſſet. Inferebat dein pro Eccleſiarum ſubiectis arreſto militari rebus, inſtantiam. Hîc enimuerò priora preſſè elocutus, zelo & eloquio ardentiore inuehebatur in attrectantem patrimonium Chriſti militiam, quæ præterquam grãde committeret piiaculum, Diuino cultui deſtinatas opes intercipiens, verùm etiam ad conuellendum Statum Patriæ ſtrueret gradum; cum immunitatûm Eccleſiæ violatio, per conſequens Leges ac libertates Polyticas, in ineuitabilem protrahat ruinam. *Laudo (aiebat) pietatem, quod in patrocinium & protectionẽ veſtram indigentiorem Clerum ac Mendicantium Ordines ſuſceperitis? aſt, quo iure Præſules à Clero, Paſtores ab ouibus, & capita à corpore membriſq; ſecernitis? non Cælum ſine ſole, nec Exercitus ſine Duce, imò nec vos ipſi ſine delecto Magiſtratu agere poteſtis? quomodo verò Iuriſdictio Eccleſiæ ſine Præſulibus, ac Prælatis, ſubſiſtere poterit? Corruet eo modo (credite mihi) Eccleſiarum diſciplina, diſſoluetur harmonia hæc Chriſtianæ pietatis, peſſum ibit tot ſæculorum opus, tantiq; laboris pretium intercidet, vbi deperditas oues, ſine paſtore facietis errantes & vagabundas. Auertat nefas Deus! nè quod interlapſu ſæculorum, coniuratis animis viribuſq; hoſtes Eccleſiæ Chriſti perficere nequiuerunt, iam nunc per milites Chriſtianos ac Orthodoxum Exercitum, ex Fidei defenſoribus, in Orci inſtrumenta mutatum, corruere debeat &c: Profinali Præſul & Miniſter Eccleſiæ, ad gregem Chriſti, Ciuis ad eiuſdem Reip: Filios, Nobiliſq; in eadem æqualitate natus ad Fratres apello; imò per omnia Sacra, per Natalis ſoli amorem, perq; venerabile ab æuo genti noſtræ Maieſtatis nomen, Vicariã Dei poteſtatem, quæſo obteſtorq; vos: ne hanc almam Ma-*

1661 *trem Patriam, tot insultibus hostium quassatam, vndecunq; laceram & exanimem, Nexu hoc vestro in telum parricidij verso, in extrema priuignorum more adigere persistatis. Ac, ne forte olim dicatis defuisse qui vobis verum diceret. Ecce dico & amplius dico. Non licet vobis milites tranquillitatem Patriæ, tantâ iacturâ ac sanguine mortalium, tanto opum imò Prouinciarum detrimento, vtcunq; consarcinatam, perperam ac nullo æquitatis prætextu conuellere? Non licet Ecclesiarum reditus attrectare, inconsutilem Christi tunicam profanis manibus discerpendo, & quæ alia superius memorata, iterare supersedeo. Quæcunq; nunc dixi, etiam coram tremendo Supremi Iudicis* DEI *Tribunali recogniturus. Moueamini igitur strenui milites iustissimo respectu, quem Deo, Conscientiæ, Ecclesiæ, Regi Serenissimo, vno verbo, Patriæ debetis, quæ in se omnium charitates complectitur. Nec tantùm satisfactioni in præsens, securitati in futurum, verùm etiam integræ famæ ad posteritatẽ consulite. Applicate desideria vestra ad intentionem S. R. Maiestatis Principis optimi, ad Fidei San: Catholicæ propugnationem, non oppressionem, legum Patriarum præsidium non grauamen, amplitudinem & decus gentis non opprobrium, hostium terrorem, insuper nominis vestri immortalem gloriam. Demonstrate non vsq; fauentibus Exteris, quod licet si prætensiones vestras promoueatis, non alium tamen consiliorum scopum, nisi bonum commune ac integritatem Patriæ habuistis, ac pro semper habere intenditis &c.* Dixerat Senatoria grauitate Præsul, ex feruentiore zelo lachrymis finem dictioni imponens, cum vicissim vniuersa militaris Concio orantem attentissimè auscultaret, ac quod commotorum animorum indicium esset, diutius ac si attoniti alto defixi egêre silentio: adeo valida est ad flectendos animos, tam opinio virtutis, quàm religionis machina. Tum verò vt quisq; ex militaribus circumspectare primores, aut requirere responsum; isti verò formare rationes, aut rogitare Præsulem insistunt, vti porrectis in scripto requisitorum capitibus, præstolari dignaretur, donec expedita deliberatione, depromptum per

per suffragia Legionum responsum, conficerent. Interea 1661. Mareschallus pro fide & obsequio Exercitus in Serenissimũ Regem, illibato illo nec vnquam conuellendo, succinctè dixit; neq; minus in Sanctam Rom: Ecclesiam debitum affectum testatus; simul medianti Præsuli gratias egit, vt qui, tam nunc sincerè Regia commissa efferret, quàm semper antea commoda Exercitus & iustas prætensiones, integerrimus Senator promouisset. Sic tractatus Concione excessit, qui dum honoris gratiâ à potioribus deducitur ad hospitium, enimuerò etiam tunc multa solertia, maculosum exuti obsequij nefas, resumptione legitimi imperij obliterandum suadebat; Patriam præ oculis, Patriam in mente haberent, cauendo filialiter, ne ex calido recens sopitorum bellorum cinere, atrocem rursus calamitatis scintillam excutientes, nouo Patriæ incendio facem admouerent: satiusq; ac maiori cum emolumento & gloria, ad Optimi Regis intentionem se applicarent, præuia satisfactione, eiusmodi Nexum, vti legibus Regni damnatum, dissoluentes. Ast calci sementẽ mandabat, cum nec quidquam verborum suasus aut hortamenta valerent, præsignis licet Antistitis prudentia nihil intactum omiserit; etsi multum spei superesset etiam, dum identidem mollius responsant, ad saniora inclinandos. Cum apud illos, vbi conueniuntur, sermo comis, sed consideratus; debita in Delegatos præsertim Regis honorificentia, quorum illationibus si annuunt, promptè expediunt; si non, modestè negant; repulsam tamen vel dilatione vel amphibologia verborum inuoluendo. De Nexu *De Nexu subiunctũ* si mentionem inijcis, non tantùm ingenuum sensum produnt, verum & laudes si adhibeas non admittunt. Inter se mutuo metu anxij, & ad inuicem suspicaces. Non vetus confidentia familiares nectit, non amici ad participium secreti admittuntur, ambigua verba, reconditi sensus, ac obserata pectora manent, haud occulta formidine, vbi præ licentia dicendi tutius silentium est. Etiam exterior gestus motusq; corporis, ad grauitatem aliquam compositus

1661. apparet; velut Nexus alios silentio, alios austeritate, in Stoicorum aut Pitagoræ Sectas, iam nunc transcriberet. Certè morum species non improbanda, nisi in malo opere boni videri voluissent. Rursus in publico, grauiter sententias dicere, legum obseruantiam profiteri, æquitatis rationes magni ducere, & nihil extra orbitam iustitiæ pati. Si inferentis propositio ad placitum, acceptant concorditer, vel distinguunt prudenter; si displicet, acres primùm intuitus, frontis contractio, ac abnuentium renutus: & postquam aliqua passio commouit animos, palam minæ ac cunctorum inconditus clamor. Talibus quidquid placet, vehementer placere demõstrant, quidquid displicet apertè renuẽdo produnt. Ad nomẽ Maiestatis extrinseca cunctis veneratio, ast, cum in re quacunq; nomen Regis de verbo prætendant, de facto contra iussa ac voluntatem eiusdem palam agere ostendunt. Similis in capite, quem Mareschallum vocant, morum compositio. Samuel Swiderski nuper ex tergiduce cohortis Wisniouecianæ ad summa Imperij militaris prouectus, præsenti amplitudini pares animos aptabat. In quem ex vero aliquis protulerat. *Curtam heri duxit turmam. Dat magnis hodie iura Quiritibus.* Non tamen absoluta huic Iurisdictio, quàm limitaret adiuncti Substituti officium, quò velut consorte regiminis ambitus restringeretur, vel vti duorum consilio, firmius subsisteret diuisa imperij moles. Ergo adest vtriq; circumpedum caterua, cultus externi splendor, mensarum lautitiæ, eminentior in literis titulus, lictorq; & fasces, & inuidiosa, si modo durabilis foret, præsentis fortunæ amplitudo: in eo tamen Magistratus gradu, vt lato imperio, sic occulto metu vterq; agit, ac vitæ necisq; dominus, vt singulos terret, sic cunctos timet; nõ applaudentibus non blandientibus credens: nam, vt in omnes ipsi potestas, sic vniuersorum in se respicit arbitrium. Adsunt quippe æquè inter seria quàm ludicra, qui omnia dicta factauè sua obseruent, ac speculentur: vnde non preces in templo sine auscultatore fundere, non à curis conti-

nuouè

nuouè strepitu secreto ocio membra solari valet, cum additi per dierum noctiumq; spatia introspiciant actus, ne in venatione quidem sine inspectore feras consectari licet. Hinc satietas inuisæ dignationis, & fastidium, ex timoris quadam reciprocatione, cum qui terreat trepidet, dumq; metuitur, securus ipse agere nequit. Quod si finem respicit, & damnatæ causæ effectum perpendit, nonnisi continua formidine agitari necesse est, seu conciliandæ Maiestatis, seu eluendi criminis, victimam se pro cunctis fore considerantem. Percognita refero, cum Palatinatus Sandomiriensis nomine gemina vice ablegatus, diutius inter illos commorarer: Collega magni nominis & ingenij Viro, Stanislao Zaręba Iudice Sandomiriensi Generali. 1661.

Auidè Rex præstolabatur legationis Czartoryscij effectum, iam causæ merito, iam missi multùm fidens dexteritati, ac perficienda fore non dubitans, quæ alij pro desperatis renuntiauerant. Verùm & iste spem tantùm aluit, nullâ in præsens concludendi ex voto efficaciâ: per moras ac verborum amboges identidem dilatus, donec Legionum Deputati ad alterum concilium seu Rotham Equestrem congrederentur: etiam tunc nullo cathegorico responso dimissus. Indicta tamen à Sac: Reg: Mai: Comitia accipi, non ingrato animo ostenderant, Commissionem non item approbantes, ab experimento docti, plus hic verborum quã nummuûm fore: vel quod futuris prouidendo, securiùs sibi Comitiorum remedio consulendum existimarent. Ergo Rex, dato prudenter ciuili insaniæ spatio, ne quos per extrema infringere non posset, bonis modis pacare desisteret, in Februarium anni sequentis 1662 Comitia Varsauiæ indicit, Palatinatus pro Conuentibus particularibus obnuntiat, Deliberatorias ad Senatum Proceresq; expedit, eosq; rursus Nexuales, vt certos Regiæ beneuolentiæ per Rescriptum reddit, sic iterum per eundem Cuiauiensem Episcopum commonet, vti reiecta exoticorum consiliorum suggestione, veterem Exercituûm Regni praxim, in missitandis ad

 Comi-

1661. Comitia Regni definito numero Nuntijs, ex more patrio retinerent; cum pluralitas sit confusionis occasio. Quam inculcantis Principis præmonitionem accepêre velut annuẽtes, formato in aliquam obsequij testificationem responso, quoue respectum Maiestatis ostenderent, Oeconomias nonnullas sequestro militari eximebant, reliquas donec administrantium aut Tenutariorũ fraudes & peculatus palam faciant, ad futura Comitia retenturi. Cæterùm eo sequestro non Regalibus, non Spiritualibus bonis quidquam decerptum ex reditibus, vel in priuatos vsus conversum fuit; imò verò ea sedulitate Intratarum rationes in matriculas redactæ ab ijs, ac in totum posthac restitutæ fuêre, vt non modo perfunctoriam villicationem veri possessores non reprehenderent, verùm etiam elucidatos, ac ex fide calculo subiectos ditionum prouentus, adseuerarent. Adeo quãdoq; temporis ratio permittit, albo bonorum non omnino excludere eos, qui obiter & cum discretione mali sunt.

Ast, acrior Andreæ Trzebicij Cracouiensis Episcopi in Colligatos zelus seu commotio, fortè quod iniuriæ propior, & impatiens tolerandi esset. Vrebat animum non tantùm recenter adita Episcopatus possessione depelli, perq; nefas intercipi sacros reditus, verùm etiam à profanis hospitibus inuadi Palatia ædesq;, ab antecedaneis erecta, vti in ijs Iurisdictionem in Clerum Diœcesanum exercerent Præsules; cum congrueret minus Laicis, in militiam obligatis, intra parietinas Sacerdotalium domuûm stabulari, qui honestius, & iuxta vocationem suam transfigerent æstatem sub papilionibus. Itaq; per literas, etiam Nuncios sæpius commonebat, intactas Ecclesiæ ditiones sinerent, etiam ex officio Pastoris minitans, nisi protinus Christi patrimonium indemne præstant, se ad sacra fulmina vt vertatur cogi, & incunctanter anathema vibraturum in eos, qui hostium amici, & suorum, imò Dei & Ecclesiæ hostes existerent; in plerisq; epistolis sacrilegos, raptores, &c. vocans. Et certum erat feruidiorem natura Episcopum ad id remedij, vti Sacris interdiceret, militem accedere voluisse, iamq; Curionibus cohortium quos Capellanos dicunt, secessum à Nexu seuerè mandauerat, donec vocatis ad consilium Theologis, quorum nonnulli etsi in sententiam Præsulis irent, reperti tamen complures fuêre, (inter quos Valerianus Gutowski ex Familia Franciscanorum) qui demum validis rationibus differendam Ecclesiæ, censuram persuasêre, quominus bonorum consensui, malorum resipiscentiæ spatium concederetur; etiam ne nullo ictu aut successu vibrata plaga, despicatui apud multitudinẽ foret, & intro tantùm metuenda, in contemptum Ecclesiæ, elusa fulmina verterentur. Pro milite quin etiam fuit honorifica Cuiauiensis Episcopi tractatio, cunctis exinde magna exspectatione arrectis, non vltra Comitia proxima duraturum Nexum; eaq; prudentum opinione, frustra primo loco tentari extrema, vbi morbus vsitatis remedijs persanari posset. 1661.

Ast Colligatum Militem, quem non acria dehortantis Præsulis monita, non sacri fulminis protinus vibrandi comminatio, vti Kielcijs abscederet, permouere poterant, certè permouit aut verius mouit ingruens pestis, quæ sub id temporis à Carpatijs montibus retrò in Occidentem velut reflatu tempestatis impulsa, passim Prouincias Regni corripiebat. Vngaricam luem nostrates vocant, & indè aduenam certum fuit, postquam Cæsaris cum Turca bello, iam graui è mortalium cadaueribus mephiti infecto aëre, iam diuturnâ inediâ per annonæ defectum afflictis incolis Pannoniæ, demum ad perfectam calamitatis trigam nouissimè pestis accederet. Quæ à contermina gente per contagium vulgata, primò submontanum tractum inuasit, hinc per diuersas circumstantias loci enormi hominum strage, grassata etiam ad Colligatos vsq; proserpsit, formidabilius Ecclesiæ Censuris anathema. Hinc isti, euitando malo, Kielcijs sedem Magistratus bellici Chencinios transferre

1661. ferre coacti, dein inuiſibili plaga proſequente Andreiouiam pulſi, demum inter continuas motus metuſq; agitationes, Annum præſentem finiendo, ſequentem 1662. inceperint Wolborij, ſueto Epiſcoporum Cuiauienſium domicilio. Hæc pro Climactere Secundo, rerum in Polonia geſtarum, ſint ſatis, ſi non nimium; cùm, in ea rerum narrandarum copia, perquam difficile fuerit, in Patriæ calamitatibus calamo moderari.

A. M. D. G. Vq; S. L. O. C. H.